


BIBLIOTECA NAZIONALE
6
4 B
51
VITTORIO EMANUELE

RHET.

ARISTOTELIS AD THEODECT. LIBRI III.

Quos M. Ant. Maioragius vertebat.

EIVSDEM

LIBER AD ALEXANDRVM

CVM

Expositione Ioannis Marinelli.


Index rerum copiosissimus.




CVM PRIVILEGIIS.

VENETIIS, MDLXXV.

Ex Officina Victoriæ. Apud Ioan. Valgrisium.



VINCENTIO FANTINO



EPISCOPATVS FERRARIENSIS

CANONICO AMPLISSIMO

IOANNES MARINELLVS.



V AE in Artem Ariſtotelis Rhetoricam, Optime Antiſtes, dum olim Ferrar. commorarer, unà obſeruauimus, me imprudente, & inuito, nunc in lucem prodierunt: explicationes enim exciderunt rhetoricæ, quæ ea, de quibus inter nos ſæpius collocuti fuimus, egimuſque communiter, tum loca rhetorica, tum reliqua artis præcepta traderent: atque in manus peruenerunt impreſſorum, qui eas improuiſis typis dederunt: quod cum cognouiſſem; moleſtè tuli, libroſque perturbatus minus quàm diligenter uolutaui, & plurima comperiens errata, grauiora ut caſtigarentur, curaui. Verùm, dum has legiſſem lucubrationes, in memoriam,

quæ mihi ſanè ſemper iucundisſima fuit, redierunt illa noſtra florentis ætatis tempora: quamquam moleſtiora mihi fuerunt, quàm conſtans ætas eſt. hæc quidem ut eas tibi relegendas red derem me incitarunt: ſi quidem cum quibus in ſtudijs literarum tunc uerſaremur per aliquot diei horas, ſuauem tibi dent recordationem, ac prçteritarum uigiliarum, familiarisſimorumque colloquiorum renouent memoriam, atque demum amicitiam, beneuolentiamque, quæ maxima inter nos eſt, uſque ad extremum uitæ diem conſeruent. Et quamquam non igno ro te in antiquisſima, nobilisſimaque philoſophia animum iamdudũ applicaſſe, theologicaq; exercere ſtudia, quæ hominum mentes ab his inferioribus, abiectisque rebus ſeuocant: tamen, quemadmodum ut corporis uires refocillemus, in uiridi, opacaque inambulamus ripa, quæ oculos paſcat, oblectetque; ſic, ut animum aliquando leues, & à maximis occupationibus, quibus detineris, te his temporibus æſtiuis expedias; legas quæſo, quæ de eloquentia præcipit Ariſtoteles, qua plurimum polles: nam ut hominis decus eſt ingenium; ſic ingenij lumen eloquentiam eſſe ſemper duxiſti: ea ſi quidem nihil aliud eſt, quàm copioſè loquens ſapientia, quam quiſque clarisſimus uir, grauiſſimusque diligentisſimè coluit. Quapropter, cum hæc uideris; non parum lçtitiæ, ac uoluptatis percipies: nam iterum ea ſenſeris præ-

cepta,


cepta, quæ plurima dicendi, scribendíque dedit Aristoteles, te diligenter tenere, te eis abundare. Perspicies quoque si quid allaturi sint utilitatis sermones, quos unà de his explicandis olim habuimus: nam etsi doctissimi uiri libros Aristo. qui de arte Rhetorica tractant, pluribus uerbis exposuerunt: nihilominus neminem reperi, qui finem, usúmque, quem plurima præbent loca, enuclearent: quinimo in uerbis interpretandis tempus consumunt, ac parum de subiecta sententia loquuntur. nobis uerò contrà factum esse arbitror: quæ enim ad artem pertinent cætera omittentes exposuimus, sed imperfectè quidem: excussa etenim sunt insperato: nam quænam sint demonstratiui generis partes, quæ deliberatiui, quæ iudicialis, declarauimus: deinde quæ sint cuique generi loca necessaria, quæ argumenta, quæ argumentorum formæ, ostendimus. Hæc profectò existimo maximo fore usui omnibus, quibus benè, in laudéque uiuere licet, sed ijs potissimum, qui principum legationes obeunt, & quibus aptè, ornatéque dicendi, atque scribendi cupiditas alitur. Hanc uerò artem Aristo. interpretati fuimus, dum iuuenes Orationem Cice. pro lege Manilia habitam explanaremus, quæ si cum his libris ædita fuisset; proculdubio magno esset adiumento his præsertim adolescentibus, qui literarum studiosi sunt. sed, cum iamdiu hæc scripserimus, atque hinc me ad res

& philoſophicas, & medicas poſtea contuliſſem, in quas ad hunc uſque diem incubui; multa ex animo meo excidiſſe fateor commoda, opportuna, atque utilia, quibus extrema manus nondum acceſsit. ueruntamen, cum Curtius filius ut artem ſibi Rhetoricam exponam his caloribus maximis, me inuitet; ea reſtituam fortaſſe, ac reſarciam, quæ fuerunt diſciſſa, ac diminuta: comitemq́ue tunc temporis his libris orationem explanatam præbebo. His præterea libris, quos de Rheto. ſcripſit Ariſto. ad Theodectem adiunximus librum, qui inſcribitur Rhetorica ad Alexandrum. hunc multi Ariſtotelis opus eſſe negant. ſed equidem cum illis concordem eſſe librum comperi, doctisſimumq́ue, ac ueluti trium antecedentium librorum praxim, ut legenti facile erit percipere. Nunc uerò tibi, Ampliſsime Vir, hæc noſtra iuuenilia reddo ſtudia, atque dico, quæ certisſima ſint argumenta, atque indicia mei in te amoris, & clarisſima monumenta neceſsitudinis, quæ inter nos uetus & ſumma intercedit, quam, quandiu uixero, ſancte colam. Vale.

Errata sic corrigito.

*Pag.*21. *Facultas uidendi. lege Facultas inueniendi.* 21. *De omnia. leg eDe omni*. 34. *Dicuntur. lege Ducuntur.* 77. *Ioco. l. Loca.* 176. *A maioribus. l. A moribus.*176. *Ea rogantes. l. Arrogantes.*176. *Hic. l. Hinc.* 177. *Parentibus. l. Potentibus.* 178. *Cuique generi. l.Cuique generis.* 186. *Et aliud. l. uel aliud.* 187. *Potius. l.Posterius.* 189. *Paruo. lege. Paruoque.* 245. *Reiicula. l. Ridicula.*246. *Et. l. sed.* 257. *Magnicerumuicam. l. Magniceruicam,*261. *Quartum. l. Quantum.*263. *Lebui. l. Loqui.* 272. *Intelligenda est ætas. l. Intelligenda ætas.* 289. *natura hac. l. natura hoc.* 289. *accidit. l. accedit.*296. *oratius. l. oratorius.*:99. *niæ minutio. l. uiæ munitio.* 299. *cantu proaulium. l. cantus proaulium.*303. *deliberaiione nulla. l. deliberationes nulla.* 307. *perueni ſſe. l. perueniſſet.*310. *pulſaldo. l. pulſando.*311. *experitia l. expertia.*313. *Prodeſſe. l. prodeſſet.* 323. *qua modis. l. quot modis.* 325. *debeat. l. debeant.*355. *comita. l. comitia.*356. *aduerſi. l. aduerſis.*368. *deelectum. l. delectum.*372. *ad uero. l. at uero.*374. *Si nullum est l. ſi nullus est.* 384. *quomodo est. l. quæstio est.*399. *eorum ſinguli. l. eorum ſingulis.* 414. *facere dicendum. l. facetè dicendum.* 424. *attentionom. l. attentionem.*445 *Oratore. l. Oratorem.*446. *genere deliberatur. l. genere deliberatiuo.*446. *dictatis. l. dictat is.*465. *aduerſa rius, ipſe aquæ errauerit. l. aduerſarius ipſe aberrauerit.*

Reliqua candidus lector emendet.





ARISTOTELIS STAGIRITAE, RHETORICORVM LIBER I.




M. ANTONIO MAIORAGIO Interprete.


Rhetoricam artem esse.



HETORICA Dialecticæ ex altera parte respondet : ambæ enim in eiusmodi rebus sunt, quæ a cunctis hominibus quodammodo cognosci, atque intelligi possunt: nec sunt in aliqua definita, ac certa sciētia. Quocirca omnes homines utrarumque sunt aliquo modo participes: omnes enim aliquo usque & exquirere, & rationē reddere, & defendere, & accusare aggrediuntur. at ex imperitorum numero quidam hæc temere, casúque faciunt: quidam autem habitu quodam animi, longo vsu comparato. cum autem hæc vtroque modo fieri contingat; perspicuū est, certa uia, atque arte cōprehendi posse: licet .n. causam intueri, cur & qui ex usu, et qui fortuito hæc faciunt, id, quod uolunt, aßequantur. hoc aūt ipsum iā artis opus esse, nemo est quin fateatur.



IOAN. MARINELLI IN RHETORICAM ARISTOTELIS breuis expoſitio.



RHETORICA Dialecticæ ex altetera parte reſpondet] Dialectica eſt ars, quæ docet, quo pacto ſit inueniendum argumentum, & quo modo iudicandum, ubi inueneris: atque horum faciendorum rectam tradit eatenus rationem, quatenus faciendi uerbum poteſt his aptari. ſed argumentũ, quod dialectica arte inuenitur, à probabilibus ducitur locis: & probabilia ſunt, quæ uera eſſe uidentur aut omnibus, aut plurimis, aut ſpectatiſsimo, atque clariſsimo cuique. quapropter dialectica eſt ars, quæ probabiliter de qualibet re propoſita diſſerit, eo tamen modo, quo cuiuſque natura capax eſſe poterit. Verum & Rheto-

Rhetorica ars hæc eadem efficit: Nam eius proprium est munus inueniendi quid in quaque re sit ad persuadendum accommodatum. &, sicut dialectica in utranque differit partem; sic profectò & rhetorica. igitur & Dialectica & Rhetorica inter se conueniunt, nec quicquam aliud interesse inter eas arbitratus est Zeno, quàm si manum eandem primum in pugnum comprimas, deindè rursum explices, diducasque: atque rursus dialecticorum thesis, rhetorum materia est hypothesis: nam quamquam ij, qui in foro agunt, sępenumero inter agendum a personis quæstionem abducunt, cęterisque circunstantijs: tamen id, quod initio proponitur nunquam thesis est, sed hypothesis.

Omnes enim aliquò usque & exquirere, & rationem reddere &c.] artem esse tum dialecticam, tum Rhetoricam arguit Aristoteles: etenim inquit, si ex imperitorum numero quidam temerè, casuque exquirunt, rationem reddunt: defendunt, & accusant: quidam habitu quodam animi longo usu comparato hæc faciunt; perspicuum est hæc quoque certa uia, atque arte comprehendi posse.

Artem Rhetoricam ab alijs imperfectè traditam esse.

SED qui hactenus de Arte dicendi conscripserunt, paruam quandam eius particulam confecerunt

sint: deinde, quia legumlationes longo tempore, diligentique consideratione fiunt, iudicia uerò plerunque subita, atque repentina sunt, ut difficiles sit, ipsos disceptatores æquitatem, atque utilitatem rectè perspicere ac tueri. illud tamen maximum omnium, quod legislatoris iudicium non de singulis, neque de præsentibus rebus est, sed de futuris, & de uniuerso genere. sententiæ uero moderator, & iudex de præsentibus iam, et definitis rebus disceptāt, ac statuunt, qui sæpenumero uel amore, uel odio, uel utilitate propria mouentur ita, ut nullo pacto amplius ueritatē intelligere, ac uidere satis queant: cū propria uoluptas, aut molestia uero iudicio tenebras offundat. In cæteris igitur rebus, ut antea dixi, quāminimis iudicē ipsum dominū constituere oportet. uerū utrum facta res sit an non facta, futura, an non futura sit, nec ne sit, iudicibus ipsis omnino statuendum relinquere necesse est. neque enim ullo modo fieri potest, ut hæc legislator præuideat. Quæ cum ita se habeant; perspicuum est eos ad artem ea reducere, quæ sunt extra propositā materiam, quicunque res alias explicāt, ut quid proœmium, quid narrationem habere oporteat, & quid unaquæq; aliarum partium: nihil.n.aliud sibi proponunt, quàm ut iudicem aliquo modo afficiant. de artificiosis uerò probationibus ne uerbum quidē faciūt, quibus solis acer in argumentationibus, & argutus orator sit. Atque hac de causa cum eadem uia, atque ratione deliberationes, & iudicia tractentur: sitque deliberationis tractatio speciosior, & ciuitatibus utilior quàm conuentorum, & iudiciorum: de illa

quidem

quidem nihil dicunt, de iudicijs autem omnes artem conscribere aggrediuntur: nã in deliberatiuo genere longe minus prodest ea, quæ sunt extra causam, dicere: minusque calliditatis, ac fallaciæ capax est sententiæ dictio, quam iudicium; sed magis aperta est, ac popularis: hic enim disceptator ipse de suis, ac proprijs rebus iudicat. itaque nihil aliud opus est, quam ostendere, rem ita se habere, quemadmodum is ait, qui sententiam dicit. In iudicijs uerò nequaquam hoc satis est, sed auditoris animum occupare permagni interest; quoniam de alienis rebus futurum est iudicium. itaque sæpe iudices ad uoluptatẽ se se referentes, & ad gratiam audientes, litigantibus gratificãtur, nõ uerè iudicant. Atq; hoc in causa est, ut multis in locis, sicut antea dixi lex prohibeat, aliquid extra causam dicere, quod in sententijs ipsi disceptatores, quorũ de re agitur, satis diligenter obseruãt.

Probationes.n.solæ ad artem pertinent, reliqua uerò sunt additamenta] Scribit Aristo. in lib.3.Rheto. hæc uerba. Sunt orationis partes duæ: necesse est enim rem primò, de qua agitur, exponere, deinde illam argumentis cõfirmare. quare, cum rem narraris, postea confirmare: aut confirmare, cum rem non exposueris, tale est, ut præstari non possit: nam qui argumentis utitur, aliquid confirmat. & qui rem exponit, id ideo facit, ut postea confirmet. horum alterum propositio, alterum probatio est. reliqua uerò sunt additamenta, ueluti proemium, & peroratio; siquidem nec proponunt, nec confirmant; sed, cum

opus

opus fuerit, reducunt in memoriam, & rem pla nam faciunt: nam si res pateat; exordium est su peruacaneum. si uerò oratio sit breuis, & quæ in ea continentur, facilia sint memoratu; epilogus non desideratur. Comparatio autẽ, & repetitio, siue enumeratio sunt fidei partes: qui enim enumerat, & qui proprias cum aduersarij rebus confert; probat.

De ijs uerò, quę sunt extra rem posita] Extra rem posita sunt argumenta, quæ ab animi perturbationibus sumuntur, de quibus diffusè Aristo. agit in lib. secundo Rheto. nam quæcunque probationes a uita, & moribus tũ auditoris, tum oratoris ducuntur: & quæcunq; ab his, quæ promouent iudicem, atque afficiunt, proficiscuntur, eę omnes extra causam positæ sunt.

Nullas alias esse partes, quàm docere rem aut esse, aut non esse] Munus oratoris quid sit, declarat: inquit enim ad oratorem nihil aliud pertinere, nisi, ut ostendat, res sit, necne: & factum ne sit, aut non: hæc nanque illi sunt probanda. sed de fine causæ, utrum honesta, utilis, iusta sit, necne, non oratorem, sed auditorem scire oportere: itemque utrum res gesta magna sit, an parua: maior, an minor, extra causam est. idcirco non sunt oratoris necessariæ sedes.

Quid procmium, quid narrationem habere oporteat] proemium, narrationem, atque alias orationis partes, quæ iudicem afficere possunt sic extra causam esse, quemadmodum animi per turba-

turbationes exponit. At uerò in lib. tertio Rhetor. Aristo.asserit proemij munus proprium, ac maximè necessarium esse finem institutæ orationis aperire. uerum, si causa fuerit perspicua, aut parua; licebit non uti principio. si uerò dubia, si humilis, si turpis, si magni negotij; proemium est faciendum.quare perspicuum est in omni oratione necessarium esse proemium, in quo saltem intentio, ac rei propositum insinuetur, dummodo oratio ne aut breuis sit, aut res, de qua agitur, sit aperta: tunc enim exordium, & propositio in unum coincidunt.

De artificiosis uerò probationibus] Probationum autem duo sunt genera: aliæ siquidem artis expertes sunt, quemadmodũ leges, testes, pacta, quæstiones, & iusiurandum. aliæ sunt artificiosæ: atque hę in ipsa inhærent re, & nostra industria parantur. harũ uerò tres sunt species: aliæ enim in uita, ac moribus oratoris positæ sunt: aliæ in promouendo, atque afficiendo auditore: aliæ denique in ipsa oratione, cum probatur aliquid, aut probari uidetur. A re quidem, cuius speciem refert oratio, tria in genere accipiuntur loca, quæ sunt tecmirium, icos, & signũ, de quibus aliàs agemus. de his uerò, quæ ab oratoris, & auditorum persona sumuntur, proprijs dicetur locis. Cęterũ, si probationũ differentias scire cupis, in hoc 1.lib.percipies, & in lib.Rhet. ad Alex. Deliberatio, ac iudicia] quid inter deliberatiuũ genus intersit, & iudiciale, explicat.

Proba-

Probatio, ac fides est ratio, & uia, quę ad Rhetoricam pertinet, eaque est quędam argumenti conclusio, quæ Enthymema appellatur.

IAM verò illud certum, atq; exploratū est, eam uiam, atque rationem, quæ ad artem pertinet, totam in probationibus esse positam. probatio autem, ac fides, quædam est argumenti conclusio: tunc enim maximè credimus, cùm rectè conclusum esse putamus. rhetorica porrò conclusio, probatioque uocatur enthymema: hoc enim omnium probationū plurimum ualet. Est autem enthymema syllogismus, ac ratiocinatio quædā. de omni uerò syllogismo tractare Dialecticæ proprium est, uel uniuersæ, uel certè cuiusdam partis eius. Non dubium est igitur, eum, qui perspiciendi facultatem habet, ex quibus propositionibus, & quo pacto collocatis syllogismus fiat, acerrimū in argumentando, & argutissimum oratorem futurum: modò præterea intelligat, quæ sit materia, quā tractent: & in qua uersentur enthymemata, & quo modo à dimostratiuis syllogismis distinguantur: eiusdem enim facultatis est, & quid uerum, & quid uirisimile sit, intelligere. Huc accedit, quòd homines ipsi à natura ad ueritatem satis informati sunt, & in maiori rerum parte ueritatem consequuntur. quapropter eiusdem hominis est, qui ad uerum conijciendum aptus sit, etiam ad res probabileis, ita se habere ut facilè eas indagare queat. Iam igitur cur ij, qui de Arte dicendi scribunt, quæ sunt extra causam persequuntur, & cur ad iudiciale genus magis inclinarunt, satis ostensum est.

Enthymema] enthymema omne est syllogismus, sed non contra : etenim enthymema uerisimilia concludit, & uerisimilia sunt probabilia, demonstratiua autem uera. Argutissimum oratorem] quę oratio conueniat acerrimo , atque argutissimo oratori declarat.

Rhetoricam utilem esse.

VTILIS est autē Rhetorica; propterea quòd res ueræ, ac iustæ natura meliores, ac potentiores sunt, quàm contrariæ. quòd si non rectè iudicia exerceantur, necesse est, eas a falsis, & iniquis superari, hoc autem uituperatione, ac reprehensione dignum est: præterea apud quosdam homines, etiam si exquisitā scientiam haberemus; non facile esset argumentis ab ea ductis, dicendo persuadere: quæ enim a scientia proficiscitur oratio, munus, operamque doctoris requirit, quod in persuadendo fieri non potest. Sed omnem probationē, & orationē à cōmunibus, ac probabilibus ducere opus est, ut in Topicis ēt diximus, cùm doceremus, quomodo cum imperita multitudine congrediendum sit. iam uerò etiam opus est, res contrarias dicendo persuadere posse, quemadmodum in syllogismis, ac disserendi ratione fieri solet: non quidem, ut utrunq; faciamus: neque enim, quæ mala sunt persuadere oportet, sed ne lateat nos, quomodo hoc fieri possit; & si quis huiusmodi oratione non iustè utatur; eam refellere ualeamus. Ex alijs autem artibus nulla est, quæ in contrarias parteis disserat: uerum Dialecticæ, ac Rhetoricę tantùm hoc ꝓ-

prium

prium est; ambæ enim eodem modo in utranque partem differunt, & contraria colligunt: sed tamen res, quæ his artibus subiectæ sunt, non eodem modo se habent: semper enim, quæ ueræ, ac meliores natura sunt, illæ facilius etiam probantur, & persuadentur, dico autem, ut generatim, & plerunque fit. præterea si turpe est homini, non posse sibi ipsum corpore opitulari; quanto turpius erit, oratione se defendere non posse, quæ magis, quàm usus corporis, hominis propria est. siquis obijciat, maxima incommoda eum importaturum, qui iniustè hac dicendi facultate utatur, hoc iam commune est cum alijs bonis omnibus, præter uirtutem, & cum eis præcipuè, quæ maximas utilitates adferre solent: ut cum fortitudine corporis, cum bona ualetudine, cum diuitijs, cũ arte imperatoria: quibus si iustè quis utatur; plurimũ prodesse: sin iniustè; nõ mediocriter obesse põt.

Vtilis est Rhetorica] circa res ueras, ac iustas nec in aliquo certo ac definito genere conclusas uersari Rhetoricam sentit: sed & res contrarias dicendo persuadere posse, atque refellere. Et idcirco hoc dialecticæ, ac rhetoricæ propriũ est, quòd ambæ eodem modo in utranque partẽ differũt, & cõtraria colligũt: attamen res, quæ in his subiectæ sunt artibus, quæ ueræ, ac melio res sunt, illæ facilius probantur, ac persuadẽtur.

Rhetoricam non esse in aliquo certo, ac definito genere.

IAM igitur dicendi Artem non esse in aliquo cer

to, ac definito genere, sicuti neque Dialectica est, & magnopere utilem esse, perspicuum est: præterea officium eius esse, non persuadere, sed ea uidere, quæ ad persuadendum accommodata sint. quod etiam in alijs omnibus artibus usu uenit: neque enim medici officium est sanare, sed usque eo rem producere, quo ratio curandi patitur. non enim fieri potest, ut is benè, atque ex arte curetur, qui bonam ualetudinem recuperare nullo modo possit. Illud etiam manifestum est, eiusdem artis esse, & quod appositum est ad persuadendum, & quod uidetur appositum inuenire: quemadmodum Dialecticæ est uerum syllogismum, & qui uerus uidetur, intelligere: fallax enim & captiosus disputator non ex facultate, sed ex uoluntate, atque delectu debet æstimari. sed ea est differentia, quòd in arte dicendi tam is, qui fallacibus utitur argumentationibus, quàm is, qui scientia contentus, eas refugit, orator uocatur. In differendi uerò ratione distincta sunt nomina: nam qui studio fallendi ducitur, sophista: qui autem facultatem quidem habet fallendi, sed ea non utitur, dialecticus appellatur. Sed age iam de ipsa arte dicere aggrediamur, & quomodo, quibusq; argumentationibus ea, quæ proposita sint, assequi poterimus. rursus ergo, tanquam à principio, naturam eius definiendo aperiamus, deinde etiam de reliquis dicamus.

Officium eius esse] Rhetoricæ officium est non persuadere, sed ea inuenire, quæ ad persuadendum accommodata sunt. Sed ea est differẽtia] tam is, qui fallacibus utitur argumentatio-

nibus, quàm is, qui ſcientia contentus, refugiat orator uocatur.

Rhetorica eſt facultas uidendi quid idoneum ſit ad fidem.

Est igitur Rhetorica uis quædam, ac facultas inueniendi, quid in quaque re ſit ad perſuadendum ac commodatum: hoc enim nullius artis alterius officiũ eſt: nam artes aliæ ſingulæ tantum ea docere, ac probare contendunt, quæ materiæ illius ſunt, in qua uerſantur: ut medicina, quid ſalubre, quid inſalubre ſit: geometria, quæ ſint euenta, quæ magnitudinibus accidunt: arithmetica numeros, eodem modo aliæ artes, & ſcientiæ. Rhetorica uerò de omni, penè dixerim, propoſita quæſtione appoſitè ad perſuadendum dicere poteſt. Atque ideo dicimus, eam non in aliquo proprio, aut definito genere artis ſuę uim habere.

Eſt igitur Rhetorica] quid ſit Rhetorica, definit, eamque de omnia pene dixerim, propoſita quæſtione appoſitè ad perſuadendum dicere poſſe aſſerit: & ideo non in aliquo proprio, aut definito genere artis ſuæ uim habere.

Probatio, ſiue fides alia artis expers eſt, alia artificioſa.

Probationum autem aliæ quidem expertes artis, aliæ uero artificioſæ ſunt. Experteis artis eas uoco, quæ noſtra opera non pariuntur, ſed extrinſecus aſſumuntur, ut teſtimonia, & quæſtiones, & eius generis cætera: artificioſas autem eas, quas artis

 præſidio

præsidio discimus, & cùm inhæreant in ipsa re, reperiri industria nostra, atque inde erui possunt. ita in superiore genere de tractandis argumentis, in hoc etiam de inueniendis cogitatum est.

Probationum] aliæ sine arte reperiuntur, ut testimonia, scripta, leges, & id generis, quæ exterius assumuntur: aliæ quę arte, & industria pariuntur. atque harum tria sunt genera: nam aliæ ad oratorē pertinent, ueluti quæ in uita, ac moribus oratoris positæ sunt: aliæ in iudice permouendo, atque afficiendo: aliæ in ipsa oratione, cum aut probatur aliquid, aut probari uidetur. hæc autem tria consequetur orator, qui disserendi rationem, & morū atq; uirtutum cognitionē, & pturbationū animi naturā perceperit.

Probatio artificiosa alia tū à uita, ac moribus oratoris, tum a cognitione morum, ac uirtutum sumuntur: alia in promouendo, atque afficiendo iudice: tertia est in oratione ipsa.

EARVM *uerò probationum, quas dicendo acquirimus, tria genera sunt: nam aliæ in uita, ac moribus oratoris positæ sunt: aliæ in promouendo, atq; afficiendo, prout opus fuerit, auditore: aliæ denique in ipsa oratione; cum aut probatur aliquid, aut probari uidetur. Quæ à uita, & moribus probatio nascitur, ea tunc fit; cum ita habetur oratio, ut eum, qui dicit, dignum, cui fides habeatur, uideri faciat: probis enim uiris & magis, & celerius credimus, atque hoc generatim in omnibus quidem rebus: at in ijs*

præci-

præcipuè, quæ certo ſciri non poſſunt, ſed uariè tra-duntur, omnino bonorum uirorum ſententijs acquie ſcimus. hoc autem etiam ipſo genere orationis con-ſequi oportet: neque ſatis eſt oratorem, ante conce-ptam de ſe bonam opinionem ad dicendum adſerre: neque enim audiendi ſunt quidam artis ſcriptores, qui oratoris ante perſpectam probitatem in arte col locant; tanquam ſi boni mores, ad tempus oratione expreſſi, nullã ad perſuadendum uim haberent. quin auſim dicere, maximam ferè omnium uim fidei fa-ciendæ in moribus exprimendis eſſe poſitam. Alte rum genus probationis, quod ab auditoribus profici-ſcitur, fit cùm motum aliquem animi miſcet oratio: neque enim eodem modo de aliqua re iudicamus; cum mœremus, & gaudemus, aut cum diligimus, & odio proſequimur: qua in una re tantum eos laboraſ ſe dicimus, qui hactenus de Arte dicendi conſcripſe runt. ſed de his omnibus ſigillatim tractabimus, cũ motiones animorum explicabimus. Tertium proba-tionis genus oratione fit; cum aut uerum, aut quod ueri ſpeciem habet, concludimus, ex eis argumenta ducentes, quæ in quaque re ſunt ad perſuadendum ac commodata. Cùm igitur omnes artificioſæ proba-tiones per hæc fiant; perſpicuum eſt, eum ſolum hæc tria conſequi poſſe, qui diſſerendi rationem, & mo rum, atq; uirtutum cognitionem, & perturbationum animi naturã pceperit; ut ſciat, qd unaquęq; pertur batio ſit, & qualis, & ex quibus excitetur, & quo-modo. Itaque fit, ut Rhetorica ſit propago quædã, & quaſi pullulatio Dialecticæ, & facultatis eius, quæ

de moribus tractat: quam rectè ciuilem ſcientiam appellabimus. atque ideo Rhetorica ſibi habitum, ac formam ſcientiæ ciuilis inducit: qui huic arti incumbunt, partim ignoratione rerum, partim inani gloria ducti, partim alijs etiam humanis, cauſis ciuilem ſe tenere ſcientiam profitentur; cum particula tantùm quædam, & imago Dialecticæ ſit, quemadmodum initio diximus: neutra enim earum alicuius definitæ rei ſcientia eſt, ut quærat, quomodo res ea ſe ſe habeat: ſed facultates quædam ſunt inueniendi, quid in quaque re probabiliter dici poſſit. Iam igitur de utriuſque ui, ac poteſtate, quoque modo inter ſe coniunctæ ſint, ſatis, ut opinor, dictum eſt.

Probationes ſunt Enthymema, & exemplum: & quid eorum unumquodque ſit.

In *probationibus autem, quæ aut uerè demonſtrant, aut tantum uidentur demonſtrare, quemadmodum in Dialecticis inductio eſt, & uerus ſyllogiſmus, & præterea tantum apparens ſyllogiſmus; ita etiam in hac arte: exemplum enim inductio eſt, enthymema uero ſyllogiſmus. uoco autem ego enthymema quidem, oratorium ſyllogiſmum, exemplum autem inductionem oratoriam. omnes enim oratores cum aliquid dicendo probare uolunt, aut exemplis, aut enthymematibus utuntur: & præter hæc nihil habent. Quare ſi omnino neceſſe eſt, eum, qui probare aliquid uelit, aut ſyllogiſmo, aut inductione uti, quod ex ijs, quę ſunt a nobis, in libris Analyticis explicata, perſpicuum eſt: neceſſitas cogit, ut utriuſq;*

illorum

illorum natura utrique eorum par, atque eadem ſit. Quæ autem differentia ſit exempli, & enthymematis facilè ex topicis intelligi poteſt: ibi enim de ſyllogiſmo, & inductione iam antea dictum eſt: nam cum ex pluribus, & ſimilibus ita, ut uolumus, rem ſe habere oſtendimus; ibi quidem inductio eſt, ut in hac arte exemplum. neque illud dubium eſt, artem ipſam facultatemq; dicendi hoc utrunque in ſe bonum habere: ut enim in libris de diſſerendi ratione, quos Methodicos inſcripſimus, iam à nobis antea dictum eſt; ſic etiam in his de Arte dicendi res ſe habet. Cum uero, quibuſdam propoſitis, aliud quiddam ab eis eorum cauſa contingit, eò, quòd illa uel generatim ueræ ſint, uel plerunque fiant; in Dialectica quidem ſyllogiſmus, in Rhetorica uerò enthymema uocatur: ſunt enim dictiones quædam oratoriæ, quæ potiſſimum exemplis conſtant: ſunt etiam, quæ totæ argumentis, & enthymematibus conficiantur: ſicuti oratores quidem exemplis magis, quidam argumentis delectantur. orationes aūt, quæ cōſtant exēplis, ſunt quidem ad dicendum accommodatæ non minus, quam aliæ; ſed illæ, quæ ſunt enthymematibus refertæ, maiore quodam impetu animos commouent. Verum quæ ſit utriuſque cauſa, quoque modo ſit utroque utēdum, alio in loco poſtea dicemus.

Probabile, uerisimile, & ſigna enthym. & exempli fundamentum in conſultationibus.

NVNC aūt de ijs, quæ tractare cœpimus, magis enucleatè, diſtinctèque diſſeramus. Nam quod probabile

babile est,id est eius naturæ,ut per se esse non possit; sed alicui semper probabile sit. id autem duplex est: aliud enim simul, atq; auditũ est,ex ui sua probatur, & creditur,aliud autẽ arte indiget; ut propositis rationibus demonstretur.nulla uerò ars est, quæ, quid in singulis rebus fieri debeat,consideret: ut medicina non docet,quid Socrati,aut Calliæ salubre sit; sed quid homini sic affecto,aut cunctis, qui eodem morbo laborant: hoc enim ad artem spectat. quod autẽ singulare est, atque indiuiduum, id infinitum habetur,& nulla scientia comprehendi potest. neque igitur Rhetorica probabile quęret eiusmodi,quod unius alicuius opinioni conueniat,ut Socratis,aut Hippiæ; sed quod omnibus,qui ita animo sunt affecti: quemadmodum etiam Dialectica: nam neque illa ita ratiocinatur,ut undique arripiat sine ullo discrimine, quæ alicui uideantur, siquidem etiam deliris hominibus probabilia quædam uidentur: sed ex ijs argumentatur, quæ ratione allata probari possunt: Rhetorica uerò ex ijs, quæ in consultationem uenire cõsueuerunt: est enim artis oratoriæ proprium munus ea tractare,de quibus consultamus, & quorum adhuc arteis traditas non habemus,& apud auditores eiusmodi,qui per multas rationes acutè rem intelligere non possunt,neque procul posita,ac longinquiora spectare.deliberamus autem de rebus illis, quæ uidentur in utranque partem cadere posse: de ijs uerò, quæ nullo modo fieri potest,ut aliter aut fuerint,aut futura sint,aut sint,nemo est,qui deliberet; si modò ea ita se habere intelligat: neque enim in rebus eius-

modi quiſquam aliter, quàm eo modo tantum, conſilium dare poteſt. Accidit autem ijs, qui aliquid ratione concludunt, ut quædam aliquando colligant ex rebus antea concluſis: quædam autem ex rebus, quæ nondum quidem concluſæ ſunt, ſed probatione indigent: eo quòd minimè probabiles eſſe uideantur. quorum alterum neceſſe eſt, difficile eſſe ad intelligendum ob longitudinem: diſceptatorem enim rudem eſſe ponimus, atque in diſciplinis minimè uerſatum: alterum autem ad perſuadendum haudquaquam accommodatum: eo quòd neque ex rebus manifeſtis, neq; ex probabilibus proficiſcatur. Itaq; neceſſe eſt enthymema, atque exemplum ex rebus eiuſmodi eſſe, quæ nihil in ſe firmitatis habent; ſed aliter, atq; aliter ſe habere poſſunt, ut exemplum quidem inductionis: enthymema uerò ſyllogiſmi ſpeciem, ac imaginem habeat. Ex paucis autem, & ſæpè ex paucioribus enthymema fit, quàm primus ille atque integer ſyllogiſmus: ſiquid enim notum, atque exploratum fuerit, id ſanè nihil attinet dicere: quoniam ipſe auditor illud adiungit: ut ſiquis probare uelit, Doricũ certamen uiciſſe, in quo uictor corona donatur, ſatis erit dicere: uicit enim Olympia. quòd autẽ in Olympijs uictor corona donetur, non opus eſt addere: omnes enim hoc ſciunt. Pauca uerò neceſſaria ſunt eorum, ex quibus oratorij ſyllogiſmi conficiuntur: maiori enim ex parte, quæ in iudicium, ac deliberationem ueniunt, etiam aliter ſe habere poſſunt: ſolent enim homines de ijs rebus deliberare, & cogitare, quas in uita gerunt: quæ uerò aguntur, eiuſdẽ generis

ris omnia sunt; neque quicquam, penè dixerim, eorum ex necessitate fit. hæc autem ipsa, quæ plerunque fiunt, nec eodem modo se semper habent, necesse est ex propositionibus eiusdem naturæ confirmari; sicuti necessaria ex necessarijs probantur: quod ex analyticis libris clarius intelligi potest.

Verisimilia, atque signa quænam sint.

QVARE *perspicuum est, eorum, ex quibus enthymemata fiunt, aliqua quidē esse necessaria; sed pluri ma ex eis esse talia, quæ plerunq; tantùm sine ulla necessitate fiunt: ducuntur enim enthymemata ex uerisimilibus, & signis. itaq; necesse est, ut horum vtrunq; alteri eorum respondeat, atq; idem sit: nam verisimile est tanquam id, quod plerunq; fit, non tamen absolutè, sicuti quidam existimant, sed quòd in eis uersetur, quæ aliter etiam euenire possunt: & quòd ita se habeat ad id, cuius est uerisimile: sicuti se habet id, quod generatim atque uniuersè fit, ad id, quod fit sigillatim, & in parte. Signorum uerò duo sunt genera: quorum alterum ita se habet ad id, cuius est signum, sicuti quod in parte fit, ad id, quod in uniuerso genere: alterum autem sicuti, quod in uniuerso genere fit, ad id, quod in parte. quin ex his ipsis id signum, quod necessarium est, indicium uocatur, uel propria nota. quod autem non est necessarium, caret certo, ac proprio nomine, quo ab alijs distinguatur. At uerò necessaria illa uoco, ex quibus syllogismus, ac firma conclusio fit. quocirca genus hoc signorum tecmerium dicitur, hoc est, indicium, ac propria nota:*

ta:

ta: cùm enim id, quod dixerint, nullo modo solui posse existimant, tunc opinantur, id signum tecmerium esse, atque ita ipsum appellãt, tanquã, quod iam probatum, atque confectum sit. prisca enim Græcorum lingua tecmar, idem erat, quod extremum, atque ultimum. genus autem illud signorum quod, ita se habet ad id, cuius signũ est, sicut singulę res ad uniuersum genus, tale est, ut, siquis affirmaret, signum esse uiros sapienteis esse etiam iustos, quia Socrates erat sapiens, & iustus, hoc quidẽ certè signum est, sed facilè dissolui, ac refelli potest, etiam si uerum fuerit id, quod dicitur: nihil enim in se firmi habet, neque necessariò concluditur. Quòd siquis ita dicat, Hunc hominem ægrotare, signum est eò, quòd febri laborat: aut, Hæc mulier peperit, quoniam lac habet, iam hoc erit firmum, & necessariè conclusum. atque hoc signorum genus solum tecmerium, ac propria nota uocatur, solumque si uerum fuerit id, quod dicitur, refelli non potest. Alterum genus signorum, quod ita se habet ad id, cuius est signum, sicuti, quod est in uniuerso genere, ad id, quod in parte est, fit hoc modo, ut, siquis diceret, Hunc hominem febri laborare signum est eò, quòd crebrò respirat. sed hoc facilè solui potest, etiam si uerum fuerit, quoniam accidit ẽt eum, qui febri non laborat, aliquando crebro respirare. Quid igitur uerisimile sit, & quid signum, & propria nota, quaque ratione differant, satis pro tempore dictum sit: planius enim, atque dilucidiùs de his omnibus, & qua de causa partim quidem nihil certi concludant, partim autem conclusionem firmant, sta-

bilemque

bilemque habeant, in Analyticis libris iam anteà diſputauimus.

Enthymema uoco oratorium ſyllogiſmum] Enthymema eſt breue argumentum ab una propoſitionē infinitè, uel finitè aſſumpta ad alterā infinitè, uel finitè illatam exempli gratia. Qui Olympiam uincet, coronabitur. Doricus igitur coronabitur, uel. Doricus Olympiam uicit; coronabitur igitur. Conſtat aūt enthymema ex cōcluſione, & altera propoſitione ſiue maiori, ſiue minori. Nec intereſt, an propoſitio concluſionem antecedat, ut Doricus Olympiam uicit, ergo coronabitur: aut concluſio propoſitionem, ut Doricus coronabitur; propterea quòd Olympiā uicit: aut ſi dicatur, Doricus, quia Olympiā uicit; coronabitur. prop. infinita eſt oratio, quæ nec uniuerſalis eſt, neque particularis, neq; ſingularis, nec in perſonis, nec in locis, nec in temporibus, nec in reliquis circunſtantijs. talis eſt. Vincens coronabitur. concluſio autem Enthymematis inquirēda non eſt; ſiquidem omnis cōcluſio, ſiue ſubiectum, ſiue propoſitum, de quo agi debet, eſt per ſe notum: ſed propoſitio, ſiue ratio, qua concluſio illa ſit probanda, perquirēda eſt. Loca uerò in genere huic inueniendę idonea ſunt tria. Primum eſt accidens, quod eſt effectus ad cauſam, ueluti hæc mulier lac habet; igitur peperit. & quæcunque enthymemata hoc conficiuntur loco, ſunt apud Rhetores neceſſaria: & idcirco appellātur tecmirium, quaſi inſolu

bilis

bilis coniectura. secundus locus est, cum ratio, siue propositio ab aliquo desumitur accidente, & postea accidens aliud concludit, sicut Cacus noctu uagatur, igitur fur est. atque hoc enthymema dr̃ icos. Tertius porrò locus est ab accidente, quod in substantia existit, ad accidens in accidente; quemadmodum Pythacus est sapiens, & studiosus; studiosus igitur est sapiens. & hoc enthymema Digma, siue simion, hoc est, signum. quapropter manifestum fit Enthymemata fieri nō semper ex necessarijs propositionibus; siquidem hæ uulgaribus non comprehenduntur hominibus, sed ex his, quæ uera, & certa uidentur non oratori, sed his, qui audiunt, omnibus, uel pluribus. In l. autē 2. Rhe. distribuit in duas species, de quibus ibi differemus.

Exemplum quid sit, & quomodo confici oporteat.

Qvod autem exemplum sit idem, quod inductio, & quibus in rebus inductio fit, ostensum est, sed tamen non ita se habet, ut pars ad totum, neque ut totum ad partem, neque ut totum ad totum, uerùm, ut pars ad partem, & quod simile est ad id, cui est simile: cùm enim ambo illa, quæ sumuntur, sub eodem genere posita fuerint, & alterum altero notius, & apertius sit, tunc id exemplum est. ut, siquis probare uelit, Dionysium appetere dominatum regium, cum salutis suæ custodes petat, & dicat, Pisistratum anteà custodes petijsse, cùm regnum appeteret, & cùm

eos impetrasset, tyrannidem occupasse: Theagenemque idem Megaris fecisse, & alios, quoscunque nouerit, idem fecisse. omnes exemplum fient Dionysij, quem adhuc ignorant, an ea de cã custodes petat, hæc enim omnia sub eodem genere, ac proposito continentur, quòd quicunque regnum appetit, custodes salutis suæ petit. Iam igitur undè probationes illæ ducuntur, quæ speciem habent demonstrandi, declaratum est.

Quod autem exemplum sit idem, quod inductio] Quemadmodum syllogismus, & inductio sunt duo argumentorum genera, quæ ad Dialecticam pertinent, sic enthymema, & exemplum ad Rhetoricã. pars aũt orationis oratoriæ est fides. fides aũt & persuasio idem est: & hęc est duplex, altera inartificialis, ueluti leges, testes, pacta, quæstiones, & iusiurandum: etenim eis utimur ut præexistentibus. Artificialis uero est duplex, altera ad causam, altera extra causam. ad causam uerò attinet uerisimilis oratio, quæ uerum aut uerisimile ex ueris, aut uerisimilibus persuadeat. Extra causam uerò est triplex, morata, affecta, atque accommodata. morata auctoritate uiri, & eius uirtute cõstat. affecta præ se fert gestibus, quibus commouentur auditores ad cõmiserationem, indignationem, & id generis affectus. accommodata fit ad mores audientium. Fides porrò artificiosa diuiditur in Enthymema, & exemplum. de enthymemate antea egimus. Exempli uerò est duplex species: altera,

ſi res geſtas memores: altera, ſi fingis, & huius aliud eſt ſimilitudo, aliud apologus, ut Aeſopi. At uerò omne exemplum eſt comparatio quædam, & comparatio fit, cum duo, aut plura in tertio aliquo conferuntnr, quod commune ſit eis ſiue re ipſa, aut per ſimilitudinem, uelut. ſicut Piſiſtratus cum regnum appeteret; cuſtodes petijt: Theugenesque, & alij; ſic Dionyſius, qui ſalutis ſuæ cuſtodes petit; dominatum regium appetit. ſed, quemadmodum comparatio alia dicitur æqualis, alia maior, & alia minor; ſic & exēplum. uerùm comparationes hæ non ex perſonis ſolum conſtant; ſed ex locis, temporibus, modis, occaſionibus, alijsque circunſtantijs. Verum ad exemplum proferendum hæc ſunt obſeruanda: primum ut non fiat a toto ad totum, ut omnis homo loquitur: igitur omnis homo intelligit. deinde nec a toto ad partem, uelut homo eſt laude dignus: Socrates igitur eſt laude dignus. tertiò nec à parte ad totum, quemadmodum Socrates ualet; & ideo homo ualet: hæc. n. potius enthymemata dicuntur, quàm exempla. quapropter a parte ad partem fiet exemplum, ueluti à perſona ad perſonam cum his, quæ ad perſonam pertinent, atq; omnibus his, quæ perſonam circunſtant, utputa locus, tempus, efficiens, occaſio, modus, & inſtrumenta. unde ſi perſona ad perſonam comparetur, ut ætas ad ætatem, ſexus ad ſexum, robur corporis ad robur, dignitas ad dignitatem, ut rex ad regem, atque

aliæ consentiat circunstantiæ exemplum a pari nuncupabitur: si uerò persona personæ præstet, atque aliæ partes; dicetur a maiori: si contra; à minori. De similitudine uerò, atque de Apologo alias differemus.

Enthymemata duci, tum ex proprijs locis, tum ex communibus.

In ipsis autem enthymematibus maxima est differentia, quæ omnes ferè plurimum fallit, atque eadem est enthymematum differentia, quæ in differendi ratione syllogismorum est. nam enthymemata quędam ipsius artis dicendi propria, sicuti syllogismi etiam quidam Dialecticæ proprii sunt, quædam autem ad alias artes, & facultates pertinent: quæ uel iam inuentæ sunt, & excultæ, uel nondum planè cognitæ, penitusq́; perspectæ sunt. Itaque sæpe fit, ut auditores fallant, & qui huiusmodi enthymemata magis, quàm conueniat, amplectuntur, artis oratoriæ fineis transiliunt, hoc autem, quod dico, clarius, & apertius erit, si pluribus uerbis explicetur. Eos enim ego Dialecticos, & oratorios syllogismos voco, qui dicuntur ex locis, in quibus latent argumēta. Loci verò dicuntur ij, qui communiter de rebus, quæ ad mores, & ad naturam, & ad ciuilem scientiam pertinent, & denique ad alia multa, quæ specie inter se differant, argumenta continent, vt locus, qui ex maiore, & minore dicitur, neque enim ex hoc loco magis de rebus iustis, quàm de rebus naturalibus, aut de qualibet alia re, uel syllogismo conclude-

re aliquid, vel enthymemate probare licet. atqui hęc sine dubio specie differunt. Propria uerò cuiusque artis argumenta sunt, quæ constant è proposionibus, ab arte illa ipsa desumptis. exempli gratia, in rebus naturalibus propositiones sunt, ex quibus nemo poterit aut enthymema, aut syllogismū formare, qui ad vitam, & mores pertineat. & in moralibus rebus sunt aliæ propositiones, ex quibus nihil concludi potest, quod ad naturam spectet: atque eadem est in cæteris omnibus ratio. illa verò argumenta, quæ communiter ex locis sumuntur, neminem possunt huius, aut illius artis peritum facere, quoniam nullam habent certam sibi subiectam materiam: atqui proprias artium propositiones quanto quis exquisitiores elegerit, tanto magis a proposito suo abberrabit, & in alia scientia versabitur, quam in Dialectica, aut Rhetorica. si enim ad alicuius artis principia peruenerit: iam non erit Dialectica, aut Rhetorica, sed erit illa ipsa ars, cuius ea principia fuerint, maiori autem parte enthymemata fiunt ex propositionibus illis, quæ propriæ, peculiaresq; sunt alicuius artis, e communibus autem locis longe pauciora. Quemadmodum igitur in Thopicis; ita etiam in hoc opere distinguendæ sunt enthymematum species, & loci, inde sumuntur argumenta, voco autem species enthymematum, proprias cuiusq; generis propositiones: locos verò sedes argumentorum, æqualiter omnibus communeis, prius igitur de formis enthymematum, quàm de locis, dicamus. ac primò Rhetoricæ genera videamus; vt, cum ea, quot numero sint, explicue-

 rimus

rimus; sigillatim deinde cuiusque generis elementa, propositionesque tractemus.

In ipsis autem enthymematibus maxima est differentia] Quædam appellantur enthymemata propria, quędam communia. Propria dicendi ipsius artis sunt, quæ ducuntur à locis, qui communiter de rebus, quę ad mores, & ad naturam, & ad ciuilem pertinent scientiam: talia enim argumenta constant è propositionibus ab arte dicẽdi desumptis. communia uerò sunt, quæ ex locis sumuntur, quæ neminẽ possunt huius, aut illius artis peritum facere: quia nullam habent certam sibi subiectam materiam.

Tria esse causarum genera, quæ sunt enthymematum subiecta, quę à locis sumuntur proprijs.

S V N T *autem Rhetoricæ genera numero tria, tot enim etiam auditorum genera reperiuntur: nam ex tribus rebus oratio constat, ex eo qui dicit, ex materia de qua dicitur, ex eo apud quem verba fiunt. quin etiam cuiuslibet orationis finis ad auditorem refertur. Necesse est autem, vt is, qui audit, uel auscultator tantum sit, uel etiam disceptator: disceptator uerò, qui uel de præteritis statuat, uel de futuris. & de futuris quidem statuit, ut is qui in concione dicentem audit: de præteritis autem, ut iudex. at uerò auscultator de oratoris facultate iudicat. Quare necesse est tria causarum esse genera, deliberationis, iudicij, exornationis. Deliberationis autem duæ sunt partes; altera suasio, altera dissuasio: nam*

& qui priuatè de re aliqua deliberant, & qui publicè concionantur, semper horum alterutrum efficiunt. Iudicij uero partes sunt accusatio, & defensio: qui enim in iudicio uersantur, horum alterum facere oportet. Exornationis denique partes sunt laus, & uituperatio. Quinetiam horum trium generum tempora distincta sunt: nam deliberationi futurum tempus datur: qui enim deliberat, siue suadeat, siue dissuadeat, de futuris delibera. iudicio uerò præteritum tempus est propositum: nam de rebus iam factis semper hic quidem accusat, ille autem defendit. exornationis maximè quidem proprium est præsens tempus, qui enim laudant, uel uituperant aliquem, ea, quæ tunc in eo sunt, considerant; sed tamen etiam preterita reminiscentes commemorant, & de futuris coniecturam faciunt. Finis præterea cuique generi propositus est, &, cum tria sint genera; tres etiam erunt fines: nam in deliberando finis est utilitas, & detrimentum, qui enim suadet aliquid, illud tanquam melius suadet, & qui dissuadet tanquam deterius dissuadet. alia uero omnia huc referuntur; ut siquid iustum aut iniustum, honestum aut turpe dicatur. in iudicijs quid æquum, aut iniquum sit, quæritur, siqua uerò sunt alia, huc referuntur. in exornationibus, qui laudant & uituperant, honestum & turpe sibi proponunt, & reliqua omnia huc referunt. Quòd autem hi sint fines, unicuiq; generi propositi, illud apertè declarat, quòd de alijs rebus interdum ne contendunt quidem, ut in iudicio, quin fecerit, aut quin læserit, sed ne-

mo vnquam, iniustè se fecisse fateretur, alioquin omnis statim controuersia tolleretur. eodem modo, qui consulunt, alia sepænumero non curant; sed nunquã fateretur, se vel inutilia suadere uel ab vtilibus retrahere. quin sæpe non verentur dicere, non esse iniustum, aut finitimos populos, aut eos, qui nihil læserunt, in seruitutem redigere. simili ratione, qui laudant, aut vituperant, non illud attendunt; vtrum is, de quo dicunt vtilia: an inutilia fecerit, sed etiam in magna sæpe laude ponunt, siquis, vtilitate propria neglecta, honestum aliquid effecerit: vt Achillem in eo laudant, quod opitulatus est Patroclo sodali suo, quamuis sciret ea de causa se moriturum, cum liceret ei viuere. huic igitur mors eiusmodi in primis honesta fuit, vita vero fuisset vtilis.

Sunt Rhetoricæ genera numero tria,] tria sunt causarum genera, demonstratiuum, deliberatiuum, & iudiciale, demonstratiui duplex est pars laus, & uituperium: deliberatiui item suasio, & dissuasio: sic iudicialis accusatio, & defensio laus, & uituperiũ ẽ de rebus presentibus: sed & præterita reminiscentes commemoramus, & de futuris coniecturam facimus. Suasio autem, & dissuasio de futuris est. qui enim deliberet, de futuris deliberat. Iudiciale præteritum tempus habet: nam de rebus iam factis semper hic quidem accusat, ille autem defendit. Finis uerò cuique generi propositus est. In iudicando finis est iustum, & iniustum: in deliberando utile, & inutile: in demonstrado honestum, & turpe.

Proprijs desumptis propositionib. ad communes est ueniendum: & hæ quænam sint.

PERSPICVVM *est autem ex ijs, quæ dicta sunt, non aliter hæc tractari posse; nisi quis primo eorum propositiones habuerit. propositiones uero rhetorum sunt propriæ rerum notæ, verisimilia, & signa: nam omnis syllogismus ex propositionibus conflatur. enthymema vero syllogismus quidam est, qui constat ex prædictis rhetorum propositionibus. Sed, quia quæ fieri nullo modo possunt, ea neque possunt iam esse facta, neq; postea fieri: nam ea tantum fiũt, quæ fieri possunt eodem modo, quæ nũquam fuerunt, neque futura sunt, ea, non fieri potest, vt aut facta sint, aut vnquam fiant. ideo necesse est, vt qui consulit, & qui in iudicio, & qui in demonstratiuo genere versatur, propositiones habeat de eo, quod fieri potest, aut non potest: ex quibus intelligatur, vtrum res facta sit, an non facta: & vtrum futura sit, an non. Præterea, cum omnes, qui laudant & vituperant, qui suadẽt, & dissuadent, qui accusant, & defendũt, non solum prædicta demonstrare conentur; sed etiam rem vel magnam, vel paruam esse, vel bonam, vel malam, vel honestam, vel turpem, vel æquam, vel iniquam, aut per se consideratam, aut aliarum comparatione: perspicuum est, eos etiam oportere de magnitudine, & paruitate rerũ, & de maiori, & minori propositiones habere, atque illas, & generatim, & sigillatim; vt quod maius bonum, aut minus: qđ maius peccatum, aut meritum, & de alijs eodem mo-*

testateq; situm est:nam usq; eò consultando procedimus; donec inuenerimus, utrum à nobis ea fieri, an non fieri possint. Singula igitur diligenter enumerare, atq; in species digerere, de quibus statuere solent, & quantum fieri posset ex ueritate perpẽdere, nihil opus est in præsentia: neq; enim hoc Rhetoricæ artis officium est, sed alterius, quæ diligentius, & accuratius ueritatem inuestiget. tantum uerò abest, ut aliquid Rhetoricæ detrahamus, ut etiam ei longè plura concedamus, quàm re uera concedi debeant. Quod enim anteà diximus, uerum est, nempe Rhetoricam ex analytica scientia, & parte ciuilis facultatis, quæ in moribus uersatur, esse conflatam. similis est autẽ partim quidem Dialecticæ, partim uerò sophisticis disputationibus. Quòd siquis uel Dialecticam, uel hanc artem, non tanquam facultates, sed tanquam scientias, exquisitius tractare uoluerit; imprudens earum naturam penitus euertet: eo quòd illas ornandi studio captus, trãseat in scientias, quæ iam res aliquas certas, in quibus uersentur, subiectas habent, non autem rationes, & argumenta tantum. uerum nos, quæ utilitatem afferant huic arti; in præsentia pertractemus, ita tamen, ut exquisitam eorum explicationem ciuili sciẽtiæ relinquamus.

In his esse deliberationem] deliberatiuum genus in his est, de quibus consultamus. consultamus autem de his, quorum principium agendi in nostro arbitrio, atq; electione situm est, nõ autem de rebus naturalibus, atque usque eò consultando procedimus, donec inueneri-

mus, utrum a nobis ea fieri, aut nõ fieri possint.

Res de quibus consultamus, sunt quinque.

Res *igitur maximæ, de quibus omnes ferè con sultant, et de quibus deliberantes in cõcione sentẽtiã dicunt, quinque numero sunt, hoc est, de vectigalib. de bello, & pace, de custodia regionis, de ijs q̃ impor tantur, et exportantur, de ferendis legibus. Itaque si quis de vectigalibus bene consulturus est; eum red ditus ciuitatis nosse oportet, quot, qualesve sint: vt, siquis negligentia relictus sit; adiungatur &, siquis minor est, quàm confici possit; augeatur, præterea pu blicos ciuitatis sumptus nosse debet: vt, siquis su peruacaneus est; adimatur: &, siquis maior est, quàm conueniat, minuatur: non enim solum bona am plificando ditiores euadunt homines, sed etiã sum ptus detrahendo, hæc autem non tantum ex priuata rum rerum scientia possunt intelligi: sed etiam histo riarum peritum esse oportet, qui bene de his consultu rus sit, vt sciat, quomodo aliæ nationes ad hanc rem idoneas rationes inuenerint.*

Qui vero de bello, & pace consulturus est, co pias ciuitatis nosse debet: & quæ paratæ iam sint, & quæ parari possint: qualesq; sint & illæ, quæ sunt in promptu: & illæ q̃ præterea adiungi: quin etiam quæ bella gesserit, & quo exitu. neque tantum pro priæ ciuitatis bella, sed etiam finitimarum ciuitatũ expendere opus est: & præterea vireis eorum, con tra quos bellum fore existimatur: vt cum potentiori bus pax habeatur: cum inferioribus, in eorum, qui-

bus

bus consilium datur, arbitrio sit, vtrum bellum gerere velint, copias quoq; spectare oportet, vtrum similes, an dissimiles sint: nam hac de causa sepe contingit, vel superiores in bello, vel inferiores esse. præter hæc etiam opus est, non tantum suæ Reip. bella, sed aliorum etiam populorum animaduertere, & quem exitum illa habuerint, spectare: nam è similibus rebus similia euenire consueuerunt.

De custodia regionis qui dicturus est, scire debet, qua ratione custodiri possit, & quot ei rei copiæ, quales que sint necessariæ: præterea locos, vbi præsidia sint collocanda: quæ, nisi sit peritus regionis, scire nō poterit. Atq; hæc ideo noscenda sunt, vt si minor sit, quā oporteat; augeatur custodia, si qua redundans, auferatur, et ad locos magis opportunos traducatur.

De annona videndum erit, quanta, qualisq; ciuitati sufficere possit, &, cuius generis sit ea, quæ ibi nascitur, & quæ aliunde importatur: &, quę sint eæ res, quas exportare, & quas importare oporteat; vt conuentiones, & pactiones cum eis fiunt, quibuscum opus est. duo sunt enim hominum genera, quos obseruare neceße est, ne a ciuibus offendantur; nempè qui potentiores sunt, & qui rebus suppeditandis vtile esse possunt. Hæc omnia subtiliter videndi facultatem habeat oportet, qui de ciuitatis securitate consulturus est.

Sed illud non parui ponderis est ferendarum legum rationem intelligere; cum in legibus posita sit totius ciuitatis salus. Itaque scire necesse est, quot sint Rerump. genera, & quę cuique generi prosint, &

quæ

quæ interitum adferant, siue illa Reip. propria sint, siue aliena, & ei cōtraria. uoco autem ea propria Reip. quæ interitum adferāt: quoniam, uno excepto optimo ciuitatis statu, reliquæ oēs Resp. & cum remittuntur, & cum efferuntur, intereūt, ut popularis status nō solum remissus fit imbecillior, & tādem in paucorū dominatum delabitur: sed etiam, si uehemēter efferatur, interit: quēadmodum uitia, prauitatesq́; nasi, qui uel grypus, uel simus sit, nō tantum remißæ ad mediā, rectamq; formam ueniunt; sed ēt uehementer auctæ, ut si ualdè fiat grypus, aut simus nasus, eo tandē perueniāt, ut ne nasi quidē formā nasus habere uideatur. Illud autem in ferendis legibus utilissimum est, non solū aduertere, & considerare, quisnā Reip. status anteacto tempore profuerit; sed ēt apud exteras nationes, quæ Reip. species, quibus hominibus cōueniant. itaque perspicuum est ad legum ferendarum scientiā plurimum conducere terrarum peragrationem, in qua multarum gētium instituta, legesq́; licet agnoscere. at uerò in cōsiliis publicis historiarū, & antiquitatis cognitio mirificè utilis est. Sed hæc oīa uidere ciuilis scientiæ, nō autē Rhetoricæ proprium officium est. Res igitur maximæ, quarum cognitionem eum habere oportet, qui benè consulturus sit, hæc ferè sunt. deinceps uerò dicamus, quomodo uel ex his ipsis, uel ex aliis, quæ in deliberationem cadunt, & ad suadendum, & ad dissuadendum argumenta ducere possimus.

Res igitur maximę] Deliberatiuum genus in his existit, de quibus consultamus. res autem de quibus consultamus sunt quinque. & idcirco cir

ca hæc quinque deliberatiuum genus uerſatur, eaque ſunt uectigalia, bellum & pax, cuſtodia regionis, ea quæ importantur, & exportantur, & leges ferendæ.

Felicitas quid ſit, & ex quibus conſtent eius partes.

E S T *autem & priuatim ſingulis, & publicè ferè omnibus finis quidam propoſitus, ad quem aciem mentis dirigentes, omnia uel expetunt, uel fugiunt: Atque, ut in ſumma dicam ea eſt felicitas, & partes eius. Quare ſumamus, exempli gratia, non ſubtiliter quidem, ſed ſimpliciter, quid felicitas ſit, & ex quibus conſtent eius partes. de hac enim, & de ijs, quæ ad hanc referuntur, & de contrarijs huic omnes ſuaſiones, & diſſuaſiones eſſe ſolent: quæ enim felicitatem efficere poſſunt, aut aliquam eius partem, aut ex minore maiorem, ea ſunt amplectenda: quæ uerò illam uel corrumpunt, uel impediunt, uel contraria ſunt, omnino ſunt fugienda. Ponamus igitur, felicitatem eſſe uitæ proſperitatem, cum uirtute coniunctam, uel poſſeſſionem earum rerum, quibus uita contenta ſit, uel uitam cum ſecuritate iucundiſſimam, uel bonum, firmumq; ſtatum poſſeſſionum, & corporum, cum facultate cuſtodiendi, atque amplificandi, omnes .n. ferè confitentur felicitatem aut unum horum, aut plura ſimul eſſe. Quòd, ſi felicitas eſt huiuſmodi, neceſſe eſt eius parteis eſſe nobilitatem, gratiam, amicitiam proborum hominum, diuitias, bonam prolem, multitudinem filiorum, facilem*

ſenectutem,

senectutem, præterea corporis virtutes, vt bonam valetudinem, pulchritudinem, vireis, magnitudinem, certandi robur: quin etiam gloriam, honorem, prosperam fortunam, virtutem, atque eius parteis, prudentiam, scilicet fortitudinem, iustitiam, temperantiam. hac enim ratione nullius rei ad benè, beateq; viuendum indigebit is, cui bona omnia & quæ in eo sunt, & quæ extrinsecùs adueniunt, affatim adfuerint: nam præter hæc, nulla bona sunt. In ipso verò sunt ea, quæ vel in animo sunt, vel in corpore. extrinsecus adueniunt, vt nobilitas, amici, pecuniæ, honor. opes etiam atq; fortunam adesse oportere censemus: sic enim fiet vita securissima. Hæc igitur singula, quid sint, definiendo aperiemus.

Nobilitas gentis, & ciuitatis ea est, si ipsa ex sese suos ciueis genuit, vel saltem vetustam originē habuit: & si primi ductores eius illustres fuerunt, & si multi principes, atque imperatores ex ea nati sunt, quos æmulari alij studeant. Priuata verò nobilitas, vel à viris, vel à mulieribus pendet, & cum vtrique legitimè coniuncti sunt, & quemadmodum etiam in ciuitate, cum primi auctores generis clari fuerunt vel virtute, vel diuitijs, vel alia re, quæ in præcio apud homines sit, & si ex ea familia multi illustres fuerūt & viri, & mulieres, & iuuenes, & seniores.

Bona verò proles, & multitudo filiorum, quid sit, omnibus notum est. Atq; in Rep. bona proles esse intelligitur; cum multi, boniq; iuuenes in ea fuerint, & bona dicitur, vel ex virtute corporis, vt cum magnitudinem, pulchritudinē, vireis, certādi robur habet:

vel

vel ex virtute animi: nam temperantia, & fortitudo iuuenis virtutes sunt, priuatim antem bona proles, & multitudo filiorum intelligitur; cum quis multos, & huiusmodi virtutibus instructos, hēt filios et mareis, & fęminas. Fęminarū virtus in corpore, venustas, & magnitudo est: in animo, temperātia & sedulitas, studiumque suorum operum, modo tamen ne incidat in illiberalitatem, similiter autem & priuatim, & publicè, & in uiris, & mulieribus, vt hæc singula sint, studere oportet: nam qui impudicas habent mulieres, vt Lacædemonij, dimidia ferè felicitatis parte carent.

Diuitiarum partes sunt pecuniæ, prædiorum multitudo, regionum possessiones, & præterea suppellectilium copia, & pecudum, & seruorum: quæ res multitudine, & magnitudine, et pulchritudine excellant, & omnia secura, liberalia, & vtilia sint. Dicuntur autem vtilia ea, quæ magis fructuosa sunt, liberalia verò, quæ animi, voluptatisque gratia possidentur. fructuosa illa voco. vnde redditus, vectigaliaq; capiuntur: voluptaria, è quibus nihil præter vsum, capitur, quod aliquo precio dignum sit. Securitatis ille finis est, vt eo in loco, atque eo modo prædia possideantur, vt eorū vsus in domini arbitrio sit: id verò alicuius proprium esse, aut non esse dicitur, cum in eius potestate est alienare, dico autem alienare, donare, & vendere omnino diuitem esse magis in vsu, quàm in possessione situm est, nam huiusmodi rerum actus, atque vsus ipsæ diuitiæ sunt.

Bona existimatio est virtute præditum ab omnibus

bus iudicari, vel tale aliquid in se habere, quod oēs expetant, aut multi, aut boni viri, aut prudentes.

Honor autem est signum gloriæ, ex plurimis in alios meritis comparatæ. Iustè verò, maximeque honore afficiunt ij, qui iam beneficia contulerunt. veruntamen etiam ille solet honorari, qui alijs benefaciendi facultatem habet. Id autem beneficium honore dignum putatur, vel quod ad salutem, vitamque tuendam pertinet, vel ad opes, vel ad huiusmodi bonum aliquod, cuius nō sit facilis acquisitio, quodq; sine magno labore paratum, vel semper, vel eo in loco, vel eo tempore: multi enim propter res quasdam, quæ parue videntur, honorem assequuntur; sed id aut propter modum, aut propter occasionem accidit. Honoris species sunt immolationes, monumenta vel carmine, vel soluta oratione conscripta, præmia certa, luci, superiores insedendo loci, sepulchra, imagines, & publica cibaria, &, quibus barbari vtuntur, habitus adorantium, & conspectus euitationes; munera, quæ apud singulas genteis in precio sunt: etenim munus est & possessionis largitio, & honoris indicium. quo fit, vt auari, & ambitiosi munerum sint appetentes: nam vtriq; in eis inueniunt, quod concupiscunt: est enim ī illis vtilitas, quā appetunt auari, & honor, cui maximè student ambitiosi.

Corporis virtus est bona valetudo. Quę ita accipienda est, vt morbo vacuum sit corpus, & ad vsus benè constitutum: multi enim sano corpore sunt, vt Herodicus dicit: quos nemo tamen ob eam valetudinem beatos iudicaret eo, quòd vel ab omnibus humanis

manis actionibus, uel ab earum maxima parte se abstinent.

Pulchritudo non eadẽ est in omni ætate, sed diuersa: nam adolescentis pulchritudo est, si corpus ita constitutũ habet, vt ad labores sustinendos utile sit, uel ad cursum, uel ad inferendam uim: & si quandã ore suauitatem præferat, quæ spectanteis uoluptate compleat. hac de cã pentathli pulcherrimi habentur q̃ ad uim inferendam, & ad celeritatem simul apti sunt. Viri autem, & qui iam constanti ætate sit, pulchritudo est, ut corpus ad militareis labores idoneum habeat, et oris suauitatẽ, cum quodã terrore coniunctã, præferat. Senis deniq; pulchritudo est, si corpus habeat necessarijs laboribus largè sufficiens, & si nullam ore tristitiã ostendat eo, quòd ijs morbis careat, qui senectutem deprauare solent.

Vires ex eo intelliguntur; cum quis eam facultatem habet, ut alterum moueat, quomodocunq; uoluerit. Necesse est autem alterum mouere uel trahendo, uel impellendo, uel tollendo, uel deprimendo, uel colligendo. quare robustus ille, ualensq; aut his omnibus, aut quibusdam horum ualebit.

Magnitudinis uirtus ea est: cum quis & longitudine, & altitudine, & latitudine multos alios antecedit, modo ne tanto maior sit, ut propter exuperantiã corporis motus tardiores efficiantur.

Decertandi robur ex tribus constat, magnitudine, uiribus, & celeritate: nam & qui celer est, robustus appellatur: qui enim crura quodammodo uibrare, & celeriter mouere, atque ex longinquo lo-

co potest, is natura cursor est. qui uero premere, fortiterque tenere, ad luctam est idoneus, qui longè à se pellere, plagamque inferre potest, is erit pugil. Sed qui in utrisque ualet, hoc est lucta, & pugillatione, pancratiastes erit, qui in tribus illis omnibus, pentathlus uocatur.

Bona senectus est, cum tardè, atq; sine tristitia aduenit, neque enim, qui celeriter senescit, bona senectute frui dici potest, neque qui serò quidem fit senex, uerum cum multis, magnisque doloribus. Ad bonam uerò senectutem & corporis uirtutes, & fortunæ bona concurrant oportet: nam, nisi sine morbo fuerit, & nisi uireis conseruet; non erit expers molestiarum, ac dolorum, nec uitam producere poterit, nec prosperam fortunam retinere. Est etiam alia ratio, qua quis etiam sine uiribus, & bona ualetudine diu uiuendi facultatem inueniat; multi enim sine corporis uirtutibus in longum tempus uitam prorogant. sed in præsentia nihil opus est de huiusmodi rebus exquisitè disputare.

Gratia uero, bonorumq; uirorum amicitia quid sit, ignorari non potest, modo quid sit amicus, intelligatur. Est enim is amicus, qui quæcunque arbitratur ei, quem amat, bono esse eius ipsius causa facit. cui igitur multi sunt bõni, is gratiosus dicitur, cui verò boni uiri tales sunt, is bonos amicos habere ꝑdicatur

Prospera fortuna est, cum, quæ à fortuna proueniunt bona uel oĩa, uel plurima, uel maxima alicui uel fiunt, uel iam præstò adsunt. Est aũt fortuna nõnullorum causa, quæ ẽt ab artibus efficiuntur, sed plerumque

que

que eorũ causa est, quæ nulla arte fieri possunt, ut eorum, quæ natura quidẽ fiunt, sed ẽt contra naturã fieri possunt, nã bonæ ualetudinis ars causa est, pulchritudinis aũt, et magnitudinis ipsa natura. Omnino bona illa proficiscuntur à fortuna, quæ maximè solent inuidiam concitare. quin ẽt eorum bonorum, quæ præter oẽm rationem eueniunt, fortuna causa est; ut, si ceteri fratres deformes sunt, hic autem formosus, aut si thesaurum alij nõ uiderunt, hic aũt inuenit, aut si is, qui propè stabat, iaculo percussus est, hic autem minimè, uel, qui antea solebat frequentare, tunc non uenit, cum alij, semel tantum uenientes, interfecti sunt: hęc enim omnia fortunæ beneficio contingere uidentur.

De uirtute, quoniam in exornatione maximè proprius est eius locus, cum de laudãdo uerba faciemus; tunc quid statuendum sit, accuratè explicabimus.

Quæ igitur spectare oportet eos, qui suadent, tanquam futura, aut præsentia, perspicuum est, & rursus qui dissuadent: sunt enim eis, quæ iam dicta sunt, contraria. Sed quoniam deliberanti proposita est utilitas, & qui deliberant, non de fine ipso, sed de iis, quæ spectant ad finem deliberant; ea uero sunt, quæ in singulis actionibus prosunt. &, quod prodest, bonum est. ideo de bono, atque utili generatim mihi dicendum, & quæ sint eius initia, atque elementa, quærendum arbitror.

Est autem & priuatim] quia ultimus deliberantium finis est felicitas: illius enim gratia & agere cnituntur, & agenda esse statuunt; itaque de felicitate agitur: & iure quidem, si-

quidem unicuique priuatim, aut omnibus publicè finis est, quæ conijcientes alia persequuntur, alia fugiunt. atque is felicitas est, à qua & ab his, quæ ad eam conferunt, & ab eius contrarijs accipimus suasiones, dissuasionesque accipimus; nam quæ ipsam felicitatem efficiunt, aut aliquam eius particulam, aut maiorem reddunt, ea facienda. quę uerò ipsam destruunt, aut impediunt, aut minorem efficiunt, aut cōtraria, ea minimè facienda. Ponamus igitur felicitatem esse] hoc in loco loquitur Arist. non de felicitate hominis uera, sed de ciuili, quæ nihil aliud est, nisi animi, & corporis bona, & ea, quę ad bona animi, & corporis attinent. atque hæc bona adeo quidem sunt, aut existimantur, ut nihil homo agat nisi aliquorum horum gratia: nisi enim hęc omnia, uel aliqua assequi crederet; non ageret. quare Arist. hęc, ut fines deliberantium constituit: qui enim suadet, hæc ut futura, uel ut pręterita, uel ut præsentia promittit. qui uerò dissuadet, contraria horum futura persuadet.

Bonum quot modis dicatur, atque utile.

PONAMVS ergo bonum id esse, quod ipsum propter se sit expetendum, & cuius gratia solemus aliud expetere: &, quod res omnes expetunt, uel saltem illæ, quę sensu prædita sunt, uel intelligentiā habent, uel si eis intelligentia daretur, & quæcunque ratio, atque intelligentia cuiq; dictaret. & quæcunq; singulis

ſingulis in rebus unicuiq; ratio tribuit, atq; aſſignat, ea ſunt unicuique bona. Illud quoque bonum eſt, quo præſente res benè ſe habet, nec quicquam amplius deſiderat, &, quod per ſe ſufficiens eſt. quin etiam, quod hæc ipſa conficiendi, & cuſtodiendi uim habet, bonum eſt, & quod hæc eadem conſequuntur, & q̃d contraria depellit, atque interimit. Duobus autem modis aliquid eſſe conſequens dicitur, uel enim ſimul, uel poſtea: ut, ſi quis diſcit; conſequitur, ut ſciat; ſed poſtea: ſi bene ualet; conſequitur, ut ualeat, ſed ſimul. Quæ conficiendi uim habent, tribus modis dicuntur: partim, ut benè ualere, & corpus habere benè conſtitutum, conficiens eſt bonę ualetudinis: partim, ut cibaria, quæ ſalubria ſunt, & conficientia ſanitatis: partim, ut exercitatio corporis, quæ plurunq; bonam efficit ualetudinem. His ita poſitis, neceſſe eſt, bonorum adeptiones eſſe bonas, atq; etiam malorum depulſiones: huic enim ſimul malum nõ habere conſequens eſt, illi autem poſtea bonum habere. item etiam pro minore bono maioris adeptio, et pro maiore malo minoris bona eſt: nam id totum, quo maius minori præſtat, fit illius quidem adeptio, huius autẽ depulſio. Virtutes etiam bonas eſſe neceſſe eſt: nam, qui eas poſſidẽt, ij benè affecti ſunt: & ipſæ multa, ac magna bona conficiunt: atq; earum laus in actione conſiſtit. ſed de ſingulis uirtutibus, quæ, qualesq; ſint, alio in loco dicendum erit. Voluptas præterea bona eſt: omnes enim animantes naturæ inſtinctu eam expetunt. quare & quæ iucunda ſunt, & quæ pulchra, bona eſſe neceſſe eſt: iucunda enim

ſunt efficientia uoluptatis.rerum autem pulchrarum aliquæ iucundæ ſunt, aliquæ ipſæ per ſe ſe ſunt expetendæ. Vt autem ſigillatim aliqua dicamus, hæc eſſe bona neceſſe eſt,primo ſelicitatem; quia per ſe expetenda eſt,& ſe ipſa eſt contenta, & eius gratia multa alia expetimus: deinde iuſtitiam, fortitudinem,magnanimitatem,magnificentiam, atque alios huiuſmodi animi habitus: ſunt enim hæ uirtutes animi,tum bonam ualetudinem, pulchritudinem, cæteraque eius generis, quæ corporis uirtutes ſunt, & multarum rerum bonarum conficientes; ut bona ualetudo uoluptatis,& uitæ.itaque res optima uidetur eſſe bona ualetudo; quoniā duas res efficiat, quę plurimi ab hominibus ęſtimantur,hoc eſt, uoluptatem, & uitam.Diuitiarum uſus,fructusq́; bonus eſt, hęc enim eſt poßeßionis uirtus, & multorum commodorum conficiens.Amicus,& amicitia bona ſunt; nam amicus propter ſe eſt expetendus, & multorum bonorum efficiens,honor prӕterea,& gloria, ſunt enim res iucundę,multaq́; commoda adſerunt, & plerunq́ue accidit,ut in hominibus ea ſint,propter quę honorantur,dicendi quoq; facultas,& agendi; quoniam ex eis multa bona proueniunt. Item ingenij acumen bonum eſt,& memoria,& docilitas,& animi celeres motus,cęteraq́ue eius generis omnia,nam eiuſmodi facultates bonorum conficientes eſſe ſolent,eodem modo ſcientię omnes,& artes. uiuere quoque ipſum, nam etſi nihil aliud boni conſequatur, propter ſe tamen ipſum expetendum eſt,id etiam,quod iuſtum,eſt bonum,nam ad communem utilitatem pertinet.Hęc

quidem

quidem ferè sunt, quę omnes bona esse confitentur. sunt alia, de quibus controuersia est, quę illis argumentis bona esse probantur, cuius contrarium est malum illud bonum est, & id, cuius contrarium hostibus prodest, ut, si nostros cíueis esse timidos maximè conducit hostibus; perspicuum est, ciuibus maximè prodesse fortitudinem. et omnino, quod inimici cupiunt, & quo gaudent, eius contrariũ utile nobis esse uidetur. ideo rectè dictũ est ab Homero, Certè lętitia Priamus afficeretur. neq; tamen hoc perpetuo uerum est, nam interdum fieri põt, ut eadem res aduersarijs utilitatem adferat. unde prouerbio dicitur, homines ab infortunijs, & malis cõciliari, quoties idẽ utrisq; detrimentũ adfert. Id etiã bonum est, in quo nihil nimium esse potest: quod enim maius est, quàm conueniat, id est malũ. Et, cuius multi labores suscepti sunt aut multi sumptus facti, bonum iam esse uidetur, & iam finis existimatur, multarum molestiarum finis. quicquid autem finis rationem habet, id certè bonum est. unde huiusmodi dicta vulgo iactantur. Certè Priamo gloriam, &, Turpe est manère diu. & prouerbium illud, In foribus hydriam, & quod multi expetunt, & pro quo digladiari inter se consueuerunt, quod enim omnes expetunt, id bonum esse supra diximus. multi uerò, tanquam omnes, uulgo uidentur, & quod est laudabile, nemo enim id laudat, quod bonum non est, & quod ẽt inimici, ac malęuoli homines laudant, nam, quod illi laudant, qui mala inde perpessi sunt, perinde est, ac si iam omnes bonum id eße faterentur, quemadmodum enim illi sunt improbi, quos

amici uituperant, sic illi boni, quos neque inimici uituperant. ideo se contumelia affectos a Simonide poeta Corinthij existimarunt, quòd ita cecinisset, Corinthios non incusat Ilium: et quod aliquis ex prudentibus & bonis uiris, ac mulieribus præcellere iudicauit; ut Vlyssem Pallas, Helenam Theseus, tres illæ deæ Paridem, Achillem Homerus. & omnino quæcunque alijs consulto præponũtur; statuunt enim homines ea facere, quæ supra dicta sunt. & quæ mala sint inimicis, amicis autem bona: & quę fieri possint. hæc autem duobus modis intelliguntur, uel quę quoquo modo fieri possunt, uel quæ facile nulloque negocio. facilia uerò dicuntur ea, quæ uel sine molestia, uel breui tempore confici possunt: difficile nanque uel molestia, uel temporis longitudine definitur. Bona quoque illa sunt, quæ ita fiunt, ut homines uolunt. uolunt autem uel nihil habere mali, uel saltem minus mali, quàm boni. quod tunc euenit, cum pœna uel nos latuerit, uel pusilla fuerit. Et, quæ propria sunt, & quæ nullus alius possidet, & quæ reliquis præstant, bona sunt: in his enim honor spectatur: & quæ ipsis congruentia sunt; qualia sunt, & quæ uel propter genus, & familiam, uel propter eius ipsius facultatem alicui conueniunt: & quæ sibi deesse putant, etiam si parua fuerint; nam nihilominus ea sibi agenda esse statuunt: & quæ sine labore ad exitum perducuntur; nam sunt ex eo genere, quæ fieri possunt, tanquam facilia. dicũtur autem ea sine labore ad exitum perduci, quæ uel omnes, uel multi, uel pares, uel

inferiores rectè perfecerunt: & ea, in quibus gratificantur amicis, aut inimicis dolorem inferunt, & quæcunq; illi student agere, quos admirantur, & ad quæ natura sunt aptiores, & in quibus exercitatiores; facilius enim ea, meliusque se perfecturos existimant. et quę nemo uir abiectus aggreditur, sunt enim ea maiori laude digna, & ea, quorũ appetentes sunt; nam ea non solũ iucunda, sed etiam alijs meliora esse uidētur, et ea præcipuè, ad quæ natura procliues sunt, ut uictoriæ studiosi, si uictoriam sperent: honoris auidi, si honor proponatur auari, si pecuniæ, & cæteri eodem modo. Ac de bono quidem atque utili ex ijs, quę dicta sunt, argumenta sumi possunt.

Ponamus ergo bonum id esse] Felicitas est bonum quoddam. bonum autem est duplex: alterum, quod simpliciter bonum dicitur, utpote quod expetitur propter se, & non ob aliud. alterum bonum utile, quod alterius gratia expetitur, quatenus existimatur aut efficere, aut conseruare, aut ut causam necessariam, uel ut plurimũ antecedere bonum simpliciter. bonum uerò simpliciter multifariam ab Arist. describitur, ut patuit. bonum autem utile quad. ifariam dicitur.

Duorum utilium utrum utilius, & duorum bonorum utrum maius bonum.

SED quoniam sæpè accidit, ut duo proponantur, quæ ambo sint utilia: sed, utrum utilius sit, dubitant: deinceps de maiori bono, magisq; utili nobis dicendũ est. id igitur, quod præstat, est tantum, quantum id, quod

quod ſuperatur, atque amplius: ſuperatum autem in eo, quod præſtat, incluſum eſt, & maius quidem, atq; plus ſemper ad aliquid, quod minus ſit, refertur: magnum autem & paruum, & multum & paucum cũ multorum magnitudine, multitudineq; conferuntur. & quidem quod præſtat, magnum eſt, quod autem ſuperatur, paruum: atque eadem ratio eſt de multo & pauco. Quoniam autem id bonum eſſe dicimus, quod ipſum propter ſe, non propter aliud, eſt expetendum, & quod res omnes expetunt, uel quæ ſi eis mens atque intelligentia daretur, expeterent, & quod efficiẽdi, & conſeruãdi uim habet, uel cui res eiuſmodi ſunt conſequentes, & quoniam id cuius gratia, eſt finis, & contra finis eſt, cuius gratia fiunt alia, idq; priuatim alicui bonum eſt, quod illi eſt accommodatum; neceſſe eſt, ut quæ plura ſunt uno, & paucioribus, maiora ſint bona, modò in eis unum illud, atque illa pauciora connumerentur. hoc enim modo præſtant, &, quod in eis incluſum eſt, ſuperatur, &, ſi quod maximum eſt in aliquo genere maximo alterius generis præſtabit, etiam genus generi, & contrà ſi genus generi præſtabit, etiam quod eſt maximum maximo: ut, ſi maximus uir maxima muliere maior erit, etiam ſimpliciter uiri mulieribus maiores erunt: &, ſi mulieribus uiri maiores ſint, etiam maximus uir maxima muliere maior erit. eandem enim habent rationem exuperantiæ generum, et eorum, quæ ſunt in ipſis generibus maxima: & quando huic illud fuerit conſequens, hoc autem illi non fuerit, certè hoc maius erit. Tribus autem modis aliquid conſequi dicitur, aut uno, & eodem

& eodem tempore, aut deinceps, aut ui ac potestate, nam usus eius, quod consequitur, in altero consistit. uno uerò & eodem tempore uitam bonam ualetudinem consequitur, sed non contrà. neque enim bona ualetudo consequitur uitam, deinceps autem, ut disciplinam consequitur scientia, ui, ac potestate, ut sacrilegium facere plus est, quàm furari; nam qui sacrilegium facit, etiam furabitur. Illa quoque maiora sunt, quæ rem magnam magis exuperant, necesse est enim, ut etiam illam maiorem exuperent, &, quę maiori boni conficientia sunt, ea maiora sunt bona, hoc enim maioris boni natura postulat, ut maius bonum conficiat. & contrà, maius illud bonum est, cuius conficiens est maius: ut, si quod est salubre, magis est expetendum, quàm, quod est iucundum, certè bona ualetudo uoluptate maior erit: &, quod propter se expetendum, eo, quod propter aliud, ut uires corporis rebus salubribus præstant, hæ nanque propter aliud, illæ uerò propter se expetuntur. Quod est boni propriũ, & quod rationem finis habet, eo maius est, quod non habet; nam hoc alterius gratia est, illud autem sui ipsius, ut exercitatio fit bonæ ualetudinis gratia. Et quod minus eget alio, uel aliis, maius est, quia magis, quàm alia, se ipso est contentum. illud autem minus indigere dicitur, quod uel paucioribus, uel facilioribus indiget. Et quando res aliqua sine altera non est, aut non esse potest, altera uerò sine hac, certè illa maior est, id enim magis, quàm alia, seipso contentũ est, quod non indiget. itaque maius bonum uidetur: &, si hoc alicuius rei principium fuerit, illud autem nõ fuerit,

rit:&,si hoc causa fuerit, illud autem non; eadē ferè ratione:quoniam sine causa,& sine principio fieri nō potest,ut aliquid sit,aut fiat.Et,cū duo principia sunt, quod à maiore principio proficiscitur, maius est. Et cum duæ sunt causæ, quod à maiori causa nascitur, maius est,& cōtrà propositis duobus principijs,quod rei maioris principium est,illud est maius: & propositis duabus causis, quæ maioris rei causa est, illa est maior.Ex ijs,quæ dicta sunt,perspicuum est, utroque modo posse aliquid maius uideri: nam,si hoc principium est,illud autem non est,uidebitur esse maius: et contrà,si non principium hoc est, illud uerò est principium, quod enim ultimum, finisque est, maius est, non,quod principium, quemadmodum Leodamas, cū Callistratum accusaret,dixit eum,qui consilium dederat,magis in culpa esse,quàm qui scelus commiserat, neque enim scelus illud commissum fuisset, nisi eius auctor,& consiliarius extitisset.at uerò, cùm accusaret Chabriam;dixit,eum magis peccasse,qui fecerat, q̄ qui consuluerat,neq; enim flagitium extitisset, nisi esset inuentus,qui faceret;huius enim gratia deliberāt,ut quod statutum fuerit,efficiant. Et,quod rarius est,affluenti est præstantius,ut aurum ferro, ꝙ quamuis minus sit utile;tamen eius possessio maioris æstimatur,quia difficilior est,quod in aliquibus rebus cōtra se habet: siquidem,quod uulgare est,ei, quod est rarum,anteponitur;quoniam frequentior est usus: id enim,quo sæpius utimur,præstat ei, quo rarius: unde dicitur.Optima quidem aqua.Et omnino, quod difficilius est,procliuiore maius eò,quòd etiā rarius est, &

contra,

contra,nonnunquam, quod procliuius eſt, difficiliori præſtat,ſic enim ſe habet, ut uolumus. Præterea id maius eſt,cuius contrarium eſt maius,& cuius priuatio maior: & uirtus non uirtute,& uitioſitas non uitioſitate maior eſt: nam illæ fines ſunt,hæc autem nõ ſunt fines. Et quorum opera pulchriora,aut turpiora ſunt,ipſa ſunt maiora,& quorum uirtutes, aut uitia maiora,etiam opera maiora ſunt; quoniam, ut ſe habent cauſæ, & principia; ita etiam euenta.atque ut euenta ſe habent; ita etiam cauſæ, & principia. Et quorum exuperantia magis expetenda, aut melior eſt, ut acutè uidere magis expetendum eſt, quàm olfacere, ergo etiam uiſus olfactu præſtantior. & ſociorum ſtudioſum eſſe, magis decet, quàm pecuniarum.quare ſtudium ſociorum comparandorum, quàm pecuniarum laudabilius eſt, & econuerſo ordine rerum meliorum exuperantiæ meliores ſunt, & honeſtiorum honeſtiores.Et,quorum cupiditates honeſtiores, & meliores ſunt,ea quoque meliora ſunt,& honeſtiora: maiores enim rerum maiorum ſunt appetitiones, atque ideò honeſtiorum, & meliorum ſunt etiam meliores,& honeſtiores cupiditates. Et,quarũ rerum ſcientiæ pulchriores,& exquiſitiores ſunt, ipſæ quoque res ſunt pulchriores, & exquiſitiores, quemadmodum enim ſcientia ſe habet, ita etiã uerũ, & unaquæq; ſcientia, quod ipſius eſt proprium præcipit, ac tradit. atque hac de cauſa rerum exquiſitiorum,& pulchriorum etiam ſcientiæ ſunt eadem ratione tales. Et quod prudentes homines uel cuncti, uel multi, uel plures, uel præſtantiſſimi maius bonum

eſſe

esse iudicarent, aut antea iudicarunt, id esse tale necesse est, siue simpliciter in omnibus rebus, siue in ea re, cuius periti sunt, iudicauere. est autem hoc etiam in alijs omnibus commune, ut prudentes intelligant, & quid, & quantum, & quale; prout unaquæq; ars, & scientia tradit. At nos hoc loco de bonis uerba facimus, nam antea bonum id esse statuimus, quod res omnes, si prudentiam haberent, sibi eligerent. ex quo perspicuum est maius id esse bonum, quod prudentia magis expetit: & id, quod melioribus adest, siue simpliciter, siue ex ea parte, qua meliora sunt; ut fortitudo robori præstat, & quod uir melior eligeret, uel absolutè, uel quatenus melior est; ut iniuriam accipere potius, quàm inferre. Id etiam, quod iocundius est, magis est expetendum, quàm minus iucundum, nã omnia uoluptatem sequuntur, & eius ipsius causa iucundè uiuere cupiunt: quibus rebus boni, finisq; natura iam a nobis suprà definita est. Iucundius autem illud est, quod & minus habet molestiæ, & diutius perdurat; & quod pulchrius est minus pulchro, nam pulchrum aut est iucundum, aut propter se expetendum. Ea quoque maiora bona sunt, quorum sibi homines, aut amicis auctores esse malunt, quorum autem minimè uolunt auctores esse, ea maiora sunt mala, et diuturniora bona breuioribus, & stabiliora incertioribus; nam diuturniorum usus tempore præstat, stabiliorũ autem uoluntate; quoniam quod stabile, ac firmum est, uoluntatibus nostris prçstò semper adest, & eo pacto, quo à coniugatis, & casibus similib. alia consequuntur; ut, si fortiter se gerere pulchrius, &

magis expetendum est, quàm temperanter, etiam fortitudo magis erit expetenda, quàm temperantia, & fortem esse magis, quàm esse temperantem. Et, quod omnes expetunt, maius est, q̃ quod nõ omnes, & quod plures, quàm, quod pauciores; bonum enim id esse diximus, quod omnes expetunt. itaq; maius id bonum est, quod magis expetitur, & quod aut aduersarij, aut hostes, aut disceptatores, aut qui uerè iudicare posse censentur, illud enim perinde est, ac si omnes tale esse faterentur; hoc autem, ac si qui in sua potestate rem habent, & eius ualdè sunt intelligentes. Atq; interdũ illud maius habetur, cuius omnes participes sunt, labes enim, atq; ignominia est, non illud participare, interdum illud, cuius nemo, aut pauci sunt participes: id enim est rarius. & quæ laudabiliora, nam eadem sunt honestiora, & ea, quibus maiores honores tribuuntur, honor enim tanquam æstimatio quædã est, & quibus pœnæ maiores constitutæ sunt, & quæ maiora sunt eis, quæ omnes magna esse confitentur, aut quæ magnorum speciem præ se ferunt. Et, quæ in parteis dissecantur, maiora uidentur, nam in eis apparet plurimum rerum quædam exuperantia. unde etiam Poeta scribit Meleagrum ab uxore ad bellum hac ratione fuisse concitatum.

Quot mala concurrunt, quoties crudeliter urbem
Diripiunt hostes, pereunt iuuenesq́;, senesq;:
Ilicet ignis edax euertit tecta domorum:
Abducunt alij natos.

Præterea componẽdo, & quasi superstruendo fit, ut maius aliquid uideatur, quemadmodum Epicharmus

facere consueuit: nam partim eadem ferè ratione, qua diuisio, etiam compositio, magnam ostendit exuperantiam, partim quia principium, & causa rerum magnarum esse uidetur. Quoniam autem id, quod difficilius est, & rarius, habetur maius, accidit, ut etiã occasiones, ætates, loci, tempora, facultates res magnas efficiant: si quid enim supra uireis, & supra ætatem, & supra æqualeis, & si opportunè, si loco, si tempore gestum fuerit, magnitudinem habebit, & in rebus honestis, & in bonis, & in iustis, atq; etiã in contrarijs, quo sensu factum est epigramma in uictorem illum Olympiorum.

His humeris antè, imposita mihi corbe, redibam
Ex Argo, pressus piscibus, in Tegeam:

& Iphicrates, se ipsum laudans, ita dicebat. Ex quibus initijs ad hæc perueni. Atq; id, quod innatum, insitum est, assumpto, & aduentitio maius; quoniam etiam difficilius est, unde Poeta inquit.

Ipse meo didici Marte:

& rei magnæ maxima pars, ut Pericles, cũ funebrẽ orationẽ haberet, dixit, iuuentutem è ciuitate bello sublatam, non aliter, ac si uer ex anno tolleretur, & quæ in grauiori tempore sunt utilia, ut in senectute, & in morbo. Et, duobus propositis, id quod fini propinquius est, etiã maius, & quod priuatim alicui prodest, maius est ipsi, quàm quod omnibus absolutè: & quod fieri potest, melius, quàm quod non potest: illud enim in ipso est, qui deliberat, hoc autem non: & quæ in ipso fine uitæ manent: nam magis finis rationẽ habent, quæ sunt ipsi fini accommodata, atque uicina.

Et,

Et, quæ rei veritatem spectātes, sumimus, anteponenda sunt ijs, quæ ad opinionem eorum autem, quæ ad opinionem spectant; hæc definitio est; ut ea sint, quæ nemo aggrederetur; si illa clam hominibus fore existimaret. hinc est, quòd quibusdam accipere beneficium, quàm facere, præstantius videri posset: illud enim, etiam si lateat. expetitur; conferre autem beneficium in alterum, si lateat, non sanè uidetur quisquam expetere. Et quicquid magis optant homines esse, quàm uideri, maius est; nam ad veritatem magis accedit: ideo sunt, qui dicant iustitiam tenuem, pusillamq; rem esse; quoniam præstat iustum uideri, quàm esse: sed benè ualere non item: &, quod ad multas res est utilius, vt ad viuendum, & ad benè viuēdum, & ad voluptatem, & ad res honestas conficiendas. quamobrē diuitiæ, & bona ualetudo maxime esse bona uidentur, quoniam oēs commoditates in se habēt: &, quod minus habet molestiæ; &, quod uoluptati coniūctum est: nam plura sunt uno; est enim illic & uoluptas, quod est bonum, & indolentia. Et duobus propositis, id, quod eidē rei adiunctū, efficit, ut totum maius sit, magis est expetendum. Et, quæ cum præsentia sunt, clàm esse non possunt, maiora sunt, quàm quæ latent; quoniam ad veritatem magis accedunt. itaq; locupletem esse maius bonum uideri potest, q̃ existimari; & quod amabile, & carum est, his quidē solum, illis autem cum alijs bonis coniunctum. quare non æqualis pœna legibus est constituta; siquis altero captum oculos cæcauerit: & siquis, duos oculos habēti, alterū effoderit, nam illi id ereptum est, quod maximè carum

erat.Iam igitur,unde ſumenda ſint argumenta,& in ſuadendo,& in diſſuadendo,ferè dictum eſt.

Sed utrum utilius dubitant,] Duobus utilibus propoſitis,utrum utilius ſit,docet: nam declarat quinquaginta,& quinque eſſe elementa,ſiue loca , & propoſitiones , per quas ſcire poſſumus, quid maius, quidve minus duorum bonum eſt.

Is bene conſulit,qui Reſp. omnes cognitas habet, mores, inſtituta, & uniuſcuiuſque utilitates.

MAXIMVM autem, & potentiſſimum omniũ ad perſuadẽdi facultatem, & benè conſulendũ id eſt; ſiquis Reſp.omneis cognitas habeat, & uniuſcuiuſque mores, inſtituta, atque utilitates intelligat: omnes enim utilitate mouentur. Illud autem utile eſt,quod ciuitatis ſtatum conſeruat, præterea decretum id firmum eſt, quod ab illo ordine factum fuerit, in cuius poteſtate omnia conſtituta ſunt, ſummæ uero poteſtates ſecundum Rerump. ſtatus diſtributæ ſunt: quot enim Rerump. genera ſunt; totidem etiam ſunt ſummæ poteſtates. Sunt autem Rerump. genera quattuor, democratia, obligarchia, ariſtocratia, monarchia. itaque ſumma poteſtas, quæ de rebus iudicet, aut eſt eorum generum aliqua pars, aut totum. Ac democratia quidem eſt Reipub. ſtatus,in quo ſortitione tantùm magiſtratus diſtribuuntur. Obligarchia uerò eſt, in qua ex cenſu magiſtratus eliguntur. Ariſtocratia dicitur illa, in

qua

qua magiſtratus diſtribuuntur iјs, qui diſciplinã per ceperunt: diſciplinam autem eam intelligo, quæ à lege conſtituta ſit: nam qui permanent in inſtitutis ciui tatis, in ariſtocratia magiſtratus gerunt: neceſſe eſt enim, huiuſmodi uiros optimos uideri, unde etiam ari ſtocratia nomen habet. Monarchia eſt, ut nomen indicat, in qua unus omnium dominus eſt: quæ ſi defini ta eſt, & ordinem quendam ſeruat; regnum uocatur. ſi uerò inordinata, atque ex unius libidine, tirannis appellatur. Oportet igitur, finem uniuſcuiuſque Reip. cognitum habere: nam ea ſingulæ quærunt, quæ ad finem ſuum tendunt, eſt autem democratiæ finis libertas, obligarchiæ diuitiæ, ariſtocratiæ quæ ad diſciplinam, legesq́; ciuitatis pertinent, tyrannidis cuſtodia. Perſpicuum eſt igitur, oportere diſtincta, & cognita habere omnia, quæ ad finem ſpectant, ut mores, ut in ſtituta, res utileis: nam omnes, quæcunq́; eligunt, ad finem ſuum referunt. Et, quoniam fides non tantum argumentis fit; ſed etiam oratione, quæ dicentis mores exprimit (credimus enim ei, qui ita affectus eſſe uidetur, ut aut uir bonus appareat, aut beneuolus, aut utrunque) opus eſt uniuſcuiuſque Reip. mores benè cognitos habere, mores enim cuiuſque ciuitatis oratione expreſſi, neceſſe eſt, ut ad perſuadendum uim habeant maximam, qui quidem ex eis, quæ antè dicta ſunt facilè cognoſci poterunt: nam ex eo, quod ſibi quæque ciuitas propoſuit, apertè mores cognoſcuntur, proponunt autem ea ſibi, quæ ad finem referuntur. Sed iam quæ ſibi proponere debeant illi, qui ſuadent aliqua, tanquam futura, & inſtan-

tia, & undè possint argumenta de eo, quod utile est sumere, & præterea de moribus, & institutis, quibus singuli ciuitatum status reguntur, quibus rationibus, & quomodo possimus dicendi copiam habere, quantum decuit in hac arte quærere, diximus: nam in libris de Rep. de his accuratius pertractatum est.

Maximum autem, & potentissimum] Nihil prætermisit Arist. quod necessarium sit ad persuadendum, dissuadendumq́; : etenim, cum ferè omnia, quæ ad deliberationes pertinent, percipiamus, si uniuscuiusque Reip. mores, instituta, atque utilitates intelligamus; de rerum pub. genere differit, deq́; earum finibus, quibus cognitis, quatuor habemus loca ad deliberandum: primus a moribus Reip. secundus ab his quæ unicuique finium sunt commoda, atque eos conseruant. tertius à legibus, quę pro finis conseruatione constitutæ sunt. quartus est, ut cognoscamus eos, qui imperant: nam populus præest ciuitati sorte, potentes censu, & optimates disciplina.

De genere exornatiuo, siue demonstratiuo.

DEINCEPS *autem de uirtute, & vitio, de honestate, & turpitudine dicamus: laudanti enim, & uituperanti sunt hi propositi fines, simul etiam illud commodum consequetur, ut, dum hæc agimus, etiam illa declaremus, unde mores nostros ostendamus,*

quod

quod erat secundum probationis genus, ex ijsdem enim locis, & nos ipsos, & alium quemlibet ita ornabimus, vt tanquam probis viris, & uirtute præditis fides habeatur. Et, quoniam sæpe fit, ut uel animi gratia, uel seriò, studioseque laudemus non tantum hominem, aut Deum, sed etiam ea, quæ anima carent, & quodcunq; animal nobis visum fuerit, eodem modo, quo in superiori genere fecimus, etiam de his rebus uidendum, unde propositiones sumendæ sint. quare non exquisitè, sed exempli tantum gratia de his etiam dicamus.

Honestum quid, atque uirtus quid, ac uirtutis partes.

PVLCHRVM *igitur id est, quòd, cum propter se sit expetendum; est etiam laudabile, uel quod, cum bonum sit; est etiam iucūdum, quatenus bonum. Quòd si pulchrum est huiusmodi; necesse est, uirtutem esse pulchram; quoniam, cum sit bona; est etiam laudabilis uirtus autem est, ut ferè uidetur, facultas comparandi, quæ bona sunt, & eadem conseruandi, & facultas, multa, & magna in alios merita conferendi, et quę potest omneis omnibus in rebus adiuuare. partes autem virtutis sunt iustitia, fortitudo, temperantia, magnificentia, magnanimitas, liberalitas, mansuetudo, prudentia, sapientia. Necesse est autem, omnium virtutum eas esse maximas, quæ sunt alijs vtilissimæ; si quidem virtus est facultas beneficia conferendi. Atq; hac de causa iusti, & fortes uiri maximè honorantur: hi enim in bello, illi uerò etiam in*

pace multis utiles sunt. deinde liberales; ideò sunt in honore, quòd fortunas suas erogant, neque de pecunijs digladiantur, quarum reliqui mortales magnopere cupidi sunt. Est autem iustitia uirtus, per quam singuli res suas habent, & eo modo, quo lex præcipit, iniustitia uerò, per quam aliena contra legem possidentur. Fortitudo est uirtus, per quam homines res honestas in periculis aggrediuntur, easque gerunt, ut lex præcipit, & se legum ministros præbent. timiditas uerò uitium est contrarium. Temperantia uirtus est, cuius opera homines ita corporis uoluptates moderantur; ut lex iubet. intemperantia uitium est contrarium. Liberalitas est, quæ pecunijs suppeditandis pluribus benefacit; cui contraria est illiberalitas. Magnanimitas est uirtus, quæ maxima in alios beneficia confert, huic contraria est animi paruitas. Magnificentia uirtus est, quæ in sumptibus faciendis amplitudinem sequitur. huic etiam animi paruitas, & tenuitas est contraria. Prudentia est uirtus rationis, per quam de bonis rebus, & malis, quæ ad beatam uitam pertinent, homines benè consulere possunt. Ac de uirtute quidem, & uitio, deq; partibus eorum, quantum ad hanc præceptionem attinet, satis in præsentia dictum est: nam cætera dignoscere, non est difficile: planum est enim eas res, quæ uirtutis efficientes sunt, necessariò honestas esse, quoniam ad uirtutem referuntur: & quæ à uirtute proficiscuntur, quales sunt uirtutis significationes, & actiones. Quoniam autem signa, & huiusmodi res, quæ sunt alicuius boni opera, aut affectiones, honestæ sunt, necesse

est,

est, ut quæcunque fortitudinis opera, aut signa sunt, uel fortiter gesta, sint etiam honesta. Et, quæ iusta sunt opera, quæque iustè fiunt, non tamen, quæ iustè patimur, sunt honesta: nam in hac sola uirtute, nõ semper, quod iustè fit, est honestum: in luenda enim pœna, quæ legibus imposita est, turpius est iustè, quàm iniustè plecti: sed in alijs uirtutibus uno atque eodem modo se se res habet.

Et ea, quibus premiũ propositũ est honor, honesta sunt: &, quæ magis honore, q̃ pecunia compensantur: &, quæ, cũ sint expetenda, potius aliena causa, quàm sua fiunt, & quæ sunt absolutè bona, &, quæ neglecta propria salute, pro patria geruntur ab aliquo, &, quę bona dantur à natura: &, quæ non illi ipsi, qui habet, fructum afferunt; nam, quæ afferunt, eius ipsius gratia sunt, & quæcunq; mortuo sæpius, q̃ uiuo, cõtingere solent; nam, quæ uiuo fiunt, ipsius gratia facta uideri possunt, & quæcunq; opera fiunt aliorũ causa; minus enim ipsius gratia: & quæ in alienis negocijs curandis, benè conficiuntur, non autem in suis: & quæ propter eos fiunt, à quibus beneficium acceptum fuerit; hoc enim iustum est, & benefacta in alios, quoniã ad proprium fructum non referuntur, & eorum contraria, propter quæ solent homines erubescere. nam propter turpia, cum aut ea dicunt, aut faciunt, uel cũ dicturi facturiq; sunt, erubescunt, quemadmodum Alcæo poetæ respõdit Sappho. cum enim ille dixisset, Cupio tecũ quædam loqui, sed me deterret pudor, illa sic inquit; si te bonarum, aut honestarum rerum desiderium teneret, neq; lingua tua flagitiũ aliquod profer

re tentaret; non ſanè pudor oculos tuos occupaſſet, ſed de re iuſta liberè uerba feciſſes. Et ea, de quibus homines anguntur, cum tamen non metuant, ſunt honeſta: de ijs .n. anguntur, & ſoliciti ſunt homines, quæ recta ad gloriam tendunt. Honeſtiores ẽt eorum uirtu tes, & opera ſunt, qui natura ſunt meliores, vt viri, quàm mulieris, & virtutes illę, quibus alij magis frugi poſſint, quàm illi, in quibus ſunt: qua de cauſa iu ſtum, et iuſtitia honeſta eſt, Qui etiam hoſteis potius vlciſci, quàm cum illis in gratiam redire, honeſtum eſt, nam par pari referre, iuſtum eſt: quod autem iuſtum, eſt etiam honeſtum, præterea uiri fortis eſt, non pati ſe inferiorem eſſe. Victoria quoque, & honor in rebus honeſtis ſunt: expetuntur enim, etiam ſi nullũ fructum ferant; & quandam uirtutis exuperantiam oſtendunt. Et, quæ memoriam alicuius ornant, honeſta ſunt, & quantò magis ornant, tantò ſunt honeſtiora. Et quæ mortuum etiam conſequuntur, & quibus honor comitatur, & quæ eximia ſunt, quæq; ſolus aliquis poſſidet, honeſtiora putantur; magis enim res huiuſmodi celebrantur, & prædia minimè, fructuoſa. magis enim liberalia ſunt. Et, quæ propria ſingularum ſunt, habentur honeſta, &, quæ ſunt indicia rerum, apud ſingulas genteis laudatarum; ut apud Lacedæmonios alere comam honeſtum eſt. eſt enim ingenuitatis ſignum, neque enim facilè eſt ei, qui comam alit, aliquid ſeruile opus exequi. Honeſtum eſt etiam nullam artem exercere mercen:riam, nam liberari hominis proprium eſt, non ad alterius arbitrium uiuere.

Aſſumenda

Assumenda præterea sunt ea, quæ uicina sunt, & proxima rebus ipsis, uel ad laudem, uel ad uituperationem; ut, si cautum, & sibi fidentem hominem; timidum, & insidiosum uocemus: si fatuum; bonum: si lentum; mansuetum: & in quaque re semper ex cõsequentibus id, quod optimum uidetur, capiamus; ut, si iracundum, & truculentum, ingegnij simplicis hominem dicamus: &, si contumacem; magnificum, & grauem: &, qui in eo, quod est nimium, peccant, si ita probemus, quasi in mediocritate, uirtutibusque consistant; ut, si temerarium fortem, prodigum liberalem appellemus. sic enim imperitę multitudini esse uidebitur. Quin etiam subest ratio, cur in errorum plerique ducãtur: nam, qui pericula non necessaria subit, multò magis uidetur id facturus, cum aliqua res honesta postulabit, & qui pecunias temerè profundit, is etiam amicis facilè subueniet: nam ab exuperantia quadam uirtutis prouenit, omnibus benefacere.

Sed uidendum est, apud quos quempiam laudes: nam, ut aiebat Socrates: non difficile est, Athenienseis Athenis laudare. oportet autẽ id, quod apud singulos in precio, tale sua ui esse dicere, ut apud Scythas, uel Lacones, uel Philosophos, & omnino, quod in precio est, ad honestum referri debet: quoniam ꝑpinquum esse uidetur, & quæcunque illi conueniunt, qui laudatur, dicẽda sunt, ut, si res dignas maioribus suis gessit, &, si hoc alijs rebus, ab eo, pręclarè gestis, respondet; est enim beatum, & honestum, honori parto honorem adiungere, aut, si præter id, quod conueniebat, aliquid in meliorem, honestioremque partem

efficit:

efficit: ut, si cui res secundæ sunt, is moderatus sit, &, si, cui fortuna est aduersa; is magno sit animo, aut opibus, & dignitate actus, melior, & placabilior euaserit. tale fuit illud Iphicratis dictum, E quibus initijs ad quas res, & uictoris Olympiorum,

His humeris ante, imposita mihi corbe;

atq; illud Simonidis.

Hæc habuit patrem, atq; uirũ, fratresq; tyrãnos.

Quoniam autem laus in actionibus consistit, & boni uiri proprium est, in rebus gerendis delectum adhibere; danda est opera, ut ostendamus, eum, quẽ laudamus, delectu adhibito, res suas gessisse: ad quod ꝓbandum utile erit ostendere sæpius illum rectè fecisse. Itaque illa etiam, quæ casu, fortuitoque contingũt, tanquam consilio, & ratione facta sint, laudare debemus: nam si multa, & similia prolata fuerint; ea uirtutis, & consilij signum esse uidebuntur: laus enim est oratio, quæ uirtutis magnitudinem explicat. Quare res gestas eius, quem laudamus, ita tractare oportet, quasi a uirtute profectæ sint: laudatio enim tota ab actionibus pendet. Quæ uerò extrinsecus assumũtur, ad fidem faciendam ualent; ut nobilitas, atque educatio: credibile est enim è bonis parentibus, bonos nasci filios, & eum, qui bene fueris educatus, bonum futurum. quare laudamus eos, qui iam præclarè aliquid gesserunt; actiones enim, & opera signa sunt habitus animi. et certè illum etiã laudaremus, qui nihil adhuc laude dignum gessit; si certum haberemus eum talem futurum. At uerò beati, & felicis appel tio eadem est; differt tamen à laude, atque encomio

nam

nam, quemadmodum felicitas uirtutem continet, ita felicis appellatio laudē, & encomium complectitur.

Genus demonstratiuum, & deliberatiuum habent communem speciem.

Habent autem quandam communem speciem demonstratiuum genus, & deliberatiuum. nam, quæ utiliter in suadendo consilia dantur, ea commutato dicendi genere, in laudationes transeunt. Cum igitur ea sint explicata, quæ uirum probum agere oportet, si uoluerimus eadem ad perceptiones, suasionesq; traducere; dicendi tantum genus mutare, & conuertere opus erit; ut, si quis ita dicat. Non oportet quemquam efferri animo propter ea, quę dantur à fortuna; sed propter ea quæ in ipso posita sunt. hoc preceptum erit, sed illo modo laus; Animo se se efferebat non ob ea, quæ data sibi fuerant à fortuna; sed, quæ in se ipso posita habebat. quare, cum aliquem laudare uolueris, considera, quæ illi præcepta dares, cum autem præcipere uolueris, uide, quid esset in eo laudandum. dicendi uerò genus necessariò contrarium est; cum id, quod imutatur, ex prohibente in non prohibens transierit.

Amplificatio ad laudem est adhibenda.

Vtendum est etiam multis argumentis, quæ amplificandi uim habeant; ut, si solus, aut primus, aut cum paucis socijs fecisse dicatur; aut ipsius potissimum in eo uirtus enituit; hæc enim omnia sunt honesta. A temporibus etiam, & occasionibus amplificare

re licet; ut si qua præter expectationē facta fuerint; &, si sępius eadem in re se rectè, feliciterque gesserit; hoc enim magnum uidetur, & non à fortuna, sed ab eius consilio factum; &, si ea, quæ homines excitant, & honorem adferunt, ab eo, quem laudamus inuenta fuerint, & præparata, &, in quem prima fuit edita laudatio, ut in Hippolochum; sicuti Harmodio, & Aristogitoni primis in foro statuæ collocatæ sunt, eodem modo res sese habet in contrarijs. Quòd, si non poteris eum per se copiose laudare; ex aliorum cōparatione laudes eius amplificabis: quod Isocrates faciebat ex consuetudine docendi, quę ad iudiciale genus pertineret. sed cum eis cōparare opus est, qui cum laude uixerunt. sic enim eius dignitatem amplificare poteris, si docueris, eum pręstantibus uiris anteponendum.

Cadit autem in exornationes potissimum amplificatio, nam in exuperentia est, quę ipsa rerum honestarum una habetur. quare, si cum pręstantibus uiris non potueris, cum alijs quibuslibet conferas, omnis enim exuperantia uirtutem quandam uidetur indicare. omnino uerò ex uniuersis dicēdi formis, quę tribus generibus communes sunt, amplificatio demonstratiuo generi maximè est accommodata, nam, qui laudant, res manifestas, & certas sumunt, itaque restat eis tantum magnitudinem, & pulchritudinem adiungere. Exempla uerò deliberatiuo generi maximè conueniunt, nam, ex pręteritis futura conijcientes, quid sit agendum, statuimus. Argumentationes in iudiciali genere sunt maximè necessarię: quod enim fa-

ctum esse dicitur, propterea, quòd est incertum, causam, & probationem requirit. Hæc ferè sunt ex quibus laudationes omnes, & vituperationes ducuntur, &, quæ respicere eos oportet, qui laudant, & uituperant, & unde encomia, opprobriaque conflantur. his enim cognitis, quæ contraria sunt, facile cognoscuntur, nam ex contrarijs uitúperatio constat.

Laudanti enim, & uituperanti sunt hi propositi fines] Nunc ad loca explicanda, quę generi demonstratiuo sint opportuna transit. orator au tem in hoc genere laudat, aut uituperat. laudat ab honesto loco desumens, uituperat uerò à turpi. quę duo sunt huiusce generis loca præcipua. sed, cum honestum bonum sit, idcirco iucundũ. malum autem non est per se iucundum, sed quã doque uidetur: quoniam qui corruptum habet appetitum; illud malum bonum esse existimat. at bonum, quod est honestum, delectat, in eo, quod bonum est, siue per se, talis est uirtus, de cuius speciebus locutus est Arist. Et ea, quibus pmium propositum est.] Alterũ altero magis laude dignum esse explicat Aristo. & uiginti dat loca, à quibus id haurimus. Assumenda prætere a sunt ea, quæ uicina sunt,] cum nobis quãdoque desint uera laudũ loca; ea assumemus, quæ proxima sunt honestis: eaq; septem numerat. Vtendũ est ẽt multis argumentis, quæ amplificãdi uim habeant.] Vnde laudes amplificare poterimus, plura recenset Aristo. loca, quę, ni fallor, nouem sunt. Amplificatio demonstratiuo

generi

generi maximè eſt accommodata] quemadmodum; enthymemata ſe habent ad genus iudiciale; ſic exempla ad deliberatiuum,& amplificatio ad demonſtratiuum: ſunt enim quodam unum tria argumentorum genera.

Loca & propoſitiones, quæ ſint generis iudicialis propriæ, in accuſando, ac defendendo. de iniuria quibus de rebus fiat, cui, & à quo legum diuiſio.

RELIQVVM *eſt igitur, ut de accuſatione, & defenſione verba faciamus, &, ex quot numero, qualibusque rationes colligere oporteat. Tria verò ſunt, quæ in hoc genere ſumere oportet: primo, quænam ſint, & quot, quæ ut conſequantur, homines iniuriam faciunt, deinde quomodo affecti, quempiam iniuſtè lædant, tum quos, qualeisque offendant: quæ ſingula deinceps declarabimus, ſi prius, quid ſit iniuriam facere, definiuerimus. Eſt igitur iniuriam facere, ſponte contra leges alicui nocere. leges verò ſunt uel propriæ, uel communes: propriam legem eam voco, quæ ſcripta eſt, &, qua utimur in Rep. communem verò, quæ, licet ſcripta non ſit, tamen ab omnibus probari, confirmarique uidetur. Sua ſponte dicuntur facere, qui ſcientes faciunt, & à nemine coacti. non tamen quæcunque ſponte faciunt, etiam conſultò, & delectu adhibito faciunt, ſed quæcunque faciunt conſultò, & adhibito delectu, ea ſcientes omnia faciunt; neque enim quiſquam, quod ignorat, id eligit. Quæ uerò impel-*

impellunt homines, ut contra leges aliquem offende re velint, & iniusta facere non dubitent, duo sunt, uitiositas, & incontinentia: nam, qui uel uno uitio, uel pluribus tenentur, in eo ipso, quo vitiosi sunt, etiam iniuriosi esse solent, ut auarus & illiberalis in pecunia quærenda, intemperans in explendis corporis uoluptatibus, mollis aũt & ignauus in ocio amplexando, timidus in periculis euitandis: nam eos, qui cum ipso periclitantur, propter timorem deserit. ambitiosus propter honorem iniurius est, iracundus propter iram, contentiosus propter victoriam, amarus, asperque natura propter ultionem, insipiens eo quòd de æquo, & iniquo peruersè iudicat, impudens eo quòd famam, & existimationem suam negligit. Atque eodem modo singuli alij in rebus ijs sunt iniurij, quas auidè cupiunt. Reliqua enim, quę multa sunt, partim ex ijs perspicua sunt, quæ iam de virtutibus diximus, partim autem intelligentur ex ijs, quæ de perturbationibus postea dicemus. Restat, ut explicemus, cuius rei gratia soleant homines iniuriam inferre, & quomodo affecti, & quibus nocere studeant. primum igitur distinguamus, quænam appetentes, & quæ fugientes, iniuria quempiam afficere moliamur: perspicuum est enim accusatorem oportere diligenter aduertere, quot eorum, & quanta sint in reo, quæ cupientes homines iniuriam inferam, defensorem autem, quot, & quanta non insint.

Est igitur iniuriam facere, sponte contra leges alicui nocere,] Sponte: quoniam qui coacti, aut nescientes lędunt, non iniuriam faciũt.

contra

cõtra leges quia iudex improbum ſecundum leges lędit. quare ei iniuriam non infert. Nocere alicui.qui enim non nocet alicui uerbis, nec factis,non facit iniuriam.quapropter qui iniuriam infert eum nullus impellit,ſed a ſeipſo concitatur ad iniuſta facienda,aut dicēda. & idcirco uoluntariè agens hominem ad iniuriam inferendā. ſed iniuſta,quæ nam ſint in genere iudiciali ſunt prępicienda. Agens eſt fortuna,uis,natura,conſuetudo,ratio,cupiditas,& ira. Fortuna autem, uis,& natura per ſe ipſas non agunt: ſed conſuetudo,ratio,cupiditas, & ira.conſuetudine; quoniam ſæpe fecerunt. ratione uerò fiunt, quæ cū ita ſint ex bonis antea dictis,cōferreque uideantur,uel ut finis,uel ut ad finem propter utilitatē aguntur.ira uerò fiunt,quibus ulciſcimur. cupiditate uerò aguntur,quæcunque iucunda uidentur.unde fit,ut ea,quæ ſæpe aliquis facit, à conſuetudine ductus,uel à ratione,uel ab ira, uel à cupiditate, omnia ſint, aut uideantur bona: & ſint, aut uideantur iucunda: nam malorum repulſio, & minoris mali aſſumptio: deinde doloris reiectio, & minoris doloris aſſumptio in bonorum,uel iucundorum numero ponuntur:ſunt enim quodam modo eligibilia. Ratione igitur iniuriā facientis, ſeptē habemus loca generica. qd uerò iucundum ſit,& quænam ſint,ſubdit Ariſt.

Eorum,quæ fiunt,atq; aguntur diuiſio.

OMNES *autem omnia faciunt partim non per ſe ip-*

se ipsos, partim uerò per se ipsos: & , quę non per se ipsos faciunt, partim fortuito, partim necessariè faciunt. & eorunm, quæ necessariè, partim ab extrema ui partim ab insita natura facere coguntur. quare omnia, quæ non per se ipsos homines agunt, partim à fortuna proficiscuntur, partim à natura, partim ab externa ui. Quęcunque uerò per se faciunt, & quorum ipsi auctores sunt, ea uel propter consuetudinem, uel propter appetitum faciunt, & appetitum quidem uel rationis compotem, uel expertem rationis. est autē uoluntas, appetitus boni cum ratione: nemo enim aliud vult, q̃ id, quod bonum esse iudicarit. appetitus uerò rationis expertes duo sunt; ira, & cupiditas. Quamobrem omnia, quæ faciunt homines, necesse est, ut septem causarum oriantur ab aliqua; hoc est, uel à fortuna, uel à ui, uel à natura, uel à consuetudine, uel à ratione, uel ab ira, uel à cupiditate. Velle autem, quæ agunt homines, etiam ex qualibet ætate, aut habitu animi distinguere, superuacaneum est: nam, si contingit in iuuentute citò irasci, aut cupiditatibus trahi; hęc non ætati sunt attribuēda, sed irę, & cupiditati. neque propter diuitias, aut paupertatem quicquam agunt: sed usu uenit pauperibus, suadente egestate, ut pecunias cupiant: diuitibus autem ob facultatem, ut cupiant minimè neceßarias uoluptates. sed etiam hi, quæ agunt, non aut diuitijs, aut paupertate impellente, sed hortante cupiditate faciunt. eodem modo iusti, & iniusti, & alij, qui ex habitu animi quippiam facere dicuntur, propter hæc eadem faciunt: uel enim rationem, uel mores sequun-

tur. ſed in hoc differunt, quòd aliqui bonis moribus, & affectionibus ad agendum impelluntur: aliqui uerò contrarijs. Illud quidem certè contingit, ut diuerſos habitus animi diuerſæ actiones conſequantur: confeſtim enim fortaſſe temperanti propter temperantiam contingit, ut eum opiniones, & cupiditates bonæ comitentur: intemperanti uerò, contrariæ de ijſdem rebus. Itaque diuiſiones huiuſmodi prætermittendæ ſunt, atque illud conſiderandum, quę, quibus cõſequentia ſint: ſiue enim albus ſit, ſiue niger, ſiue magnus, ſiue paruus; nihil eorum, quæ dicta ſunt, ideo conſequi ſolet: ſed, ſi iuuenis ſit aut ſenex, iuſtus aut iniuſtus; iam plurimi intereſt. & omnino uidenda ſunt omnia, quæ, cum accidunt, hominum mores uariant, atque commutant: ut, ſiquis ſe diuitem eſſe exiſtimet, aut pauperem, per magni intererit, & ſi fortunatum, aut infortunatum. ſed de his poſtea ſuo loco dicemus: nunc ea, quę reſtant, primo perſequamur.

A fortuna igitur dicuntur ea prouenire, quorum cauſa incerta, atq: indefinita eſt, nec certum ſibi finẽ propoſitum habent: neq; ſemper neq; plerunq;, neq; ordinatè fiunt: quæ quidẽ omnia, ex ipſius fortunæ definitione perſpicua ſunt. A natura proueniunt ea, quorum cauſa in ipſis conſtituta eſt, & ordinata, uel enim ſemper, uel plerunque eodem modo fiunt. de ijs uerò, quæ contra naturam fiunt, nihil attinet hoc loco ſubtilius diſputare, utrum à naturæ aliqua ui, an ab alia quadam cauſa gignantur: nam fortuna etiam eorum omnium uideri cauſa poteſt. Per uim ea fieri dicuntur, quæcunque fiunt quidem ab aliquibus; ſed tamen

men contra cupiditatem, & uoluntates eorum ipsorum, qui illa faciunt. Consuetudine faciunt homines ea, quæ iam antea sæpius fecerunt; & ideo nunc facilius efficiunt. Consilio ac ratione fiunt, quę prodesse uidentur. & sunt è numero bonorum, quæ supra diximus, uel tanquam fines, uel tanquam ea, quę ad finem perducunt: & hoc, quando propter ipsam utilitatem fiunt: nam etiam intemperantes quædam quę sunt utilia faciunt, non tamen propter utilitatem, sed propter uoluptatem. Propter excandescentiam autem, & iram fiunt ea, quæ ad ultionem pertinent. differũt autem inter se ultio, & castigatio: castigatio enim eius gratia est, cui dolor inuritur; ultio uerò eius, qui suam iniuriam ulciscitur, ut animum expleat. uerum, quibus in rebus excitetur ira, perspicuum erit, cum de perturbationibus animi postea dicemus. Propter cupiditatem ea fieri solent, quæcunque iucunda, & suauia uidentur: nam & quod alicui familiare est, & in quo quis diu uersatus sit, inter res iucundas connumeratur; multa enim, quæ natura sua iucunda non sunt, tamen iucundè faciunt homines, cum assueuerint. Itaque (ut summatim dicam) quęcunque per se ipsos homines faciunt, ea omnia uel bona sunt, uel bona uidentur, uel iucunda sunt, uel speciem iucunditatis habẽt. & quoniam, quæ per se ipsos agunt homines, ea spontè faciunt, & quæ non per se ipsos, ea non spontè; sequitur, ut quæcunque spontè faciunt, ea uel bona, uel simulata bona sint, uel iucunda, uel iucunditatis speciem habentia. Ego enim etiam liberationem malorum, & eorum, quę mala uidentur, & minoris ma-

li optionem pro maiore in bonis colloco, quodã enim modo ſunt expetenda: & pręterea rerum moleſtarum, & earum, quę moleſtæ uidentur, liberationem, uel minoris moleſtię optionem pro maiori eodem modo iucundis numero. Videndum igitur, quę ſint utilia, quę iucunda. ſed, quia de utili iam ſuprà in deliberatiuo genere diximus; reliquum eſt, ut in pręſentia de iucundo diſſeramus. Eas uerò definitiones huic præceptioni ſatisfacere debemus exiſtimare, quę de ſingulis rebus prolatę, neq; obſcurę, neq; exquiſitę fuerint.

Omnes autem omnia faciunt,] A quatuor locis principalibus, atq; genericis, quæ ſunt conſuetudo, ratio, ira, & cupiditas, trahuntur alia loca, quæ ad bonum, & iucundum pertineant. ſed, quoniam iucundum non dicitur de uno tantum, ſed de pluribus; itaque ab eo ſumuntur alia loca uniuerſalia, quæ numero ſunt nouem, ueluti capita. Horum primum eſt earum rerum, quę nõ ui fiunt: dictum enim eſt ea, quæ non ui fiunt, eſſe iucunda. hinc deſidia, ludi, ſomnus, accubitus iucundi ſunt. ſecundum eſt earum, quarum cupiditate perciti aguntur: cui enim cupiditas ineſt, id eſt iucundum. ea uerò aut naturalia ſunt, ut fames, & ſitis, & alia conuenientia ſenſibilia, ueluti odores, ſoni, colores, & tactilia. aut ratiocinatione quadam mota: nam multa poſſidere cupimus; cum audierimus, atque perſuaſi fuerimus. Tertium eſt eorum, quæ uel in ſentiendo præſentia ſunt, uel in recolendo præterita, uel in ſperando futuram. ſentimus iucunda præſen-

tia, præteritarum meminimus, & futura speramus. Quartum caput est eorum, quorum uoluptate afficimur, quatenus excedere imaginamur excessuum enim imaginationes iucundissimæ sunt. hinc uincere iucundum est: nam in uincendo imaginatio excessus fit, cuius rei omnes, uel plerique natura cupidi sunt. item uenatio: ibi enim certatio, ac uictoria est, uel speratur. hinc oritur honor, & gloria. Quintum est earum rerum, quæ nobis amicæ, ac familiares sunt: amicus enim iucundus est: item dona, beneficia, & id generis: quia amare est iucundum. Sextum est amari: iucundum enim est amari, diligi, coli, obseruari, admirari: tunc enim imaginamur bonum nobis inesse, quod qui sentiunt, omnes cupiunt. adulatio quoque est iucunda. Septimum est uarietas: hæc enim iucunda est; quoniam naturæ humanæ, quę in eodem statu nunquam permanet, maximè conuenit. satietas contrà. Octauum est eorum, quæ similia, & genere coniuncta sunt, ut homo homini, adolescens adolescenti carus est, & iucundus. Nonum est sapientem esse: qui enim sapit, multis, ac admirabilibus calet, quæ iucundissima sunt.

Voluptas, atque molestia quid, & quarum rerum in causa sint.

PONAMVS *igitur, uoluptatē, motū animi quendam esse, & subitam, sub sensumque cadentē instauratio-*

rationem ad explendam naturam. huic autem contraria est molestia. Quòd si voluptas est huiusmodi; perspicuum est, id esse iucundum, quod eius affectionis efficiens est: quod autem eam effectionem interimit, aut quod illi contrarium statum inducit, molestum est. necesse est igitur esse iucũdum plerunq; cum quis ad id accedit, quod ipsi est ex natura: & præcipuè, cum ea, quæ sunt à natura, suam ipsorum naturam recuperarint. Et consuetudo iucunda est: id enim, cui quis assueuit, iam illi tanquam innatum, insitumq; est: nam ipsa consuetudo quandam cum natura similitudinem habet. quod enim crebrò fit, non multum abest ab eo, quod semper fit. quæ uerò semper fiunt, à natura proueniunt, quæ crebrò à consuetudine. Et, quod nõ est uiolentum, est iucundum; uis enim contra naturam est. ideo necessitas omnis est molesta, recteque dictum est a poeta quodam,

Insuaue est semper, fieri quodcunque necesse est.

Et sedulitates, studia, contentionesque animi molesta sunt: hæc enim omnia necessaria, ac uiolentia sunt; nisi fortasse quis in eis diu uersatus fuerit; tunc enim consuetudo iucunditatem parit. contraria uerò sunt iucunda: ideo cessationes, ocia, relaxationes, ludi, quietes, somnus in iucundis ponuntur; nihil enim horum est necessarium. Id etiam omne, cuius cupiditate tenemur, est iucundum: cupiditas enim, rei iucundæ appetitus est. cupiditatum autem aliæ ratione carent, aliæ sunt cum ratione coniunctæ. ratione carenteis eas uoco, quas non iudicio, cogitationeque nostra suscipimus. sunt autem

eiusmo-

eiusmodi, quæ natura nobis inesse dicuntur, quæ propter vsum corporis nobis hærent; ut alimenti gratia sitis, & fames, & cuiusque nutrimenti appetitio: & quæ gustatu percipiuntur: & quæ in Venereis rebus: & omnino, quæ tactu delectant: & odorum suauium qui naribus sentiuntur, & audiendi, videndiq; cupiditates. cũ ratione coniunctę sunt cupiditates illæ, quas alicuius oratione persuasi homines concipiunt: multa enim & videre, & acquirere capiunt; cum ab alijs ea laudari audiunt, & eorum uerbis fidem habent. Et quoniam iucunditas in quadam affectione sentienda posita est; phantasia verò sensus quidam est, sed infirmus; & ei, qui recordatur, aut sperat, phantasia comitatur eius rei, quam recordatur, aut sperat; perspicuum est, hoc ito posito, uoluptates etiam ex acriori recordatione, & spe concitari; fit enim aliquo modo sensus. Itaq; necesse est omnia iucunda aut propter sensum esse præsentia, aut propter recordationem præterita, aut propter spem futura. sentiunt enim homines res præsenteis, recordantur præteritas, sperant futuras. Neque tantum ea iucunda sunt ex re cordatione, quæ, cum adessent, erant iucunda; sed quædam etiam, quæ molesta fuerunt; si postea quippiam honestum, atq; vtile consequatur. quo fit, vt illud rectè dictum sit.

Suauis est laborum præteritorum memoria:
& illud;

Nam iuuat, insanos hominem meminisse dolores,
Quot tulit, infestis fortunæ casibus actus.

huius autẽ rei causa est; quoniam est etiam iucundũ,

nihil habere mali. In spe sunt ea iucunda, quæ, cum præsentia sunt, vel oblectare, vel prodesse multum videntur: vel quæ sine vlla molestia prosunt. Et in summa, quæcunque nobis lætitiam adferunt, cum præsentia sunt, eadem & sperantes, & recordanteis plerunque delectant. itaque etiam irasci iucundum est; nemo enim illi irascitur, quem se nullo modo putat ulisci posse, neque illis, qui valdè ipsum opibus, potentiaque superant, aut, si irascitur; leuius, remissiusque irascitur: quemadmodum etiam Homerus de ira cecinit.

Dulcior effuso quæ melle in pectore gliscit.

Quin maximam cupiditatum partem voluptas quędam consequitur: nam aut dum recordantur se cupiditatem suam expleuisse, aut dum expleturos se sperant, quodam genere voluptatis afficiuntur: ut, qui febre laborant, cum siti premuntur, & recordati fuerint, se aliquando bibisse, sperantque futurum, vt bibant; gaudio afficiuntur: &, qui amant, cum de amoribus suis aut loquuntur, aut scribunt, aut canunt; semper lætantur: nam in his omnibus, cum apud illos deliciarum suarum memoria vigeat, quasi sentire se eas, existimant. & hoc omnibus amoris initiũ est cum non tantum præsenti specie gaudent; sed etiã absentem reuocantes in memoriã, diligunt. itaq; tunc amare incipiunt, cum id, quod cupiunt, abesse dolent. Quin etiam in luctibus, & lamentationibus quædam voluptas innascitur: dolor enim existit ex eius desiderio, qui mortuus est: voluptas autem ex recordatione, & quasi cõspectu eiusdẽ: dũ sibi illũ penè cernere

viden-

videntur, & quæ dum uixit, egit, & quibus moribus erat præditus, apud se repetunt. itaque illud etiam ab Homero dictum est: Sic ait, & cunctis flendi est exorta cupido. Vlcisci etiam inimicum, suaue est; nam quod molestum est, nisi assequamur, id iucundum est, cum assequimur: irati enim maiorem in modum dolent, nisi suas iniurias vlciscantur. quòd si sperent ulcisci, gaudent. Vincere etiam suaue est non solùm uictoriæ studiosis, sed etiam alijs omnibus: nam in victoria quædam est excellentiæ opinio, cuius desiderio tenentur omnes aut remissius, aut uehementius. Et, quoniam uincere suaue est; necesse est etiam, ut omnes ludi concertatorii, & in quibus pugnæ simulachra sunt, & in quibus fistula, cantuque contenditur, & in quibus disputatur, suaues sint; quoniam in eis uincere sæpe contingit, & talorum ludus, & pilæ, & aleæ, & tesserarum. Eodem modo in grauibus, honestisque ludis sæpe iucunditas existit; nam hi tunc iucundi sunt, cum quis assueuerit: illi uerò statim sunt iucundi, vt venatio, & omnis ars, qua feræ captantur: ubi.n.contentio est, ibi est etiam victoria. Itaq; iudicialis ẽt labor, & controuersæ disputationes iis iucundæ sunt, qui iã assueuerint, & eas tractare possunt. Honor præterea, bonaq; existimatio inter res suauissimas numerãtur: propterea ꝙ unicuiq; nascitur huiusmodi de se opinio, quòd talis sit, & quòd uirtutis sit studiosus, & multò magis, cum hæc audiuerit ab eis, quos uerè sentire existimat. tales autem sunt vicini potius, quàm qui interuallo locorũ disiun

cti sunt, & familiares, & noti: & ciues potius, quàm externi, & qui nunc uiuunt, potius, quàm posteri, & prudentes magis, quàm imprudentes, & multi magis, quàm pauci: verisimilius enim est eos, quos dixi, uera sentire, quàm qui sunt eis contrarij: nam, quos aliquis ualdè contemnit, vt pueros, & belluas, ab eis non curat sibi honorem, aut gloriam attribui: intelligo aũt ipsius gloriæ causa; nã, si curat, propter aliud aliquid curat. Et amicus res est iucũda: nã amare iucundum est: neq; enim quisquam uini amator est, qui non uino gaudeat. contrà uerò, suaue est ẽt amari: nam, qui amatur, cogitat, se uirum esse probum: quòd eius probitatem expetant oẽs, qui eam cognòscunt. amari autem est, ipsum propter sè carum esse, atque diligi. Admiratione quoque affici iucundum est; quia qui quempiam admiratur, eum etiam honorat. Adulari præterea res est iucunda, atque etiam assentator ipse, siquidem admirantis, & diligentis speciem habet assentator. Eadem etiam sæpe facere iucundũ est; quod enim familiare est, etiam iucundum. Et commutatio res est iucunda; nam commutari naturæ accommodatum est: quod enim semper idem est, in exuperantiam transit, & præsentem habitum corrumpit: unde benè dictum est. Omnium rerum uicissitudo est iucunda. hac de causa, quæ fiunt interposito temporis spatio, iucunda sunt. & homines, & res post longum tempus delectant, quoniam præsentem statum commutant. huc accedit etiam, quia id, quod interposito tempore fit, rarum est. Discere quoq; iucundum est, & admiratione duci plerunq; est suaue: nam, cum ad-

miramur,

miramur, discere cupimus, & , quod est admirabile, desiderium excitat, atq; in discendo proficiscimur in eum statum, qui nobis naturalis est. Praeterea beneficia in alios conferre, & ab alijs accipere, iucundum est. nam accipere beneficium, est id assequi, quod quis cupit, conferre autem, est habere, & praestare alijs, ac excellere, cuius utriusq; rei homines cupidi sunt. Quoniam autem iucundum est, dare beneficium; ideò propinquos etiam corrigere, & emendare iucundum est: & absoluere, quae ab alijs inchoata, atq; imperfecta relicta sunt. Et quia discere, & admirari iucundum est, illa quoque omnia, caeteraq́; eiusmodi iucunda esse necesse est, quae per imitationem facta sunt: ut pictura, & ars statuaria, & poetica, & denique quicquid imitatione benè expressum fuerit; etiam si illud minimè iucundum fuerit, quod exprimit imitatio: neque enim quisquam ex hoc uoluptatem capit; sed quia colligit hoc illud eße, quo fit, ut aliquid discere uideatur. Et subitae rerum mutationes, ut in tragoedijs, iucundę sunt: & è periculis euadere, quibus aliquis penè oppressus fuerit: haec enim omnia concitant admirationem. Et, quoniam quod est ex natura, iucundum est, & , quae sunt eiusdem generis, sunt ex natura: fit ideò, vt quae sunt eiusdem generis ac similia, plerũq; iucunda sint; ut homo homini, equus equo, iuuenis iuueni. undè fluxerunt illa prouerbia. Aequalis aequalem delectat: & Simile semper simili gaudet: & Fera feram agnoscit: & Semper graculus cum graculo, & reliqua huius generis. Quoniam autẽ, quod simile est, cognatumq́;, iucundum sibi ipsi omne est, & unicuiq;

modo ipsi affecti sint, qui iniuriam faciunt, & cuius generis homines offendant, explicemus.

A quibus fiat iniuria.

ATQVE *illi quidem ad iniuriam faciendã aggrediuntur, qui sperant rem effici posse, & à se effici, & præsertim cum facinus suum putãt fore clàm, aut si fortè res patefacta fuerit, impunè se abituros: aut, si iudicij pœna lenior, quàm facti præmium; siue ipsis res ea fructum allatura est; siue illis, quos caros habent. Quæ uerò sint ea, quæ fieri posse uideantur, & quæ non posse fieri, posteà declarabimus: sunt enim partium omnium artis Rhetoricæ communia. Atque illi potissimum maleficiorum impunitatem sperant, qui dicendi facultate præstant, & qui in rebus gerendis multum ualent, & qui iudicialium controuersiarum benè periti sunt: & si amicorum, diuitiarumque copiam habuerint. maximè uerò, qui his præsidijs fulti sunt, elabi se posse cõfidunt: sin minùs; etiã tum confidunt, cũ amicos huiusmodi, uel administros, uel socios habuerint; propter hæc enim & iniuriã facere, & latere, et non dare pœnam possunt: & si amici eis fuerint, quibus iniuriã fecerunt, aut ipsis iudicibus: nã amici non prçcauẽtes ad iniuriã sunt expositi: deinde antea placantur, quàm res in iudicium ueniat: iudices autẽ illis gratificantur, quibus amici sunt; & aut penitus absoluunt, aut parua pœna mulctant. Latere solent illi, quibus crimina non conueniunt: ut, si quis infimo corpore dicatur, alium usque ad necem uerberasse: & si pauper, & deformis homo*

gat patris, & matris iniurias vlcisci, quod Zenoni accidit, pœnæ verò sint aut pecuniarum, aut exilij, aut alicuius huiusmodi rei: utrique enim, aut vtroque modo se habentes iniuriosi sunt, non tamen ijdem, sed uita, & moribus inter se contrarij: &, qui flagitia sua sæpius occultarunt, aut deprehensi pœnas non dederunt: &, qui sæpe sua spe deiecti sunt, & infelicem exitum habuerunt, quidam enim in his etiam rebus, sicut in bello reperiuntur, qui rursus belli fortunam tentare uoluerunt. &, quibus uoluptas statim ex facto proposita est, molestia verò postea, uel lucrum est præsens, pœna uerò sera. tales sunt incontinentes homines, nam incontinentia uersatur in eis rebus omnibus, quas uehementer appetunt: &, quibus contrà iam molestia, aut pœna præsens est; voluptas autem, & vtilitas posterior, & diuturnior consequetur; nã continẽtes, et prudẽtiores homines talia consectãtur: &, qui videri possunt aut casu fecisse, aut necessitate imposita, aut natura impulsi, aut consuetudine; aut deniq;, qui sperãt, se probare posse per imprudentiã peccasse, non aũt scienteis, uolenteisq; læsisse: &, qui sperant fore, vt non summo iure, sed ex æquo, & bono secum agatur, & quicunque sunt indigentes, duobus autem modis indigentes dicuntur, uel rerum necessariarum quales sunt mendici, aut pauperes, vel exuberantium rerum quales sunt diuites, & ij, de quibus omnes benè existimant, & ij, de quibus pessima est opinio: nam illi se latere posse sperant, quòd nemo de eis malè existimat: hi uerò, quòd nullam amplius existimationis iacturam facere possunt. Atque his

quidem de causis ad iniuriam faciendam aggrediuntur homines. quos autem,& qualeis lædant, iam uideamus:

Atque illi quidam ad iniuriam faciendam aggrediuntur] causas quidem narrauimus, quibus incitantur hi,qui iniuriam faciunt.nunc uerò qui sint ij, qui ad iniuriam inferendam aggrediuntur,explicat,& ait eos esse,qui celare sperant facinus: aut, si non sperent celare; sperant deprehensos non pœnas daturos: aut,si daturos dubitent,sperãt minus sibi futurum esse supplicium, quàm emolumentum, quod ex illata iniuria assequantur. hæc sunt loca generica: specifica uerò particulatim exponit.

Quibus fiat iniuria.

Eos *igitur lædũt,qui eã possident, quorũ ipsi sunt indigentes uel ad usus uitæ neceßarios, uel ad exuperantiam,vel ad perfruendas voluptates,& eos, qui longinqui,& eos qui propinqui sunt;nam hi facilè,celeriterque possunt expilari.ab illis verò venit tarda vltio;vt,qui Carthaginenseis de populantur, & qui sunt incauti,seque,ac sua non custodiunt, sed creduli sunt:taleis enim homines facilè est occultè lędere: et, qui sunt inertes,ac desides, neq; enim ab eis in iudicium uocari reformidant.& qui verecundi sunt,huiusmodi enim homines propter pecuniam digladiari nolunt,&,qui iam à multis iniuria sunt affecti, neq; tamen unquàm quenquã in iudicium uocarũt:sunt enim hi,(quod prouerbio fertur) Mysorũ præda, & quos*

nunquam,

nunquam, & quos sæpius læserunt; nam utriq; sunt incauti, illi, quia suspicione carent; hi uerò, quia non amplius timent: &, qui sunt infames, aut qui facilè possunt accusari; tales enim iudicio experiri non audent; quia iudices reformidāt, neq; si experiantur, fidem facere possunt, quo in numero sunt etiam ij, qui multis odio sunt, & qu inuidiam habent: &, contra quos ansam arripere possunt, q aut maioribus suis, aut sibi, aut amicis, aut eis, quorū salutē carā habēt, uel malefecerint, uel facere studuerint, nā(vt est in prouerbio) sola occasio malitiæ sufficit. Eos etiam lædunt, qui uel amici, uel inimici sunt, nam amicos lædere facile est, inimicos autē suaue: & qui uacui sunt ab amicis, & dicendi facultatem non habent, nec in rebus gerendis strenui sunt; hi nanq; uel iudicio non experiūtur, uel antea placātur, uel rē ad exitū nō deducunt: &, quibus non utile est tempus terere, dum aut iudicium fiat, aut multa dissoluatur, quales sunt peregrini, & agricolæ, & opifices; nam hi parua accepta pecunia, remittunt iniurias, & facilè desistūt: & qui in alios sæpè iniuriosi fuerūt, & qui taleis iniurias intulerunt, qualeis patiuntur; nā ferè nihil iniuriæ uidetur is fecisse, qui quēpiā lædit in ea re, qua solitus est ille sępe alios lędere; ut, exempli gratia, si quis cū pulsaret, qui multos solitus sit cōtumelijs uexare: et qui præterito tēpore malè ipsis fecerunt, aut facere noluerunt, aut in præsentia uolunt, aut posteà facturi sunt; habet .n. hoc in se iucūditatē, et honestatē, et tale est; ut, omni ferè iniuria carere uideatur: et, quos si lędūt, aut amicis gratificantur, aut eis quos suspiciunt, aut

amoribus suis, aut dominis, aut eis, à quibus omnino pendent, aut à quibus aliquid commodi sperant, et quibus crimina iam intulerint, et quibuscum amicitiã diremerint; hæc.n.ferè uidentur nullam in se iniuriam continere, quemadmodum se Callippus contra Dionem gessit, & quos uident ab aliis læsum iri, nisi ipsi præoccupauerint, tunc enim sibi non amplius deliberandum censent, quemadmodum dicitur Aenesidemus Geloni quædam munera misisse, quòd eos in seruitutem redegisset, quos ipse inuadere statuerat, nisi is præoccupasset, & quos si læserint, multas deinde res iustas facere poterunt, quibus culpam eam facilè deleant, quemadmodum Iason Thessalus dicere solebat, oportere quædam iniustè facere, vt facultas acquiratur, qua multa deinde iusta fiant.

Eos igitur lædunt] hoc est, hi homines iniuria afficiuntur, qui ea possident, quibus hi, qui iniuriam inferunt, sunt indigentes. indigent dico, aut simpliciter, id est, ad usus uitæ necessarios, ut inopes: aut ad exuperantiam, idest ut abundent, ut diuites: aut ad perfruendas uoluptates, ut incontinentes, qui egent, ut uoluptate fruantur. hi in genere sunt, qui iniuria afficiũtur. qui uerò particulatim subdit, dum ait. Et eos, qui longinqui, & eos, qui propinqui sunt. loca sunt decem, & octo.

Quæ peccata committant homines.

Ea verò peccata committunt homines, quæ vel

omnes

omnes alii, uel multi committere solent: quoniam se facilè veniam consecuturos existimant: & , quæ se non difficulter occultare posse sperãt. talia verò sunt, quæ citò absumuntur: ut cibaria: uel quæ uariari facilè possunt commutata forma, vel colore, vel temperamento: uel, quæ multis in locis facilè est ita abdere, vt non appareant: qualia sunt ea, quæ facilè huc, & illuc transportantur: &, quæ paruis in locis occultantur: & præterea, cum auctor iniuriæ possidet aliqua, quæ uel eiusdem generis sint, uel eis similia, quæ furatus est. Eas etiam iniurias inferunt, quas qui patiuntur, pudet proferre: ut, quæ vxoribus fiunt, aut ipsis, aut filijs: &, quas siquis iudicio persequi velit, nimis appetens litium esse uideatur. tales sunt leues, paruæq; iniuriæ, quibus vulgò solent homines ignoscere. Quemadmodum igitur affecti homines iniurias faciant, & quas, & quibus hominibus, & quibus de causis, ex his intelligi ferè potest. Nunc verò quæ sint iniustæ actiones, & quæ iustæ, distinguamus, atque hinc initium sumamus.

Ea uerò peccata committunt homines] Hactenus de his, qui iniuria affici solent, sed in quibus rebus facilè, exponit; locaq; octo recenset.

De iniurijs, & iustè susceptis actionibus unde iniuriarum nomina distinguuntur.

QVAE *iusta sunt, atque iniusta duplici lege definita sunt, & duplici personarum genere. Legem autem duplicem voco, quòd aliqua propria sit, ali-*

qua communis propria est illa, quæ ad singulas tantum ciuitates, aut nationes pertinet; quæ uel non scripta est, uel scripta. Communis uerò lex ea dicitur, quæ insita est à natura: est enim quoddam iustum, atque iniustum, natura cõmune, quod omnium menteis occupauit; quamuis cõsensio nulla hominum intercesserit, neq; ita inter se pepigerint: quemadmodum Antigona Sophoclis dicere uidetur, iustum esse Polynicem sepelire, quamuis interdictum esset, tanquam id natura iustum sit.

Hoc nanque non hodie, aut heri, at semper fuit.
Nec quisquam homo scit, eius ortus unde sit.

& quemadmodum Empedocles ait de non interficiendis animantibus ; hoc enim non aliquibus quidem iustum est, aliquibus autem non iustum.

Sed lex summa hęc est, extẽsa per æthera magnũ,
Aeraq; immensum, cunctis mortalibus alma.

& quemadmodum ait Alcidamas in oratione Messeniaca. Quod autem ad personas attinet, duobus modis distincta sunt ea, quæ facere, aut non facere oportet, uel enim ad totam ciuitatem, uel ad unũ aliquẽ eorũ, qui in ciuitate sunt, referuntur. itaq; duobus modis iustè, & duobus modis iniustè nos gerere possimus; uel enim erga unũ certum ac definitum ciuem, uel erga totã Remp. nam qui adulterium committit, aut uerberat, unum certum hominẽ iniuria afficit: qui uerò militiam detrectat, totam offendit Remp.

Cùm igitur iam distincti sint iniuriarum modi, & cum aliæ in Remp. aliæ uel in unum priuatum, uel in plureis fiãt iniuriæ: deinceps, si prius explicuerimus,

quid sit iniuriam pati;reliqua persequemur. Est autem iniuriam pati,contra iustitiam offendi ab ijs,qui sponte offendunt;nam iniuriam facere,iam suprà docuimus esse uoluntarium. Quia uerò necesse est eum, qui iniuriam patitur,detrimento affici, & inuitum illud accipere;satis ex eis,quæ suprà dicta sunt,intelligi potest,quæ sint detrimentorum genera.nam bona, et mala prius distincta sunt per se:&,quę sint,ea quę sponte faciunt homines,nempe,quæ intelligentes faciunt.Itaq; necesse est omnia crimina uel contra totam ciuitatem,uel cōtra priuatos committi, uel ignorante illo,& inuito,qui iniuriam facit,uel uolente,et intelligente.Quas autem iniurias sponte, & intelligens quispiam facit,eas uel consultò,& cogitatò: uel perturbatione aliqua animi facit.ac de ira quidem tunc dicemus, cum animi perturbationes explicabimus.quæ uerò de industria faciũt homines,& quomodo affecti,iã suprà dictum est.Et,quoniam sæpe rei se fecisse confitentur,& tamen facti nomen non concedunt;aut id,quod nomine illo appellatur,ut sustulisse quidem,sed non furtum fecisse,et priorem percussisse, uerum cõtumelia non affecisse,& rem habuisse, non adulterium commisiße,& furtum fecisse,non autē sacrilegiũ, quòd ea res dei non esset, & coluisse quidē agrũ,sed nõ publicũ,& cũ hostibus collocutũ esse,sed nõ prodidisse:ideò hæc omnia definire,atq; explicare opus erit,quid sit furtum,quid cõtumelia,quid adulteriũ;ut si crimē illud reo uel hærere,uel nõ hęrere ostēdere uoluerimus,aperiēdi quid æquũ sit facultatē habeamus.In oĩbus.n.his quæstionibus cõtrouersia est,

vtrum quod factum dicitur, iniustum, improbumque sit, an non iniustum: nam in deliberatione, consilioque peccatum est, & omnis iniustitia. his autem nominibus animi sensus, & consilium indicatur, ut contumelia, furtũ, neq; enim, qui percussit, omnino contumeliã imposuit, nisi alicuius gratia id fecerit; ut, si uoluit eum ignominia afficere, aut ipse uoluptatem capere, neq; omnino qui clàm aliquid sustulit, furtũ commisit, nisi id fecit, vt alteri damnum afferret, & id quod sustulit, ipse haberet. eadem ratio est etiam reliquorum omnium, quam horum esse diximus.

Iustorum, & iniustorum duo genera.

QVIA *uerò iustorum, & iniustorum duo esse genera docuimus, & aliqua quidem scripta esse, aliqua uerò non scripta; de ijs, quæ scripta sunt, & legibus constituta, iam dictum est; quæ uerò non scripta sunt, ea rursus bipertitò distribuũtur. Nam alia sunt, quæ & virtutis, & vitij quandam exuperantiam in se continent, in quibus sunt uituperationes, & laudes, ignominiæ, & honores, & præmia, vt ei, qui beneficium dedit, gratiam habere, & ei beneficium reddere, à quo acceperis, & promptum esse ad amicos auxilio subleuandos, & cætera, quæ sunt eius generis. alia verò sunt propriæ legis, & scriptæ quasi supplementa quædam, nam quod æquum, et bonum est, id etiam iustum esse videtur.*

De æquo, & bono, & quot modis dicatur.

EST *autem æquum, & bonum id, quod præter*

scriptam

ſcriptam legem iuſtum eſt. quod quidem accidit partim inuitis, partim intelligentibus legum latoribus. atque iuuitis quidem, cum aliquid eos latet, intelligentibus uerò cum omnia definitè nequeunt explicare; ſed neceſſe habent generatim ſcribere, quamuis non ita ſemper ſe habeāt, ſed plerunq́;, & , cum propter infinitatem non facilè poſſunt omnia perſequi, vt vulnerare ferro, & quanto, & quali, deficeret enim prius vita hominem, quàm omnia dinumerare poſſet: nam, ſiquid adhuc indefinitum ſit, de quo legem ferre oporteat, de eo neceſſe eſt ſimpliciter, & uniuersè ſtatuere. Quare, ſiquis annulum ferreum habens èlata manu quempiam percuſſerit, ex uerbis legis ille reus eſt, & iniuſtè facit, re uera autem non facit iniuſtè. & hoc eſt, quod ęquum, & bonum appellatur. Cum igitur æquum, & bonum ſit eiuſmodi, perſpicuum eſt, quænam æqua, & bona ſint, & quæ contraria, & qui ſint æqui, & boni homines, & qui contra: nā illa ſunt æqua, & bona, in quib. quāuis lapſi ſint homines, tamen eis ueniā dare oportet. Aequum etiam eſt, non pari pęna dignos ſtatuere errores, & iniurias, neque errores, & infortunia. ſunt aūt illa infortunia, quæ præter cogitationē eueniunt, & à nullo animi uitio: errores uerò, qui nō quidem pręter cogitationem accidunt, ſed tamen malitia carent. iniuriæ ſunt illæ, quæ & à cogitatione, et ab animi vitio proficiſcuntur, nam etiam, quę impellente cupiditate fiunt, à malitia proueniunt. Humanę etiam naturę, imbecillitatiq́ue ignoſcere, ęquum ac bonum eſt, & non ad legem ipſam, ſed ad legiſlatorē

animum referre: & non verba legis, sed legislatoris sententiam spettare: neque factum ipsum; sed eius, qui fecit, animum considerare, neque partem tantum, sed rem vniuersam perpendere: &, qui reus est, non qualis nunc sit, sed qualis anteacto tempore fuerit, & maiori ex parte: & potius bonorum, quæ quis accepe rit, quàm malorum recordari: & accepta potius bene ficia meminisse, quàm collata: & acceptam iniuriam æquo animo tolerare: & verbis magis, quàm factis, de re decerni velle: & ad arbitrum potius quàm ad iudicem rē deferri velle: arbiter enim æquum, & bo num sibi proponit, iudex autem ipsam legem: neq; vl la alia de causa repertus est arbiter, nisi vt æquum, & bonum valeat. Ac ea quidem, quæ de æquis, & bonis dicenda erant, hoc modo declarata sint.

Quæ iusta sunt, atque iniusta duplici lege de finita sunt] diximus suprà iniuriam facere esse spontè contra leges alicui nocere, hoc est, à se- ipso concitari ad iniusta facienda, aut dicenda. iu sta uerò atque iniusta duplici definita sunt lege, & duplici personarum genere. Arist. ergo iusta ea esse asserit, quæ sunt, quemadmodum lex u- traque, scilicet naturalis, siue communis, & pro- pria iubet. iniusta uerò, quę contra utrasque, aut alteram; qui enim contra communem legē pec cat, is contra naturam agit, ueluti siquis filios in terimat. sed & lex communis est ius gentium in eo, quòd differat ab irrationalibus, item lex re- gionum, ciuitatum, & oppidorum, quæ naturam particulariū sapit, dummodo ab hominibus con

stituta

stituta sit: nam quæuis loci natura proprias exci tat leges, quarum cognitio magis attinet ad natu ralem philosophum, quàm ad iureconsultos, ac præsertim eos, qui non legũ conditores, sed exe cutores sunt. Lex uerò propria est, quæ ad unũ spectat, aut ad ciuitatẽ. prima appellatur ius priuatum, secunda ius publicum: nam qui cõtra publicum ius facit, ciuitatem, uel societatem lędit, qui contra priuatum, unum iniuria afficit. atque hinc manifestum fit, quæ iure facta, aut dicta sint, & quæ iniuria. uerum lex propria duplex est, scripta, & non scripta. non scripta meritò non scribitur, ut gratiam habere benemerito, Deum adorare, parentes colere. atque id bonum, & æquum dicitur: est enim bonum, & ęquũ id, quod pręter legem scriptam iustum est. & idcirco de hac lege plura scribit Arist. dum inquit. Est autem æquum, & bonum.

Iniuriæ maiores, minoresque quæ, & quot.

INIVRIAE verò maiores illæ sunt, quæ à maiore iniustitia proueniunt. Itaque minimæ quæq; iniuriæ maximæ sunt, vt Callistratus Melanopum accusat, quod tribus dimidiatis obolis Deo dicatis, templi ędificatores fraudasset: sed in rebus iustis, iustitiæ que contra accidit. hæc aũt talia sunt eo, quòd maiore quadam ui superant, vt qui treis dimidiatos obolos furatur, etiam quiduis aliud facile committeret. inter

dum igitur, quod maius est hoc modo iudicatur, interdum etiam ex damni magnitudine. Illa etiam maior est iniuria, cui par pęna nulla inueniri potest, sed omnes sunt inferiores, &, cui nulla medicina potest adhiberi; difficile est enim & omni potentia maius, et, in qua, qui passus est malum, pęnas iudicio sumere nō potest; id enim insanabile est, siquidem pœna est castigatio, & medicina quædam, & si, qui læsus est, & iniuriam accepit, in se ipsum grauiter animaduertit; nam multò maiori pœna dignus est, qui iniuriam intulit, vt Sophocles pro Euctemone, qui, cum iniuriam accepisset; se ipsum iugularat, dixit se non minorem reo pęnam irrogaturum ea, qua qui contumeliam passus fuerat, se ipsum multauerat; &, quam solus, aut primus, aut cum paucis fecit. Sæpius etiam in idem peccatum incidere, graue est. Illud quoque maius est, propter quod remedium, ac pœnæ quæsitæ sunt, & inuentæ; vt Argis eos puniunt, qui sunt in causa, vt noua lex cōstituatur, aut carcer ædificetur. Et, quod magis belluinos mores imitatur, peccatum grauius est, &, quod consultò, & cogitatò committitur, &, quod in animis eorum, qui audiunt, potius metum, quàm misericordiam, excitat. Et hæc quidem propria rhetorum sunt; vt, vno facto, multa iura sustulisse, aut violasse dicant; vt iusiurandum, dextras, fidem datam, ius coniugij; sic enim multarum iniuriarum exuperantia demonstratur. &, in eo loco, vbi sontes puniuntur, quod falsi testes faciunt; quem enim locum à scelere uacuum relinquent, qui etiam in ipso iudicio scelus admittere non dubitant? & ea, in quibus

homi-

homines erubescere maximè consueuerunt, &, si eum læsit, à quo beneficium acceperat, multis enim modis iniustus est, &, quòd damnum inferat, & quòd bene merenti non gratiam referat. Maius etiam ostenditur, quod cõtra ius non scriptum commissum est, nam viri melioris indicium est, nulla coactum necessitate iustum esse, quæ enim scripta sunt, ea necessario seruãtur, quæ verò non scripta, non necessariò. contra etiã magis peccare uidetur, qui contra iura, scripta quippiam committit, nam, qui scelera, quæ terribilia sunt, committit, nec pœnas reformidat, quantò magis in eis iniustus erit, vnde nullum sibi damnum impendere videat? Ac de iniuria quidem maiore, & minore dictum est.

Iniuriæ uerò maiores illę sunt] In uniuersum maior dicitur iniuria tripliciter: magnitudine iniquitatis, magnitudine damni, & amplificantium ostensione. Magnitudine verò iniquitatis, si quis minimum quid deis dicatum ruperet. magnitudine damni, iniuriarum octo scribuntur loca. magnitudine uerò iniurię amplificantium ostensione quinque recitantur loca.

Fides artis expertes quinque esse, & quomodo earum singulæ sint tractandæ, ac primum leges.

D E I N C E P S à nobis ea percurrenda sunt, quę ad probationes artis experteis, pertinere uideantur, nam hæ iudicialium controuersiarum propriæ sunt. sunt autẽ numero quinque, leges, testimonia, tabulę,

quæ-

quæstiones, iusiurandum. A primò quidem de legibus dicamus, & quomodo eis in suadendo, ac dissuadendo, in accusando, & defendendo vtendum sit. Planũ est enim, siquis scriptam legem causæ suæ contrariam habeat; ad communem legem ei confugiendum esse, et æquo ac bono, tanquam iustiore nitendum: & dicendum, hoc esse æquissima sententia iudicare, siquis non omnino scriptis legibus adhærere velit: & æquum, et bonum semper idem manere, nec vnquam immutari, sicuti neq; communis lex; insitum est enim in ipsa natura. scriptæ verò leges sæpe variantur. vnde illud in Antigona Sophoclis dictum est, vbi tuetur illa factum suum; quod licet contra Creontis legem fecerit, non tamen contra legem non scriptam.

Hoc nanq; non hodie aut heri, at semper fuit.
Ideo ego non timeo viri vllius minas:

& iustum id esse, quod est verum, atque vtile, non autem quod speciem tantum habet. itaque scripta lex non est iusta; neque enim legis officium exequitur: & rebus iudicandis præpositum esse iudicem, tanquam argentarium, qui id iustum, quod simulatum, et adulterinũ est, ab eo, quod est vere iustum, discernat: & si lex, qua premimur, aliquo modo contraria est iam probatæ legi, aut si secum ipsa pugnat; vt interdum altera lex iubet rata esse, quæcunque inter se homines pepigerunt, altera vero vetat, pactiones fieri contra leges, & si sit ambigua lex, vt quis eam torquere possit; tunc videre oportet, in quam partem iustum, atq; vtile conueniat, deinde illo vti: & si res illę propter quas lata lex fuit, non amplius manēt, lex

tamen

tamen adhuc seruatur; tunc laborandum est, vt id notum fiat, & hac ratione contra legem pugnandum.

Quòd si scripta lex pro nobis facit; tunc dicendũ est, æquissima sententia iudicare, non esse ideo iudicibus concessum, vt contra legem aliquid statuant, sed, ne fortasse peierent, si vim, ac sententiam legis nõ bene perceperint, & neminem esse qui, quod absolutè bonum est, quærat, sed quod sibi ipsi: & nihil differre, non latas leges, & in nullo esse vsu: & in alijs artibus non vtile esse discedere a præceptis, & callide aliquid excogitare, vt contra medicum; neque enim tantum detrimenti adfert erratum medici, quantum mala consuetudo non illi parendi, qui imperium habet: & hoc esse, quod in probatis legibus prohibetur, nequis ipsis legibus quærat, aut velle esse sapientior. Et de legibus quidem hæc dicta sint.

Si quis scriptam legem causæ suę contrariam habeat] Iam dictum fuit probationes alias artificiosas esse, alias absque arte. artificiosæ sunt quinque, leges scilicet, testes, pacta, quæstiones, & iusiurandum. nunc uerò Aristo. de artificiosa tractat probatione, ac primum de lege scripta, & inquit. Lex scripta aut aduersus nos est, aut pro nobis. si uerò aduersus nos; tunc communi lege, quæ ius naturale amplectitur: & ęquo, & bono, quod in non scriptis habetur legibus, utpote iustioribus utentur: atq; id octo argumentorum locis. Quòd, si scripta lex pro nobis facit] tunc, cum pro nobis est; amplificanda est totidem locis, uel quinque saltem.

Testium

Testium duo genera.

TESTIVM *verò duo sunt genera, nam alij sunt antiqui, alij noui. nouorũ aũt partim periculi participes sunt, partim extra periculũ positi. Antiquos testeis voco poetas, et claros auctores, virosq; illustreis, quorum sunt aperta iudicia, vt Athenienses Homeri testimonio de Salamine usi sunt, nuper etiam Tenedij contra Sigienseis Periandri testimonio sunt adiuti. & Cleophon contra Critiam Solonis elegis usus est, dicens eius familiam iampridem fuisse petulantem, neque enim aliter Solon vnquam ita cecinisset,*

Dic flauo Critiæ, vt studeat parere parenti.

& rerum quidem præteritarum testes sunt huiusmodi, futurarum autem etiã vates, & augures, vt Themistocles, cùm nauali prælio confligendum esse probare vellet, oraculum interpretatus est, quod iubebat, ut se ligneo muro defenderent. Quin etiam prouerbia sunt ex eo genere, quod dictum est, testimonia, vt si quis cuipiam suadeat, ne sibi senem amicum facere studeat, hoc vtatur prouerbio, in senem nequod beneficium contuleris. &, si quis hortetur quempiam, vt eos filios tollat, quorum patres iam necarit, illud proferat.

Stultus, qui natos, occiso patre, relinquit.

Noui autem testes sunt, qui, cum noti, illustresque sint; iam de aliqua re iudicium fecerunt, nam horum iudicia sunt eis vtilia, qui de ijsdem rebus ambigunt, vt Eubulus in iudicijs contra Charetem usus est eo, quod aduersus Archibium Plato dixerat, rem hanc

incre-

increbescere, plureisque esse in ciuitate, qui se improbos esse fateantur. noui etiam testes sunt, qui periculi participes fiunt, si mentiri uisi fuerint. Atque huiusmodi testes tantùm illud testantur, factum fuerit nec ne sit, an non sit. de qualitate verò nihil dicunt, vt, si iustum, an iniustum sit, vtile, an inutile. qui autem remoti sunt etiam de his maximè sunt idonei testes, sed omnium màximè fide digni sunt antiqui, quia corrumpi non possunt, & probatione ab eorum testimoniis ducuntur. Quòd, siquis testeis non habeat poterit dicere, iudicium ex argumentis fieri debere, & hoc esse æquissima sententia iudicare, neque enim argumēta pecunijs deprauari possunt, neque coargui solent, quòd mentiantur, ac fallant. Qui testeis habet, contra eum, qui non habet, dicet, argumenta nequaquam pœnæ subiecta esse, nihilque opus fore testimonijs, si ad probandum verba sufficerent. Sunt autem testimonia uel de se ipso, vel de aduersario, vel de facto, vel de vita, ac moribus. Itaque perspicuum est, nunquam fore, vt testimonio vtili careamus: nam, si de facto testimonium habere non possumus, quod aut causam nostram confirmet, aut aduersarii refellat, certè de moribus non deerit testimonium, quod vel æquitatem nostram ostendat, vel improbitatem aduersarii. Reliqua verò, quę de teste quæri solent, amicus ne sit, an inimicus, an neutrum, & spectatę fidei, an infamis, an medius, & quæcunque sunt eius generis differentię, ex eisdem locis sumuntur, vnde etiam enthymemata ducuntur.

Testium ucrò duo sunt genera: nam alij sunt anti-

antiqui, alij noui] secundæ probationis loca sunt testes. antiqui sunt præteritarum rerum, ueluti poetæ, alijque illustres uiri, quorum sententiæ approbantur: futurarum uerò uates, & augures. prouerbia autem sunt testimonia. si noui testes sint, atq; clari; sunt eis utiles, qui de eisdem rebus ambigunt. uerum, si noui sint, & periculi participes; fidem non faciunt: quia mentiri uidentur. si uerò noui, & non clari; huius tantum testes sunt, factum ne sit, an non: & utrum sit, an non: de qualitate uerò minimè, utputa si iustum, an iniustum, si utile, an inutile. sed antiqui, quia corrumpi non possunt; omnium maximè fide digni sunt. Quòd, si quis testes non habeat] docet, quibus uti oporteat præsidijs eum, qui testes non habet. Qui testes habet contra eum, qui non habet] item quibus contra eum, qui testes non habeat. Sunt autem testimonia] contra testes, qui factum, uel non factum testantur, multæ solent fieri oppositiones; ueluti si amici, uel inimici, uel neutri: si probi, uel improbi, si corrupti, uel non, de quorum differentijs ex his locis quærendum est, ex quibus enthymemata manant: Testimonia autem alia sunt de moribus, atque uita, alia de causa: atque hæc pro nobis, aut contra nos.

De tabulis, quibus pacta, & conuenta continentur.

QVOD *ad tabulas attinet quibus pacta, & cõuenta continentur; nulla alia oratione opus est, nisi ut*

ut eas orator augeat, aut deprimat; fidem eis addat aut adimat: Nam, si pro se faciunt, illis fidem addere, ratasque facere, si pro aduersario fidem adimere contendat. quod autem ad fidem eis addendam, aut adimēdam spectat, nihil differt à testium tractatione; quales enim ij fuerint, qui tabulas scripserint, aut asseruarint, talem etiam fidem habebunt ipsæ tabulæ. Cum autem certum est, tabulas esse confectas; si pro se faciunt, debet eas orator augere, dicens, eas propriæ, ac priuatæ legis uim habere. & tabulæ quidem ratam legem non faciunt; leges autem eas tabulas, quæ legitimæ sunt, corroborant. & omnino lex pactum quoddam, & conuentum est: itaque, siquis pacti, & conuenti tabulas aufert; leges etiam ipsas tollit. Præterea maior pars eorum, quæ homines inter se contrahunt, & sponte faciunt tabulis continetur. itaque, si quis eas irritas faciat, omne commercium hominum inter se tolletur. Et alia, quæ huic disputationi conueniunt, satis patēt, in prōptuque sunt. Quòd si tabulæ nobis contrariæ fuerint, & pro aduersarijs faciant; primò, quæ suprà diximus de contraria lege, conuenient ad hanc rationem omnia: nam per absurdum esset, cum malè positis legibus, quibus nos legislatores decipiunt, parendum esse non putemus, si tabulis parere necessariū esse dicamus. Deinde iudicē ipsum esse iustitiæ dispensatorē certum est: nō igitur tabulas spectare, sed id, quod iustus debet. et iustū q̄dē nemo detorquere pōt neq; fraude, neq; necessitate ulla; quia natura tale est, tabulæ uerò et deceptis, et coactis hōibus sæpe fiūt. Ad hęc spectare oportet, an

alicui legi vel earum, quæ scriptæ sunt, uel quæ communes, an rebus iustis, & honestis tabulæ contrariæ sint. vidēdum etiam est, an tabulæ, quæ proferuntur, alijs tabulis vel posterioribus, vel prioribus contrariæ sint: vel enim posteriores erunt ratæ, vel priores irritæ, vel, si priores rectæ sint; in posterioribus erit fraus: id autem arripiemus, quod causæ nostræ vtile fuerit. consideranda est etiam vtilitas, & si qua in re tabulę iudicibus aduersentur, & cętera eius generis, quę facile videri, atque intelligi possunt..

Quòd ad tabulas attinet quibus pacta, & conuenta cōtinentur] tertiæ probationes artificiosę sumuntur à pactis, quæ si pro nobis sint, probabiles, & uerę esse demonstrantur ea arte, quam de testibus retulimus. deinde amplificatione utē dum est duobus locis, quæ narrat Arist. si uerò pacta pro aduersarijs sint; extenuatione utemur septem locis recitatis. Ex his igitur poterimus pacta opprimere, aut augere.

Quæstiones.

QVAESTIONES uerò, testimonia quædam sunt, quæ videntur ea de causa fidem facere; quia necessitas quædam eis inest. Itaque non difficile est earum uim intelligere, & quæ de ipsis dici poßunt excogitare: nam, si pro nobis faciant, eas augere poterimus, ac dicere, solas ex omni genere testimoniorum esse veras. Quòd, si nobis contrariæ fuerint, & pro aduersario faciant; veritatem earum euertere licebit, de genere toto quæstionum disputando:

quibus

quibus enim necessitas adhibetur, ij non minus falsa, quàm vere dicere solent: nam vel dolorem tolerantes, verum occultant, uel facilè mentiuntur, vt citius à cruciatu liberentur. Ad hæc proderit exempla proferre, quæ aliàs acciderunt, & ipsis iudicibus cognita sunt.

Quæstiones uerò] Quartæ probationis artificiosæ loca sunt quæstiones. quæstiones autem intelligo torturam, atque alios dolores, quibus prætor afficit reos ad ueritatem inuestigandam. sunt autem quæstiones testimonia quædam, quę uidentur fidem facere. hæ si pro nostra causa sunt; amplificandæ sunt, affirmando ex testimonijs sola hæc uera esse: si contra nos; deprimemus, asserētes tormenta cogere homines ad falsa dicenda. adhæc proderit exempla proferre.

Iurisiurandi ratio quadripertita.

IVRIS uerò iurandi ratio quadripertita est, aut enim aduersario dat, & ipse etiam capit iusiurandū, aut neutrum facit. at alterum facit, alterum nequaquam, uel enim iusiurandum dat, neque tamen capit, uel capit ipse, neque tamen aduersario dat. præterea videndum est etiam, an iusiurandum iam conceptum fuerit, siue ipse iurauerit, siue eius aduersarius. Qui iusiurandum deferre non vult, is dicet, aduersarios facilè peierare; vt, posteaquam iurauerint, nihil reddant; se uerò confidere, fore, vt iudices non iuratos aduersarios condemnent, &, se malle iuratorum iudicum periculum facere, quod melius est; quia iudicibus ipsi

credat, aduersarijs autem non credat. Qui non capit oblatum iusiurandum, dicet, se pecuniarum causa iurare nolle, quòd si improbus esset, facile iuraret, melius enim esse, alicuius vtilitatis gratia, quã nullius, improbum esse; iuratus enim pecuniam haberet, non iuratus autem minimè haberet, sic enim propter bonitatem, ac virtutem; non autem propter peierandi timorem iurare nolle videbitur. cui loco Xenophanis illud dictum benè congruit; non esse ęquam prouocationem impij aduersus pium hominem; sed consimilem esse, ac siquis robustus imbecillum, vel ad verberandum, vel ad vapulãdum prouocaret. Quòd, si iusiurandum oblatum recipit; dicet, se sibi ipsi credere, non autem aduersario, atque illud Xenophanis dictum ita conuertet, vt dicat, parem esse prouocationem, cum impius iusiurandum defert, pius autem iurat: præterea indignum esse nolle se iurare in ea re, de qua petit, ut iurati iudices sententiam ferant. Si verò defert alijs iusiurandum; dicet pium esse deis ipsis rem totam committere, neque opus esse aduersario, ut alios iudices roget; cum ipsi de tota re iudicandi potestas detur, & rem absurdam eum facere, qui iurare nolit in ea re, de qua postulat, vt iurati iudicent. Quia uero planum iam factum est, quid sigillatim dicendum sit; patet etiam, si copulare duos modos opus fuerit, quid sit adferendum; vt, si ipse quidem capere uelit, non autẽ dare, aut, si dare quidem non abnuat, sed minimè uelit oblatum accipere: aut, si simul & dare, & accipere sit paratus, aut neutrum facere uelit; nam ex eis, quæ dicta sunt, hæc

copu-


copulantur; itaque rationes etiam ex eijsdem copulari necesse est. Quòd si iam ab ipso conceptum iusiurandum fuerit, quod huic præsenti contrarium sit; dicet non esse periurium; nam qui facit iniuriam, ille spontè facit; sed peierare est iniuriam facere. quæ verò fiunt vel vi, vel dolo, nequaquam spontè fiunt. huc igitur referre periurium oportet, ac dicere, id in mente, nõ autem in lingua esse. Quòd si aduersarius aliàs iurauerit; dicendum est, eum omnia subuertere, qui non stat eis, quæ iuratus affirmauit; hac enim de causa secundum leges non nisi iurati iudices sententiam ferunt. Nos igitur, inquiet ille, postulamus, vt vos iudices eis maneatis, quæ iurati iudicauistis, & ipsi non manebimus. Cætera etiam huius generis quærenda sunt, quæ ad amplificandum pertineant. Ac de probationibus quidem artis expertibus, hæc dicta sufficiant.

Iuris uerò iurandi ratio quadripartita est] Quintæ artificiosæ probationis loca sunt iusiurandum, quod multipliciter consideratur: aut enim dat, & ipse etiam capit iusiurandum: aut dat; & non capit, aut non dat, & capit: aut nõ dat, nec capit. Ex his quidem modis, siue locis plures docet Aristo. desumi propositiones.

ARISTOTELIS STAGIRITAE, RHETORICORVM LIBER II.

M. ANTONIO MAIORAGIO interprete.

Probationes, quæ ad oratorem attinent, à quibus sumantur locis.



ACTENVS ea sunt à nobis demonstrata, quæ ad suadendum, & dissuadendum, vituperandum, & laudandum, accusandum, et defendendum necessaria sunt: nec nō quæ opiniones, quęque propositiones eis rebus accommodatæ sunt; ex eis enim sumuntur, & ex eis fiunt argumenta, quibus in vnoquoque dicendi genere vtamur. Sed, quoniam Rhetorica finē sibi proponit ipsum iudicium; (nam etiam in deliberationibus iudicant; & iudiciale genus nihil aliud est, quàm iudicium) necessarium est non tantum ad ipsam orationem aduertere, vt probandi vim habeat, & fidem facere possit; sed etiam se ipsum afficere, & iudicem, qualem esse oportet, præparare; permagni enim interest ad faciendam fidem primum in deliberationibus, deinde etiam in iudicijs, vt orator vir bonus esse videatur, atque erga eos, qui disceptant,

bene

bene animatus: præterea refert etiam, quomodo illi ipsi sint affecti. Et oratorem quidem bonum videri, utilius eſt in deliberationibus; auditorem uero bene affectũ eſſe multum in iudiciis prodeſt, neque enim eadem ſentiunt, qui amant, & qui oderunt, qui ſunt irato animo, & qui placato, ſed uel omnino diuerſi ſentiunt, uel ſaltem magnitudine diuerſa: qui enim amat eum, de quo iudicium facturus eſt, uel nihil inique feciſſe, uel parum peccaſſe cẽſet: qui autẽ odit, cõtrarium ſentit. Quòd, ſi quis concupiſcit, & bene ſperat, cum iucundũ eſt id quod fore putatur; ſibi id euẽturũ, & bono futurum arbitratur. at, ſi nulla cupiditate trahitur, & ægre fieri poſſe putat; contrarium exiſtimat. Quòd autem oratores ipſi fide digni uideantur, tria ſunt in cauſa, tot enim etiam ea ſunt, quibus ad credendũ inducimur, prẹter argumẽta. illa uero ſunt prudẽtia, uirtus, & beneuolẽtia. Decipiuntur enim homines in iis, de quibus uerba faciunt, aut conſultant, uel propter hæc tria omnia, uel propter horum aliquid; nam uel propter imprudentiam non rectè ſentiunt, uel ſi rectè ſentiant, propter improbitatem ſententiam ſuam non aperiunt, uel denique prudentes quidem, ac boni uiri ſunt, ſed nõ tamen amici. quò fit, ut aliqui ſcientes, intelligẽtesq; non optima conſulant. præter hæc autem nihil eſt. Neceſſe eſt igitur, ut is, qui hæc tria habere uiſus fuerit, apud auditores fidẽ inueniat. ſed quõ prudentes, & boni uiri uideantur, ex eis, quæ ſunt a nobis alibi de uirtutibus explicata; ſumendum eſt, ex eiſdẽ enim locis poterit orator & aliũ ornare, et ſe ipſum talẽ oſtẽdere. de beneuo-

neuolētia uerò, atq; amicitia nūc, cū de pmotionibus animi uerba facere aggrediamur; pariter dicamus.

Quòd autem oratores ipsi fide digni uideantur, tria sunt in causa] Probationū, quæ arte, & industria parantur, tria sunt genera: nam aliæ oratorem respiciunt, utputa hæ, quę in uita, ac moribus oratoris positæ sunt: de quibus nunc disserit Aristo. aliæ in iudice permouendo, atque afficiendo, de quibus infra. aliæ in ipsa oratione, de quibus in præcedenti libro egit. hoc igitur tempore quæ ad oratorem spectant, recenset, dum ait. Quòd oratores fide digni uideantur, tria sunt in causa: tot enim etiam ea sunt, quibus ad credendum inducimur, præter argumenta: illa uero sunt prudentia, uirtus, & beneuolentia. Prudentia hoc loco appellatur scientia eorum omnium, de quibus orationes haberi solent. Virtus uerò, qua orator dicitur uir bonus. si igitur rectè sentiat orator, & probus sit, ac beneuolus: rectè consulere existimatur, & fide dignus habetur. unde, nisi hæc tria audientibus habere uideantur; morata non erit oratio. & propterea in l. tertio plura præcipit Aristote. per quæ morati uidentur oratores.

De probationum, quæ iudicem promouent, atque afficiunt, locis: ac primum de locis ab ira.

SVNT autem illæ permotiones, quæ efficiunt, ut homines

hominės immutati, non eodem modo de ijsdem rebus sentiant, quas ægritudo, uoluptasque consequitur. cuius generis sunt ira, misericordia, metus, cæteraque huiusmodi: &, quæ sunt ijs contraria. Sed, quæ in singulis fiũt, treis in parteis distribuere oportet, ut de ira, exempli gratia, quomodo affecti facile irascãtur, & quibus irasci soleant, & quas ob res; nam, si unũ, aut alterum tantum horum habeamus, & non omnia teneamus; nullo modo fieri poterit, ut animos audientium ad iram cõmoueamus: idem etiã de reliquis permotionibus sentiendum. Quemadmodum igitur in rebus traditis propositiones descripsimus; ita etiam in his faciamus, & eodem modo singula distinguamus.

De ira, & quid ea sit, & quot loca.

SIT *igitur ira, libido cũ dolore speratę punitionis propter apparentem negligẽtiã uel in se, uel in suorũ quempiam, contra id, quod oportebat. Quòd, si ira est huiuscemodi; necesse est eũ, qui irascitur, singulis semper hominibus irasci, ut Cleoni, nõ autem homini: et quia aut ipsum, aut quempiã suorũ uel cõtẽpsit, vel id facere cogitauit. quin etiam omni iræ uoluptatẽ quandã comitari necesse est, quę a puniẽdi spe proficiscitur: iucũdũ est .n. arbitrari se cõsecuturũ ea, q̃ q̃s uehemẽter optat, nemo aũt illa cõcupiscit, quæ nullo modo se cõsequi posse arbitratur: sed q alicui iratus est, ea cupit, q̃ a se fieri poßũt. itaq; de ira benè illud dictũ est.*

Dulcior effuso quæ melle in pectore gliscit.

nam, cum propter hoc uoluptas quędam consequitur, tum etiam quia tota mente, quomodo possint inimicũ

ulcisci,

ulcisci, cogitant: illa igitur uehemens cogitatio voluptatem parit non aliter, atq; in somnis accidit. Et, quoniam negligentia est opinionis actio in ea re, quæ nullius esse momenti uideatur; mala enim, & bona studio digna esse putamus, & ea præterea, quæ ad hæc referũtur. quæ uerò uel nihil sunt, uel ualdè exigua, nullo in precio, habemus: tria sunt negligentiæ genera; conceptio, uiolentia, cõtumelia. Nam &, qui contemnit, is negligit: quæ enim nullius momenti esse censent, ea contemnunt, atq; eadem, quę nullius sunt momenti negligunt. Et, qui uiolentus est negligere uidetur. est autem uiolentia, studium impediendi uoluntates alienas: non, ut ipse aliquid acquirat: sed ne alij, quod uolunt, assequantur. quatenus igitur nihil sibi acquirit, negligit: perspicuum est enim eum credere sibi nihil illud nocere posse; nam timeret, non autẽ negligeret: neq; in aliqua re alicuius ponderis prodesse pro posse: nam studium adhiberet, ut illi amicus esset. Et qui contumeliam infert, negligit. est autem contumelia; cum quis lædit, ac dolore afficit aliquem in ea re, unde illi qui patitur, ignominia nascitur: non, ut qui contumeliam infert, aliquid plus habeat, quàm ante haberet; sed tantum, vt voluptatem capiat: nã qui talionem reddunt, non contumeliã inferunt; sed ulciscuntur. Causa uoluptatis eorum, qui contumeliosi sunt, ea est; quòd existimãt ijs, quibus male fecerint, ea ratione se magis præstare: & quò fit, ut iuuenes, et diuites contumeliosi sint; quoniam in contumelia inferenda se antecellere cæteris existimant. Ex contumelia uerò nascitur ignominia, & qui ignominia quempiam

piam afficit, illum negligit. quod autem nullius precij est; id nullam habet æstimationem neque boni, neque mali. quamobrem iratus Achilles ita inquit.

Affecit me ignominia; quoniam abstulit ipsum,
Quod Danai dederant munus mihi.

& alibi.

Me, tanquam infamem, tempsit, profugumq; rebellē: cum propter hæc indignaretur: dignum autem censent, se ab illis obseruari, qui genere, opibus, uirtute sunt inferiores: & deniq; in quacunque re quispiam plurimum excellit, in ea uult obseruari, ut diues in pecunijs à paupere disertus in dicendi facultate ab indiserto, & infante: & qui imperat, ab eo, qui subiectus est imperio, & qui imperare dignus est, ab eo, qui parere debet. unde dictum est,

Ab Ioue natorum, certè ira est maxima regum.

& alibi.

Quinetiam deinceps iram sub pectore seruat.

indignantur enim propter excellentiam suam. Ab illis etiam obseruari uult, à quibus aliquis existimat, se beneficijs affici opportere. ij uerò sunt, de quibus aliàs benemeritus est, uel quibus in præsentia benefacit aut ipse, aut propinquus eius aliquis, aut alius quispiam ipsius gratia: uel etiam si uelit, aut aliàs uoluerit consequi. Ex his iam perspicuum esse potest, quomodo affecti homines irascantur, & quibus, & quas ob res. irascuntur enim cum animo dolent: nam qui dolet animo semper alicuius rei desiderio tenetur. Itaque, siue quis ei directò restiterit, ut sitienti, ne bibat, siue non directò; tamen idem facere uidetur;

tur: & , ſi quis illi aduerſe , & ſi, cum poſſit, non adiunt , ſiue quocunque alio modo ſic animo affectum perturbarit . omnibus enim iraſcitur. Quare, qui morbo laborant, qui paupertate premuntur, qui amant , qui ſitiunt, & denique qui aliquid deſiderant , & id aſſequi non poßunt, iracundi ſunt , & nullo negocio concitantur, præcipuè uerò illis iraſcuntur, qui eos in præſenti ſtatu negligunt, ut ægrotans ei, qui morbum ſuum negligit: pauper ei qui paupertatem : miles ei , qui bellum: amans ei, qui amorem: atque eodem modo reliquis: ducitur enim unuſquiſque ab animi perturbatione, in qua prius erat, ad iram, quæ in ſingulis rebus excitatur. Ad hæc iraſcitur, ſi contrà accidit, quã expectabat: maiorẽ.n. dolorẽ adfert magnũ, & inſperatũ incõmodũ, quẽadmodũ ẽt magnũ, & inſperatũ bonũ magis delectat, cũ ex animi ſñia ſuccedit. Itaq; ex his intelligi põt, quæ horæ, quæ tempora, quæ affectiones, quę ętates facile ad irã cõmoueãtur, et quãdo, quoque in loco magis concitentur. illud etiã planum eſt , omneis magis ad iram pronos eſſe , cum magis his rebus tenentur . Atque hactenus quomodo affecti homines, proni ſint ad iram, dictum ſit .

Quibus iraſcimur, & quare.

Eis autem iraſcuntur, qui uel deridẽt, uel ludibrio habent, uel dictis laceſſunt; nam hæc facere, contumelia eſt, et ijs qui lędunt in rebus, quę ſpeciem habent contumeliæ. neceſſe eſt autem, ut talia ſint ea, quæ faciunt, neque ut talionem reddant, neque ut aliquam utilitatem habeant; iam enim per contumeliam facere uidentur, & ijs, qui ipſos uituperant, & contem-

nũt in eis rebus qbus ipsi maxime studẽt: ut, siquis in philosophia maledixerit eis, & spreuerit, q se multũ in ea profecisse gloriantur: & qui formæ student, siquis eos in ea re uituperet, atque ita in reliquis: & multo magis irascuntur, quando suspicantur ea sibi non adesse, quibus student: uel, omnino se experteis esse; uel non firmiter tenere; uel etiam teneant, non existimari, nam, cum estimant ea sibi firmiter adesse; nihil curant eos, qui se in ea parte uituperant. Et magis amicis irascuntur, quàm ijs, qui sunt inimici, putant enim conuenire magis ab eis se bene tractari, quàm contra. Illis etiam irascuntur, qui uel ipsos honorare, uel de ipsis curam suscipere, consueuerant, si postea, non idem efficiunt; nam ab eis se tunc contemni putant: nisi enim hoc esset, idem eos eße facturos: & ijs, qui accepta beneficia non reddunt, aut non æqualem gratiam referunt: & ijs, qui conatibus suis resistunt. si inferiores fuerint: omnes enim isti contemnere uidentur: & hi quidem, tanquam se inferiores, negligunt: illi uero, tanquam ab inferioribus beneficia acceperint. Et ijs, qui in nulla sunt existimatione, si negligere uideantur, magis irascuntur: diximus enim iram esse propter negligentiam aduersus eos, quos non conuenit, conuenit autem inferioribus non negligere præstantiores. Et amicis irascuntur, nisi uel bene dixerint, uel bene fecerint, & multo magis, si contraria fecerint, & si non aduerterint, quibus reb. indigeant, sicut apud Antiphontem Plexippus, Meleagro irascitur; hoc enim negligentiæ signũ est, nõ aduertere: nam quæ curamus, ea nos latere nõ

solent.

ſolent.Et ijs,qui infortunijs,quæ ipſis accidunt, lætā tur & omnino,qui in aduerſa ipſorum fortuna ſecuro ſunt animo: hoc enim uel inimici, uel negligentis indicium eſt:& ijs,qui non curant, etiam ſi dolorem adſerunt.unde etiam mala nunciantibus iraſcuntur, & æquo animo audientibus ea,quæ exiſtimationem ipſorum lædunt,æquoque animo res malas intuentibus:nam,qui hoc faciunt,uel negligentibus, uel inimicis ſimiles ſunt,amici enim anguntur, nec quiſquā eſt,cum propria mala uidet,quin doleat. Præterea illis iraſcuntur, qui ſe negligunt apud quinque hominum genera:apud eos, quibuscum de honore contendunt,apud eos,quos admirantur:apud eos,quibus eſſe admirationi ſtudent: apud eos, quos uerecundantur:denique apud eos, quibus ipſi ſunt uenerationi, apud hæc hominum genera ſiquis ipſos ueglexerit, maxime iraſcuntur,& ijs, qui negligunt ea,quibus opem non ferre turpe eſſet:ut parētes,filios, uxores, imperio ſubditos: &, qui beneficiorum acceptorum gratiam non deferunt;eſt enim hæc negligentia præter id,quod conuenit,& ijs,qui diſſimulatione utuntur,cum ipſi ſerio agant;ſignum enim contemptionis eſt diſſimulatio. & ijs, qui ſunt in alios benefici, ac liberales,niſi etiam ipſis beneſaciant:contemptionis enim ſignum eſt non ijsdem rebus aliquem dignum iudicare, quibus omnèis alios iudicant:Obliuio quoque iram commouet; ut ſi quis nomen alicuius penè oblitus fuerint,nam etiam obliuio negligētiæ ſignum eſſe uidetur, ſiquidem ab incuria naſcitur obliuio, incuria uero negligentia eſt. Quibus igitur hominibus

nibus irascantur, & quomodo affecti, & quas ob res simul explicatum est. Planum autem est, oratorem oportere iudices oratione sua taleis efficere, quales ij sunt, qui in iram procliues sunt: Atque aduersarios eis culpis affineis esse ostendere, quæ iustam iram commouent, & tales esse, quibus irasci meritò debeant.

Sunt autem illæ permotiones] Nunc de probationibus agit, quæ iudicem promouent, atq; afficiunt. & hæc oratio dicitur affecta; siquidem ira, misericordia, amore, & id generis iudicē afficiat. atque propter huiusmodi affectus iudices commoti differenter iudicant. quare inquit Aristo. oratorem bonum uideri, utilius est in deliberationibus: auditorem uerò benè affectum esse, multum in iudicijs prodest: neque enim eadem sentiunt, qui amant, & qui oderunt: & qui sunt irato animo, & qui placato. sed uel omnino diuersi sentiunt, uel saltem magnitudine diuersa: qui enim amat eum, de quo iudicium facturus est, uel nihil iniquè fecisse, uel parum peccasse censet. qui autem odit, contrarium sentit. qua de re planum fit affectam orationem multum prodesse, ut fide digna sit. Cæterum, ut hanc consequamur orationem; necesse est de singulis affectibus hæc tria animaduertere: primum exempli gratia de quib. rebus, siue causis irascimur: deinde quo modo affecti irascamur: demum quibus irascamur hominibus. Sit igitur ira] Iræ definitio sic legenda est. Ira est appetitus dolorificus

ficus apparentis ultionis propter apparentem immeritò contemptum in se,uel in suos.nisi esset dolorificus appetitus; non esset ultionis. dico apparentis ultionis : quoniam, sicut contemptus fuit apparens ; ita ultio debet fieri in aperto. propter apparentem immeritò cōtemptum, contemptus non iure factus est causa iræ . contemptus uerò est actus opinionis in id,quod nihil , aut parum existimatur. huius uero tres sunt species, despectus,detractio, contumelia.idcirco tribus de causis irascimur. Irascimur autem non homini,sed Socrati , uel Calliæ. iram sequitur uoluptas quædam cum dolore, quæ est spes ultionis,causa uerò uoluptatis est, cum ij arbitrentur malefaciendo excellere.& hanc ob rem iuuenes, & diuites contumeliatores sunt . quare loca iræ , quæ nobis propositiones exhibent ad auditorem ira afficiendum , sunt causæ iræ,persona contempta,persona contemnens,spes ultionis,hæc in genere de locis iræ : in specie uerò decem, & octo scribit Aristo. de quibus nos aliàs dicemus,

De lenitate iræ contraria.

QVONIAM *autem irasci , & leniri contraria sint,& ira lenitati; videndum est,quomodo affecti homines lenes sint, & erga quos se leniter gerant,& quibus de causis leniantur : est autem lenitudo,sedatio animi, atque ab ira cessatio. Cum igitur homines irascantur negligentibus , negligentia verò volunta-*

oluntaria sit; perspicuũ est esse leneis aduersus eos, qui aut nihil horum faciunt, aut inuiti faciunt, aut sal em facere uidētur: & erga illos, qui aliquid fecerunt contra, quàm uoluerant: & aduersus eos, qui in se ip sos eadem committunt. nemo enim uidetur seipsum negligere: & aduersus eos, qui fatentur quidem, sed se cisse pœnitet; cessant enim ab ira non aliter, ac si illi, quos pœnitet eius rei, qua dolent, pœnas iam dederint, hoc autem ex punitione seruorum intelligi potest, nam eos, qui pernegant, & cōtradicunt, attrocius punimus, in eos uero, qui fatentur, se iustè puniri, mitiores sumus, & ab ira cessamus. id autē in causa est, quod aperta negare impudentia est, & impudētia est negligentia, & contemptio quædam; quos enim ualdè contemnimus, eos non ueremur. In eos etiam lenes sumus, qui se humiliter, demisseque gerunt, neque contradicunt, uidentur enim, se inferiores cōfiteri: &, qui sunt inferiores, timent; nemo autem timētibus irascitur. quod autem ira statim cesset in eos, qui se humiliter, & dimissè gerunt, declarant etiam canes, qui po stratos non mordent. Iis etiam lenes sumus, qui serio nobiscum agunt, cum nos etiam ipsi serio agimus. uidentur enim nostri esse studiosi, non autem nos contēnere, & ijs, qui pluribus in rebus, quā petieramus nobis gratificantur, & ijs qui rogant, & deprecantur iam humiliores, demissioresque fiunt, & ijs, qui neq; contumeliosi sunt, neque derisores, neque contemptores, aut ullius hominis, aut bonorum, aut eorum, qui nobis similes sunt. & omnino ex contrariis rebus ser ari oportet. quæ lenire animum possint. Iis etiam le-

*nes sunt, quos timent, & quos uerentur; nam, dor[...]
ita affecti sunt illis irasci non solēt. nullo enim mo[...]
fieri potest, ut quis simul timeat, & irascatur. Et ij[...]
qui ira perciti, commiserint aliquid, aut non irasc[...]
tur, aut leuius irascuntur: neque enim propter neglig[...]
tiam fecisse uidētur: nā nemo iratus negligit, si quid[...]
negligentia sine animi dolore est, ira uero semper e[...]
cū dolore. Et ijs lenes sunt, qui ipsos uerentur. Et, q[...]
contrario modo sunt affecti, quàm, cum in ira sunt, p[...]
spicuum est esse lenes, ut, cum ludunt, cum ridēt, cu[...]
dies festos agunt, cum quid rectè gesserunt, cum ali[...]
quid ex animi sententia successit, cum saturi sunt. I[...]
summa lenes ij sunt, quibus doloris uacuitas adest, [...]
uoluptas non cōtumeliosa; & qui bona spe ducuntu[...]
& qui multo ante tempore, non autem recenti, re ir[...]
conceperunt; tempus enim iram mitigat. Quin ab al[...]
tero prius sumpta pœna, maiorem in alterum ira[...]
minuit, atque sedat. unde bene Philocrates, cum ira[...]
tum in se populum haberet, & quidā ei dixisset, C[...]
non causam tuam dicis, & te defendis? Nondū est t[...]
pus, inquit. quando igitur? cum alium prius condem[...]
natum uidero. lenes enim fiunt, cum in alium ira[...]
suam effuderint. quod quidem Ergophilo contigit, [...]
cū iudices magis infensi essent, quā Callistheni, tam[...]
eum absoluerunt; cum pridie Callisthenem morte d[...]
nassent. Et si iudicio conuicerint; leniores fiunt, et ij[...]
qui maius aliquod incommodum acceperint, qu[...]
illis irati ipsi fecissēt; existimāt enim idē esse, ac si[...]
si pœnas de eis sumpsissēt: &, si priores se læsisse p[...]
tant, ac se iustè pati; neque enim cōtra id, quod iustè[...]*

Et uos

ctum est;ira concitatur;quoniã non amplius se cõtra, quam oportebat,pati arbitrantur:unde solet ira com moueri.quapropter oratione prius castigare oportet; hac enim ratione minus etiam serui dolent, cum puniuntur.Cessant etiam ab ira,qui putant, non intellectum iri ultionem a se profectam, aut non propter illa,quæ passi sunt;nã ira contra singulas personas accenditur,quod ex eius diffinitione perspicuum est.Ita que rectè dictum est ab Homero,

Dicito, Me euersor Troiæ,cæcauit Vlysses.

tanquã sibi non uideretur ultus iniurias, nisi ille sensisset,et a quo, et qua de causa tã male tractatus fuisset.Quare neq; ullis alijs irascuntur,quos non sentire existimant, neq; mortuis, quippe qui malorum extremum iam perpessi sint,neq; amplius dolituri sint,aut sensuri quarum rerum desiderio tenentur irati. quare bene da Hectore cecinit Homerus,uolẽs Achillis irã contra mortuum sedare,

Quis furor est,terra sensu uexare carentem?

Planũ igitur ẽ,ex his locis ducẽda esse argumẽta ab illis,q placare animos uolũt,atq; eos quidẽ his rationibus mitigare oportet.Illos autem,quibus irati sunt ostendere debemus,aut terribileis esse, aut ueneratione dignos,aut benemeritos, aut inuitos fecisse,aut deniq; propter ea quæ fecerunt, magnum animo dolórem sentire. Iam uero,quos amare soleant hões, & odisse,quibusq; de causis ostendamus, sed prius quid amicitia sit,& quid amare doceamus.

Quoniam autem irasci, & leniri contraria sunt] sit mansuetudo deprehensio iræ,atque se-

datio: est enim iræ contraria. si ergo co temnentibus irascimur, contemptusque uo untarius sit; manifestum fit ijs, qui nihil horum faciunt, aut coacti faciunt, aut huiusmodi uidentur, nos mansuetos, ac mites esse. hæc in genere sunt loca argumentandi eadem, quæ & iræ: sed per contraria: itemque in specie. uerum particulatim auditores mites, ac mansuetos facimus, cum ostenderimus eos, quibus irascuntur, aut timendos, aut uerendos, aut gratos esse, aut inuitos fecisse, aut factũ dolentes. hæc paucis uerbis.

De amore, de locis, quæ ab eo sumuntur.

EST *igitur amare, uelle alicui bona euenire non sua, sed illius ipsius causa, quem diligit, &, quantum in eo est, efficere, ut illa ueniant. amicus uerò ille est, qui amat, & redamatur. illi igitur existimantur amici, qui inter se mutuo sic affecti esse uidentur. His ita positis, necesse est illum, amicum esse, qui gaudet alicuius rebus bonis, doletque malis non alia, sed illius ipsius tantum causa, omnes enim gaudent, cum illis, quos amant, quæ uolunt, euenerunt, &, cum accidunt contraria, dolent, itaque dolores, & uoluptates indicia sunt uoluptatis. Illi etiam inter se sunt amici, quibus eadem bona, ac mala sunt, &, qui eosdem habent amicos, & eosdem inimicos, necesse est enim, ut in eis sit uoluntatum coniunctio, nam, cum eadem uelit alij, quæ sibi ipsi, certè illi amicus esse uidetur. Illi etiam amici sunt, a quibus beneficium acceperunt uel ipsi, uel ij, quos diligũt*

carosque

carosque habent, & præcipuè, si beneficia fuerint uel magna uel prompto animo collata, uel opportuno tẽpore, & aut ipsorum causa, aut eorum, quibus ipsi benefacere uelle existimantur. Amicos etiam amicorum amant, & amanteis eos, quos ipsi amant, & amatos ab eis, qui ab ipsis amantur, & eos, qui eisdem sunt inimici, & qui illos odio prosequuntur, quos ipsi oderunt; &, qui odio habentur ab illis, qui ipsis odio sunt, his enim omnibus eadem esse bona uidentur, quo fit ut illis bene uelint, quod amici proprium est. Amant etiam eos, qui benefici sunt uel in pecuniis erogandis, uel in salute danda, quare liberaleis, & forteis uiros honorant, atque etiam iustos, taleis uero existimant eos, qui non uiuunt ex alienis rebus, qui suo sibi labore uictum quærunt, quales præcipue sunt agricolæ, & qui ipsimet opus faciunt. Temperanteis etiam amant, propterea, quod minime sint iniusti: atque eadem de causa diligunt eos, qui remoti a negociis uitam degunt. Eos etiam amamus, quibus amici fieri studemus, si modo se id uelle ostenderint; tales autem sunt, qui præclara aliqua uirtute ualent, uel, qui in honore, ac precio sunt apud omneis, aut apud optimos uiros, aut apud eos, quos admiramur, aut denique apud eos, qui nos admirantur. Amamus etiam eos, qui morum suauitate præstant, & quorum iucunda est cõsuetudo. tales autem habentur qui sunt ingenio placidi, neque, siquid peccatum est, faciles sunt ad reprehendendum. et qui neque contentiosi sunt, neque litium amatores, nam huiusmodi homines pugnant, aduersanturque aliis, qui autem pu-

gnant, uelle cõtraria uidentur, & qui iocosè faceteq; alios mordent, & aliorum morsus æquo animo sustinent, quoniam ad eundem finem ambo tẽdunt, cum et inuadi æquo animo, & inuadere ingeniose possint. Eos quoque amamus, qui nostra bona laudant, & ea præcipuè, quæ ueremur, ne in nobis planè sint, & qui mundi sunt, atq; elegantes in apparatu, in uestitu, in omni deniq; uita, et, qui neq; uitia, neq; beneficia exprobare solent; nã, qui hæc faciunt, cõtentiosi sunt, et qui non recordantur iniurias, neque aliorum peccata obseruant, sed placabileis sunt: nam quales erga alios esse uidentur, taleis etiam in nos futuros existimamus, & qui neque maledici sunt, neque incommoda: maculasq; uel propinquorum, uel nostri scire uolunt, sed bona tantum. hoc enim uir bonus facere solet, & qui iratis non aduersantur, aut aliquid serio agentibus: nam, qui hoc faciunt, contentiosi sunt. Illos quoque amãt omneis, quos suis studiosos eße intelligunt ut qui ipsos admirantur, et esse bonos existimant, & ipsorum consuetudine delectãtur, & præcipue qui hoc faciunt in eis rebus, in quibus ipsi cupiunt admirabiles uideri, uel uiri boni, uel suaues, & iucundi. Pareis etiam amant, atque eisdem studijs deditos, nisi forte molesti fuerint, aut ex eadem arte uictum quesierint. tunc enim accidit quod ait Hesiodus.

Et figulus figulo:–

&, qui earundem rerum desiderio tenẽtur, modo sint eiusmodi res, ut eas æqualiter ambo consequi possint, sin minus, idem accidit, quod in artificibus. Eos quoque amant, quibuscum adeò familiares sunt, ut nõ pu-

deat coram eis illa facere, quæ uulgo turpia uidentur nisi forte illo cõtemnant. Et eos ament, apud quos uerētur illa cõmittere, quæ re uera turpia sunt, & apud quos in honore, ac precio esse student. Et, quos optant æmulos, atq; imitatores habere rerum suarum, nõ autem obtrectatores, eos aut amant, aut sibi amicos fieri cupiunt, & quos in acquirendis aliquibus bonis adiuuarent, nisi forte in ipsos grauiora mala casura essent. Eorum quoque amicitiam expetunt, quos uident nõ minus absenteis amicos diligere, quam præsenteis itaque nemo est, quin eos diligat, qui mortuorum etiã amicitiam colunt, & omnino quicunque amicis ualde amici sunt, &, eos cum opus est, non deserunt, cum enim omneis bonos diligant, tum eos præcipue, qui boni amici sunt, &, qui nihil apud se fingunt. tales autem sunt, qui mala etiam sua narrant, & aperiunt, nã (ut supra dictum est) cum amicis nos non pudet ea dicere, aut facere, quæ uulgo turpia uidentur. itaque si quem pudet, is non amat certe quem non pudet, is amans esse uidetur. Eos quoque amamus, qui non formidolosi sunt, & quibus confidimus, nemo enim, quẽ metuit, diligit. Amicitiæ species sunt sodalitas, necessitudo, cognatio, cæteræque eius generis: Conficiens autem amicitiæ beneficium est, & præcipue quod ultro defertur, non expectatis precibus, &, quod quando collatum est non commemoratur, tunc enim intelligitur ipsius gratia factum esse, non alia de causa.

Est igitur amare uelle alicui bona euenire, non sua, sed illius ipsius causa, quem diligit] dicit bona: quia uelle alicui mala est odisse. dicit

illius gratia, siue causa: quoniam, si uelimus alicui bona, quæ in nostram redundant utilitatẽ, eum, cui illa uolumus, non amamus. Loca uerò, & electa, quibus cum sint, amicos ostendere: & cum non sint, facere possumus, sunt in genere quatuor. primus accipitur à dilectione, secundus à iucunditate, tertius à similitudine, quartus à studio siue uirtute. à dilectione uerò accipimus species quindecim propositionum: a iucunditate undecim: à similitudine duæ, & amplius: à studio, & uirtute quinque.

De inimicitia, & odio, deque eorum locis.

Q V O D autem ad inimicitias, & odium attinet, perspicuum est ex contrarijs locis sumenda esse argumenta. Inimicitiarum uerò conficientia sunt ira, uiolentia, criminatio. Sed ira concitatur tantum ex iis rebus, quæ ad ipsum tantum referuntur inimicitiæ uero etiam ex ijs, quæ minime ad ipsum pertinent, sæpe enim aliquem odio prosequi solemus, si talem esse suspicamur. Huc accedit, quod ira semper contra singulos excitatur, ut contra Calliam, aut Socratem, odium autem etiam contra genera hominum: nam furem, & calumniatorem omnes oderunt. atque ira quidem tempore sanari potest, odium non potest. Præterea studet ira dolorem inurere, sed inimicitiæ magis damnum importare gestiunt, nam, qui iratus est alicui, uult eum sentire, cum ulciscitur inimicus uero nequaquam hoc curat, quæ uero dolorem faciunt, omnia sensum mouent; sed quæ maxima mala sunt, minime

nime

nimè ſentiuntur,ut iniuſtitia,& dementia, prauitas enim præſentia ſua nullū dolorē adfert. Ira ēt adiunctam habet ęgritudinem:ſed odium ęgritudine:uacat nam,qui iratus eſt,dolet:qui autem odit,nō dolet. Et iratus,ob multas aduerſarij calamitates nonnunquā ad miſericordiam flectitur:qui autem odit, nunquam ulla mouetur miſericordia:nam iratus vult eum, cui iraſcitur,uiciſſim angi,& dolorem ſentire:ſed,qui odit,uult eum,quem odit,extinguit,ac perire. Ex hic perſpicuum eſt,quomodo quis amicos,& inimicos oſtendere poſſit qui ſint,& qui non ſint,quomodo facere posſit,& qui ſe dicunt eſſe, quomodo diſturbare queat;& cum eſt controuerſia,utrum aliquid propter iram,an propter inimicitias factum ſit;quomodo ualeat,in quam partem uoluerit,qui dicit,id traducere. Quæ uero timeant homines,et quos,& quomodo affecti,planum fiet ex iis,quæ modo dicemus.

Quòd autem ad inimicitias,& odium attinet] ſi unum habes contrarium; & alterum quoq; quot igitur ſunt loca,quæ amoris ſunt; tot & odij, & inimicitiæ. odium pariunt, & inimicitiam ira potisſimum, & eius ſpecies, ſcilicet deſpectus,detractio,& calumnia,ſiue contumelia: atque horum ſpecies.

De metu, & quot ſumuntur loca.

Est autem metus,ægritudo quædam, uel perturbatio ex opinione impēdētis, mali,quod aut interitu nobis,aut dolorē adferre poſſit.neq; enim omnia mala timētur,ut,ne iniuſtus fiat,aut hebeti,tardoq;ingenio,

nio; sed ea tantum, quę uel magnos dolores, uel interitum adferre possunt : & pręcipuè : si illa non longinqua sint, sed proxima, ut iam impendere uideantur: nam quæ ualdè longinqua sunt, non metuuntur: sciunt enim omnes fore, ut moriantur. sed, quoniam id propè non esse putant; ideo nullam curam suscipiunt. Quòd, si metus est huiusmodi; necesse est, ut ea omnia sint horribilia, & pertimescenda, quę nos perdendi uim magnam habere uidentur, aut eiusmodi detrimenta importandi, quę acerrimos animi dolores pariant. Itaque talium etiam rerum signa terrorem incutiunt. tunc enim in proximo iam esse uidetur id, quod est horribile, hoc uerò ipsum periculum est, horribilis rei appropinquatio. tales sunt inimicitiæ, iræq; illorum, qui malum aliquod importare possunt: manifestum est enim eos & uelle, & posse. quò fit, ut ad inferendum malum parati sint. Et iniustitia, si uireis nacta fuerit; horribilis est: iniustus enim is est, qui consultò se iniustè gerit: uirtus quoque affecta contumelia, si uireis adepta est: perspicuum est enim, cum afficitur contumelia, semper eam ulcisci desiderare; sed, cum potest, tunc id efficere. Metus etiam eorum, qui malum aliquod inferre possunt, horribilis est: nam huiusmodi homines semper ad offendendum parati sunt. Et, quoniam plerique sunt improbi, & cupiditatis siti trahuntur, atque in periculis timidi; plerunque etiam horribile est, in aliorum esse potestate. quare qui alicuius magni facinoris conscij sunt, ijdem sunt etiam horribiles: ne aut facinus illud indicent, aut socios deserant. Et qui iniuriam facere possunt

semper

ſemper eis formidabiles ſunt, qui ſunt ad iniuriā expoſiti; plerunque enim homines facultatem nacti iniuriam inferunt: & qui iniuriam acceperunt, uel ſe accepiſſe arbitrantur; ſemper enim ulciſcendi tempus obſeruant. Et, qui iam fecerunt iniuriam, ſi poteſtatem habent, horribiles ſunt; cum ſemper talionem reformident, hoc autem eſſe horribile, iam ſupra dictum eſt; & qui de iiſdem honoribus, aut præmijs certant; ſi eadem ambo conſequi non poſſunt: tales enim inter ſe perpetuo digladiantur. Et qui ſunt horribiles ijs, qui meliores ſunt, etiā infirmioribus ſunt horribiles; facilius enim infirmiores, quàm meliores lædere poſſunt. atque eadem de cauſa ſunt etiam horribiles illi, quos meliores reformidant: & qui necem eis attulerunt, qui ipſis præſtantiores erant: & qui minores aggredi ſolent: uel enim iam horribiles ſunt, uel elato animo ſtatim fient. Horribiles etiam ſunt ij, qui iniuriam acceperunt: &, qui inimici ſunt, aut aduerſarij, non ſi ad iram procliues ſunt, & liberè loquuntur: ſed ſi ſedati ſunt, & diſſimulatores, & uerſuti: incertum eſt enim, an propè ſint ad maleſaciendum, neque unquam perſpicuum eſt, quàm longè abſint. Omnium autē horribilium illa maxima ſunt, in quibus, ſi quid peccatum fuerit, non eſt emendandi locus; ſed uel omnino corrigi nequeunt, uel remedia non ſunt in noſtra, ſed in aduerſariorum poteſtate: et in quibus uel nulla ſunt auxilia, uel multum ardua. Vt autem ſummatim dicam, horribilia ſunt illa omnia, quæ, cum alijs eueniunt, uel impendent, miſericordia digna ſunt.

Atque

Atque hæc quidem fere sunt, quæ horribilia dicuntur & quæ maxime homines timere solent, sed quonodo affecti sint animo, qui timent, iam dicamus. Cum igitur metus cum expectatione sit patiēdi aliquid, quod perdere ualeat, perspicuum est, neminem eorum esse in metus, qui nihil se mali passuros arbitrantur; neque enim quisquam ea timet, quæ se non passurum putat: neque eos metuit, a quibus nihil mali expectat: neque eo tempore timet, cum nihil mali futurum arbitratur. Necesse est igitur, eos esse in metu, qui se aliquid mali passuros existimant a certis personis: &, qui, quæ passuri sunt, & quo tempore, cogitant. qui autem plurimis fortunæ bonis abundant; aut se abundare putant, ii se nihil passuros arbitrantur. atque inde cōtumeliosi sunt, & aliorum negligentes. & audaces ac confidentes. taleis autem efficiunt diuitiæ, robur corporis, amicorum copia, potentia. Neque illi timent, qui se iam grauia passos existimant: & qui iam omnem futuri spem abiecerunt; ut qui ad extremum supplicium ducuntur; sed qui timet, necesse est, aliquā salutis spem habeat in ea re, de qua solicitus est, cuius rei signum est, quod metus cogit homines diligentius consultare, nemo autem de rebus eis consultat, in quibus nihil amplius spe relictum est. Itaque, cum utile erit inducere timorem iudicibus, tunc eis rationibus uti oportebit, quibus ostendamus eos taleis ut pati possint, ut, si dicamus, alios etiam maiores passos fuisse, uel ostendamus pareis, ut hoc tempore pati, aut antea passos esse, & ab iis, a quibus nihil mali metuebant, & præterea passos ea, quæ nunquā

putassent, & quo tempore minimè expectabant.

Est autem metus ægritudo quædam] metus, siue timor est perturbatio animi, aut dolor ex imaginatione impendentis mali, quot aut interitum, aut dolorem nobis adferre posit. Dictum est impendentis mali siue animi, siue corporis, quod propè uidetur: remota enim non ualdè timemus. ex prædicta uerò definitione duo argumentorum loca generica accipimus: primum à rebus timendis, secundum à persona timente: timenda uerò sunt, quæcunque terribilia ingentes uidentur propè habere deperdendi uires, aut adeo nocendi, ut detrimentum acerrimos dolores animi pariat. itaque talium etiam rerum signa terrorem incutiunt. timendi quoq; sunt inimici, & qui iniurias facere possunt. Timent autem, qui se passuros arbitrantur ab his, & hæc, & tunc. Particularia uerò loca, quę in timendis insunt, nouem ut minimum numerantur: quæ autem in eo, qui timet, pauca sunt. Verum si quem uelis timere; à quinque locis argumenta capi licebit.

A fidentia, quæ timori opponitur, quot loca.

CVM autem planum factum sit, quid sit metus, & quæ sint ea, quæ metuenda sunt, & quomodo affecti homines metuãt, ex eisdem perspicuum etiam est, quid sit confidere, & qubius in rebus confidentes sint, & quomodo affecti confidant: nam confidentia timori contraria est, & quæ confidentiam

adfe-

adferunt,eis contraria ſunt, quæ metum incutiunt. Quare confidentia,ſpes quædam eſt cum opinione pro ximæ ſalutis futuræ, & rerum horribilium uel non futurarum, uel longè remotarum. Confirmatur enim animus; cum mala longè abſunt: & quæ confidentiam adferunt,ſunt uicina: & ſi peccatum corrigi, atque emendari poteſt: & ſi auxilia uel multa, uel magna,uel utraque ſimul adeſſe uidentur: &,ſi iniuriam neque nos accipimus,neque alijs intulimus: &,ſi uel nulli ſunt aduerſarij, uel ſi ſunt, nocendi facultatem non habent,uel etiam ſi habent facultatem,nobis amici ſunt; uel ſi beneficia in nos contulerunt,aut à nobis acceperunt: uel ſi plures ſunt,quibus eadem conducunt,aut præſtantiores, aut utrunque ſimul. Ipſi uerò homines hoc modo confidentes eſſe ſolent; ſi multis in rebus proſpere ſe geſſerunt, & nullum incommodum paſſi ſunt: & ſi in pericula ſæpius inciderũt, & tamen incolumes euaſerunt. Duobus enim modis homines timore non concutiuntur; uel quòd ea mala nunquam experti ſunt, uel quòd auxilia parata habeant.id quod accidit in marinis periculis; nam, qui tempeſtatem nunquam experti ſunt, ij ſe incolumeis euaſuros confidunt.qui uerò habent auxilia, propter uſum,& experientiam confidunt. confidunt etiam, cum uident, rem illam paribus, & ſimilibus metum non adferre,neque inferioribus,& ijs,quibus ſe præſtantiores arbitrantur.exiſtimant autem, ſe illis præſtare,quos uicerunt, aut ſi ijs uel potentiores, uel ſimileis uicerunt,&, ſi plura,& maiora ſibi adeſſe putant eorum,quibus qui excellunt, horribiles eſſe ſolent;

lent; qualia ſunt pecunię, magnitudo, robur corporū, & amicorum, & regionis, & apparatuum belli, aut omnium, aut maximorum. Confidunt etiam, ſi iniuriam intulerint aut nemini, aut paucis, aut non huiuſ modi hominibus, quos timere debeant, & omnino quoties ſperant deos ſibi fore propitios, et aliquid boni portendere uel ſignis, uel oraculis, uel aliis quibuſdam rebus; iracundia nanque confidenteis homines facit. cum autem quis non iniuriam facit, ſed eam accipit; tunc iracundia mouetur. Deus uerò creditur eis eſſe auxilio, qui iniuriam acceperunt. Confidentes etiam ſunt; cum priores aggrediuntur, & exiſtimant, uel tunc ſe nihil incommodi pati, uel poſtea nō paſſuros, uel quod cupiunt confecturos. Ac de iis quidem, quæ metum incutiunt, & de iis, quæ confidentiam adferunt, hactenus dictum ſit. Quibus autem in rebus uerecundi ſint homines, atque inuerecundi, & erga quos, & quomodo affecti, deinceps explicandum eſt.

Ex eiſdem etiam perſpicuum eſt, quid ſit con fidere] confidentia, ſiue audacia opponitur timori. &, cum contrariorum eadem ſit ſcientia; quemadmodum à timendis & ab eis, qui temēt, loca argumentorum habemus; ſic cōtra ab his, quæ confidentiam adferunt, & ab eis, qui confidunt; probationes animos afficientes ſumemus. ſed ea, in quibus cōfidendum eſt, primum in genere ſunt pericula, quæ longè abſunt, deinde ſecūda, cū propè adſunt: tertiò pręſidia uel multa, uel magna uel utraq;. particularia uerò loca ſint

his,

his, quæ metuenda sint opposita, tot, & talia. ab his uerò, qui confidunt octo recitantur. Cum aut audacem reddere uolueris aliquem; effice, ut credant se nihil passuros, uel omnia feliciter euentura. quod quidem perficies locis præmonstratis.

Verecundia quid, & quot præbeat loca.

ESTO *igitur uerecundia, quædam ægritudo, perturbatioque in eis malis, quæ ignominiam, ac dedecus ferre uidentur, cum aut sunt, aut fuerunt, aut futura sunt, inuerecundia uero, negligentia quædam est, & animi securitas in eisdem illis malis. Quod si uerecundiæ natura ea est, quā explicuimus, necesse est, in eiusmodi malis homines uerecundari, quæ uel ipsis turpia sunt, uel eis, quorum curam habent. Talia uerò sunt ea opera, quę ab animi uitio proficiscuntur, ut in prælio clypeum abiicere, uel in fugam uerti, quod a timiditate nascitur, uel depositum non reddere, quod nascitur ab iniustitia, & rem habere, quibuscum nefas est, uel ubi, uel quando non oportet, quod intemperantiæ proprium est, & quæstum ex minucis rebus facere, aut turpibus, aut ex iis, ex quibus fieri nō posse uideatur, ut a pauperibus, & mortuis unde celebratum est prouerbium illud etiam a mortuo tributum exigere, a sordibus enim hoc, et illiberalitate nascitur, & eis, qui indigent, nō pecunia subuenire, cum possis, aut minus quì oporteat, subuenire, & a tenuioribus, minusque abundantibus auxilium, & pecuniam capere, aut mutuo eam summere, cum existimatur*

matur aliquis a te petiturus: aut iterũ petere, cum aliquis, quos dedit, nummos repetiturus est, aut contra repetere, cum iterum ille petiturus est. Turpe est etiam aliquid laudare, ut illud poscere uidearis, et cũ semel repulsam passus sis, nihilominus idem petere. nam hæc omnia sordium, illiberalitatisq; signa sunt: in præsentia uero coramque laudare quempiam, adulationis est: & bona, plusquam satis sit, laudare; mala uero obscurare: &, cum quis dolet, maiorem eo dolorem ostendere, & alia quæcunque sunt huiusmodi, turpia sunt, quoniam indicia sunt assentationis. Turpe est etiam eos labores ferre non posse, quos aut seniores, aut delicati homines, aut qui cũ imperio sunt, aut denique imbecilliores ferunt: hæc enim omnia mollitudinis signa sunt, & ab alio beneficium accipere, idque sæpius, & alicui beneficia exprobrare turpe est; hæc enim signa sunt animi pusilli, ieiuni, atque abiecti: & de se ipso prædicare, ac magna quædam polliceri: &, quæ aliorum sunt, sibi uendicare, quod arrogantiæ signum est. Atque eodem modo in singulis animi uitijs facta, indiciaque, & quæ sunt ijs similia, turpia sunt, & infamiam adferunt. Præterea turpe est, non esse participem rerum honestarum earum, inquam, quas uel generatim omnes participant, uel pares, similesque uniuersi, uel saltem plurimi. pareis autem, simileisque uoco illos, qui sunt eiusdem nationis, ciuitatis, ætatis, familiæ, denique qui æquo iure uiuunt, nam omnino turpe est, non huiusmodi rerum esse participem, ut eruditionem aliquo modo non degustasse, atque ita de reliquis. Quæ omnia turpiora sunt, si ob

ſius culpa eueniſſe uiſa fuerint, ſic enim ab animi uitio magis proficiſci uidentur, ſi ipſe cauſa fuerit malorum, quæ uel antea fuerunt, vel nunc adſunt, uel poſtea futura ſunt. Verecundantur autem homines; cum aut patiuntur, aut iam perpeſſi ſunt, aut ſe paſſuros intelligunt ea, quæ ignominiam, & opprobria ferre poſſunt, huiuſmodi uero ſunt ea, quæ uel ad obſcænum corporis miniſterium, uel turpium factorum pertinent, in quibus quis contumelia afficitur. Et quæ ad intemperantiam attinent, ſiue quis uolent, ſiue inuitus patiatur, turpe eſt, &, quæ ad uiolentiam, cum iniuitus patitur, nam huiuſmodi patientia ab ignauia & timiditate proficiſcitur, ſicut etiam iniurias acceptas non ulciſci. Hęc igitur, cæteraque huius generis ſunt, quę homines uerecundantur. Quoniam aūt uerecundia opinio quædam eſt ignominia, atque eius ipſius gratia, non autem eorum, quæ inde proueniunt &, nemo bonam quærit famam, niſi propter illos, qui de ſe exiſtimant, neceſſe eſt, homines affici uerecundia propter illos, quorum rationem ducunt. Eorum autem rationem ducunt, qui ſui admiratione capti ſunt, & eorum, quos ipſi admirantur, quoſque in admirationem ſui trahere deſiderāt, et quibuſcum de honore, ac dignitate contendunt, & denique quorum exiſtimationem non contemnunt. At uero ſui admirationem apud eos mouere uolunt, atque ipſi etiam eos admirantur, qui bonum aliquod in ſe habent eorum, quæ honore digna indicantur, & a quibus impertiri ſibi quippiam ardenter cupiunt, cuius illi domini ſunt, ut amatores. Cum paribus autem, ſimilibuſque

de

de honore, ac dignitate contendunt, uiros uero prudenteis obseruant, tanquam eos, qui uera prædicare soleant, tales autem sunt senes, atque eruditi. Illa etiam uerecundiam mouent, quæ in oculis ominum, ac propalam fiunt, unde etiam prouerbium illud, pudorem in oculis esse. Atque hac de causa magis eos uerecundamur, qui semper nobiscum futuri sunt, & qui nostras aduertunt actiones, eo quòd hæc utraque sint in oculis, & eos, qui eidem culpę minime sunt obnoxij, perspicuum est enim, eos in contraria esse sententia, &, qui minime procliues sunt ad ignoscendum eis qui peccare uideantur: nam, quæ aliquis ipse facit, ea dicitur uicinis non uitio uertere. quare, quæ non facit sine dubitatione uitio uertit. Eos quoque ueremur, qui omnia facile enuntiant. nihil enim differt, non uideri peccasse, & peccatum non enunciari. Illi uero facile enuntiant, qui iniuriam acceperunt, eo quod obseruare soleant, & maledici, nam, si nihil peccantibus detrahunt, quanto magis peccanteis inuadent? et qui in notãdis proximorũ peccatis occupati sunt, quales sunt derisores, & comici poetæ, nam hi quoq; quodammodo maledici sunt, & peccata enunciant. Eos etiam ueremur, apud quos uoti compotes semper fuimus: ij enim nos admirari quodammodo uidẽtur. Atque ideo ueremur etiam eos, qui tunc primum a nobis aliquid petunt, quippe cum apud eos nihil adhuc existimatio nostra læsa. tales etiam sunt ij, qui nobis amici fieri desiderant, conspexerunt enim, quæ optima sunt in nobis. quare Euripidis responsum ad Syracusanos iure laudatur, Veteres quoque familia-

reis nostros ueremur, qui nullius flagitij nobis conscij sunt. Solent autem uerecundari homines non solum in eis, quæ dicta sunt, quæ re uera sunt obscœna, sed etiam in eis, quæ signa sunt, ut non modo cum Veneri indulgent, sed etiã, cum eius rei signum aliquod edunt neque tantum, cum turpia faciunt; sed etiam, cum de illis loquuntur. Eodem modo non tantum prædictos homines ueremur, sed eos etiam, qui possunt illis, quę fiunt a nobis, enuntiare, quales sunt eorum serui, aut amici. Nihil autem omnino ueremur eos, quos ualde contemnimus, & quibus non credi solere putamus, nemo est enim qui puerulos, aut belluas uereatur. neque eadem de causa ueremur familiareis, et externos nam familiareis in rebus ueremur, quæ ad ueritatem spectant: externos uero in eis, quæ ad opinionem, & instituta. Qui autẽ uerecundia capiuntur, ita sunt affecti, primo si apud se habeant huiusmodi homines, qualeis diximus eos esse, quos uereri solemus. tales autem erant, uel qui nobis admirationi sunt, uel qui nos admirantur, uel quibus admirationi nos esse cupimus, uel quorum ope aliqua in re indigemus, quam non obtineremus, si existimationem perdidissemus. Atque hi uel si præsentes sint, ac uideant, quemadmodum Cydias in concione dixit, cum de Samiorum agrorum diuisione tractaretur: rogabat enim Athenienseis, ut mentibus suis cogitarent, omneis Græcos non solum audituros esse, sed etiam in corona stare, atque adesse, ut spectarent, quę ab ipsis decernerentur, uel, si in propinquo loco sint, & facile percepturi, quæ a nobis fiant. Quare, qui in

calamitate sunt, ab ijs conspici nolunt, qui ipsos olim æmulabantur: nam qui ęmulantur, etiam admirari solent. Quin etiam illi pudore afficiuntur, quicunque aliquid habent, quod dedecus adferat uel a se commissum, uel a maioribus suis, uel ab alijs quibusdam, qui buscum propinquitate aliqua coniuncti sunt, & denique quorum infamiam ad se pertinere putant. Tales autem sunt ij, quos pędiximus, & præterea qui ex ipsis pendent, ut quorum magistri aut consiliarij fuerunt. Præterea pudore afficiuntur, qui pareis aliquos simileisque habent. quibuscum de honore, ac dignitate certant, multa enim eorum uerecundia commoti faciunt, & multa etiam pętermittunt. Et cum in cõspectu eorum futuri sunt, & cum eis uersaturi, qui peccati cõscij sunt magis ẽt tũc uerecundantur. unde Antiphon poeta, cum iussus Dionysii ad supplicium duceretur, & uideret alios, qui unà secum erant morituri, cum è carcere exirent, capita obuoluere, dixit: Quid est, quòd capita obuoluatis? anueremini, nequis horum cras uos uideat? De uerecundia igitur hæc dicta sint, quæ uero ad inuerecundiam pertinent, ex contrarijs erunt manifesta. Quibus autem hominibus gratiam habeamus, & quibus de causis, & quomodo affecti, tunc erit perspicuum, cum gratiam ipsam definiuerimus.

Esto igitur uerecundia] est uerecundia animi affectus ex imaginatione mali præteriti, uel præsentis, uel futuri, quod honorem, & existimationem uiolet. mala uerò, quibus erubescimus, sunt argumentationum loca. at mala profi-

ciſcuntur à uitio, ab inexperientia, à facultate, & à ui. quare ab his probationes accipiemus: à uitijs enim loca particularia noue aſſumemus: ab inexperientia pauca: itemque à facultate, & à ui. ſed & ab his, qui uerecundia capiuntur, plura accipimus loca: ſicque plura ab eis, quos uerremur.

Gratia quid ſit, & tria in genere dat loca.

SIT igitur illa gratia, per quam is, qui facultatem habet, dicitur egenti beneficium ſuppeditare, non, quod aliquid iam acceperint. neque quod utilitatem aliquam indeſperet; ſed tantum, ut illi commodet, cui beneficium tradit. Magna uero illa gratia eſt, quæ ualde egentibus præſtatur, uel quæ magna, & ardua tribuit, uel quę opportune fit; uel quã aut ſolus, aut primus, aut copioſè preſtitit. Indigentiæ uero ſunt appetitiones, atque illæ præcipue, quæ nos angunt; cum eas explere non poſſumus tales ſunt omnes cupiditates, ut amor: & cum quis eſt in aliquo dolore corporis, aut in periculo, nam qui periclitatur, & qui dolet, concupiſcit. Atque hac de cauſa, qui paupertate premuntur, & qui in exilio ſunt, ſiquis eis in minimis etiam rebus ſubueniat, propterea quòd multum indignet, & in tali tempore conſtituti ſunt, magnum ſe beneficium accepiſſe exiſtimãt: ut, qui floreã in Lyceo præbuit. Oportet igitur in huiuſmodi rebus, ac temporibus ſubuenire, quod ſi non ſint eiuſmodi; ſaltem ſint uel paria, uel maiora. Cum igitur planum factum ſit, & quando, & quibus in rebus

bus

bus beneficium fiat, & quomodo affecti sint ij, qui faciunt: perspicuum est etiam, his rationibus præparandos esse auditores; ut demonstret orator, hos quidem aut esse, aut fuisse in huiusmodi tristitia, atque indigentia: illos autem in tali necessitate suppeditasse aliquid, quod eos subleuare posset. Ex his etiam facile perspici potest, quomodo remoueri gratia possit, & effici, ne beneficium præstitisse uideātur; uel.n. dicemus eos commodi sui gratia subuenire, aut iam subuenisse, quod beneficium uocari non debet: uel casu, fortuitoque accidisse, uel necessitate coactos subuenisse: uel eos beneficium reddidisse, non autem dedisse, siue illi se debere scirēt, siue ignorarēt: nam utroque modo aliquid pro aliquo redditur: quare neque hoc modo beneficium est. Singula etiam summa genera consideranda sunt: nam beneficium est, uel quod rem hanc tradidit uel tantam, uel talem, uel tali tempore, uel in opportuno loco. Signum autem non beneuoli animi est, si in re minori nō subuenerunt: aut, si inimicis eadem commoda, uel æqualia, uel maiora tribuerunt: tunc enim perspicuum est eos nostri causa nequaquam ea fecisse: uel si quis sciens, res uileis, & abiectas tribuat; ne enim est, qui se uilibus, & abiectis rebus egere fateatur. Ac de gratia quidem collata, aut non collata satis dictum sit. Quæ autem res miserabiles, sint et quorum hominum misereamur, quomodoque ipsi affecti, deinceps dicamus.

Sit igitur illa gratia] tria sunt gratiæ loca in genere: nam probationes nobis dant gratia ipsa, ij, qui gratiam efficiunt, & ij, qui recipiunt. gra-

tia autem, si magna, uel parua: digna, uel indigna, & id generis, aut simpliciter, aut pro ratione personarum, causarum, temporum, locorum modo, occasioneq;. Vt uerò commoueas aliquem ad gratiam faciendam; primum ei persuade hominem, pro quo gratiam petimus capi inopia, uel dolore uehementi: deinde ipsi talem gratiã fore summum beneficium: unusquisque enim semper appetit magna facere: tertiò homini aliquando posse gratias referre. Quomodo remoueri gratia possit] quinque locis demõstramus, quibus remoueri gratia possit, & effici, ne beneficium præstitisse uideantur. Signum autem non beneuoli animi est] signa uerò, quibus demonstrare possumus non esse gratiam, sunt tria.

Misericordia quid sit, & ab eius definitione tria accipimus primaria loca.

EST *Autem misericordia, quædam ægritudo suscepta ex opinione mali, quod aut interitum, aut dolorem adferat ei, qui illa fortuna sit indignus. in quod quidem malum, fieri posse putamus, ut uel nos incidamus uel eorum aliquis qui cari nobis esse debent: & præsertim, cum id malum propinquum esse uidetur. Illud enim planum est necesse esse, ut is, qui moueri misericordia debet, talis sit, ut aliquid mali pati posse existimet aut se, aut suorum quempiam: & malum eiusmodi, quale dictum est in definitione, aut illi simile, aut propinquũ. Atque hac de causa, qui omnino perditi sunt, misericordia non mouentur; nihil*

hil enim amplius se passuros existimant, cum iam per pessi sint, & qui se ualde fortunatos existimant, nam hi potius contumeliosi sunt: cum enim omnia sibi adesse bona censeant; planum est eos non timere, ne aliquid mali patiantur; nam hoc etiam ipsum bonum est. ij uero putant, se in aliquod malum cadere posse, qui antea passi quidem sunt, sed incolumes euaserunt. Atq; ēt senes cum propter prudentiam, tum propter usum multarũ rerum: & imbecilli, & ij, qui natura timidiores: sunt & qui doctrina sunt exculti; nã hi res humanas bene reputant: & qui parentes, aut liberos. aut coniuges habent; hæc enim ipsorum sunt, & prædictis malis exposita: & qui in fortitudinis affectio non sunt, ut in iracundia, aut confidentia: nam huiusmodi affectiones, quid futurum sit, non cogitãt, et qui nequaquã ad contumeliã procliues sunt; nã huiusmodi homines, qui cõtumeliosi sunt, non cogitant, se malũ aliquod pati posse. Sed, q inter hos interiecti sunt misericordes esse solent: neque rursus ij, qui in magno timore positi sunt, neque enim misericordia mouentur metu perculsi; quoniam de propria salute soliciti sunt. Et qui putant aliquos æquos, & bonos esse, misericordia mouentur: nam qui neminem probum esse putat, is omneis homines malo dignos esse iudicabit. Atq; omnino talis est quisq;, cũ recordatur sibi, aut suis talia mala euenisse, uel timet, ne aliquãdo aut sibi, aut suis eueniant. Qũo igitur affecti homines misericordia moueantur dictum est. Quæ uero miserabilia sint, ex definitione satis patet: quæ enim ægritudinem, & dolorem adserunt, & ad interitum perducunt,

cunt, omnia miserabilia sunt, & quæcunque perdendi, & destruendi uim habent, & quæ mala a fortuna proueniunt, magnaque sunt. Quæ uero dolorem adferunt, & interitum, sunt mortes, uerbera corporum, uexationes, senectus, morbi, & cibi penuria, quę a fortuna proueniunt, mala hæc ferè sunt, amicis penitus spoliari, aut cum paucis relinqui, quo fit, ut miserabile sit, ab amicis, & familiaribus diuelli: deformitas, imbecillitas corporis, membri alicuius priuatio: & unde bonum aliquod prouenire oportebat, inde malum accidere: atque hoc sæpius euenire, & cum bonum aliquod tunc accidit, cum iam prodesse nō potest ut Diopithi, qui cum ei a rege munera missa fuissent; mortuus est inuentus: & sicut nihil unquam boni accidit, uel si accidit, eo frui non potuit. Atque hæc quidem, & cętera huiusmodi sunt, quæ homines ad misericordiam moueant. Miserentur autem eorum, qui familiares sunt nisi forte sint magna necessitudine coniuncti, nam hos non aliter, ac se ipsos, habent. itaque Amasis, cum ad supplicium duci filium suum uideret lachrymas non effudit, ut fertur: cum autem amicum mendicantem cōspexisset, tunc illacrymauit: hoc enim miserabile est: illud uero atrox, & terribile. quod enim atrox est, differt ab eo, quod est miserabile: quippe quod eijciendi misericordiam uim habeat, & sæpius in contrarium ualet. Mouentur etiam misericordia; cum intelligunt rem atrocem esse propinquā. Parium etiam ac similium miserentur: sunt autem pares, ac similes uel ætate, uel morib., uel habitibus, uel dignitate, uel genere: in his .n. omnib. magis apparet,

eis-

eisdem periculis exposito esse:nam omnino hoc etiã in loco ita statuendum est;omnia,quæ ne accidant nobis timemus,cum alijs euenerint,solere nos ad misericordiam cõmouere. Quoniam autem res acerbę cum prope esse uidentur,misericordiam mouent: cum autem longe absunt,ut quę multis annis antea fuerunt, aut post futura sunt, quas neque timent, neque recordantur,uel non omnino misericordia illarum mouentur,uel non eodem modo;necesse est eos,qui repræsentantur formis,uocibus,uestitu,ac denique actione lõge miserabiliores esse:hoc enim modo efficiunt,ut malum prope uideatur,cum ipsum oculis subijciãt, quod aut futurum est,aut iam pręterijt. Atque hac de causa, quæ nuper acciderunt,aut breui futura sunt, miserabiliora uidentur:quin etiam ipsa indicia,atque facta,ut uestes illorum,qui casus acerbos pertulerunt, & quæ sunt eius generis:& orationes,quas habuerunt ij,qui essent in calamitate,ut qui iam iam essent morituri. Maxime uero misaratio concitatur,si in illis acerbissimis causibus fortes,& cõstãti animo fuisse dicantur:nam hæc omnia quia uicina uidentur; magis misericordiã mouent:quod qui patitur,ea fortuna sit indignus,& acerbitas illa quasi oculi subijciatur.

Est autem misericordia] hæc definitio misericordiæ nobis indicat tria primaria loca,à quibus probationes adsumamus. primum quidem est à miserabilibus: secundum à persona,quæ uideatur mala fortuna iudignus: tertium à persona illius,qui misericordia mouetur.atque is in illud mali fieri posse putat,ut uel ipse incidat, uel

co-

eorum aliquis,qui cari ei esse debent,ac præsertim cum id malum propinquum esse uidetur. hinc perspicuum fit quinque excipi loca argumentationum particularia ab ijs, qui misericordia non mouentur:ab ijs uerò,qui misericordes totidem. A miserabilibus uerò nouem accipimus particularia loca. A persona autem, cuius miseremur,tria saltem. Augent misericordiam formæ,uoces, luctus, uestitus, atq; huiusmodi.

Indignatio,siue nemesis quid,& quot loca.

MISERICORDIAE *verò maximè opponitur illa, quæ nemesis dicitur, quã nos indignationẽ appellare possumus: nã alicuius infortunio,qui indignè patiatur,angi,ac dolere, quãuis ab eisdẽ moribus ꝓficiscatur; tamẽ ei quodãmodo contrariũ est,quod est dolere prospera alicuius fortuna,q ea sit indignus. Atq; hæ cõmotiones ambæ,bonæ indolis,ac naturæ sunt:decet.n.cũ eis dolere,atq; eorũ misereri, q mali aliquid indignè patiuntur: illis aũt indignari,qui præter merita sua fortunati sunt; quicquid enim præter dignitatem accidit,iniustum est. atque hac de causa deis etiã ipsis hoc attribuimus,ut indignentur. Posset autem aliquis suspicari inuidiam misericordiæ eodem modo esse contrariam,tanquam uicina sit,& eadem,quę nemesis: sed ab ea diuersa est; quamuis enim etiam inuidia sit ægritudo,quę animum perturbat ob alterius res secundas: non tamen ob eius res secundas,qui sit indignus,sed qui sit æqualis,aut similis. Commũne autem est omnium,qui inuident,& qui indignantur,*

ut id efficiant, non quia ſibi detrimentum aliquod ex eo prouenire poſſit; ſed quia bonum, cui nollent, acciderit: neque enim iam eſſet inuidia, aut nemeſis, ſed potius metus, ſiquis ideo doleret, aut perturbaretur; quòd ex alterius bona fortuna ſibi malum aliquod eſſet euenturum. Illud uerò perſpicuum eſt, diuerſas animi affectiones ab inuidia, atque ab indignatione concitari: nam qui mœrore conficitur, cum uidet indignos aduerſa fortuna concuti; idem lætabitur, aut ſaltem dolore carebit, cum uiderit, malo dignos homines infortunijs agitari: neque enim quiſquam uir probus dolorem concipiet, cum parricidas, aut ſicarios extremum pati ſupplicium intellexerit: decet enim in rebus eiuſmodi gaudere: quemadmodum etiam, cum aliquis pro dignitate fortunatus eſt, & benè rem ſuam gerit: hęc enim ambo iuſta ſunt, & bono uiro lætitiã adſerunt: nam neceſſe eſt, ut ſperet ad ſe quoque peruentura eſſe commoda, quæ ſui ſimilis conſecutus eſt. Hæc autem omnia ſunt eiuſdem uitæ, atque naturæ, ſicuti contraria contrarios etiam mores indicant: idẽ eſt enim, qui malis aliorum delectatur, & qui eſt inuidus; nam, ex qua re quiſpiam angitur, cum oritur, aut iã adeſt; neceſſe eſt hunc eadem gaudere, cum eam uidet euaneſcere, atque interire. Quapropter hæc omnia miſericordiam excitari prohibent. inter ſe uerò differunt ijs de cauſis, quæ traditæ ſunt: & omnia æqualiter utilia ſunt ad efficiendum, ne res aliquæ miſerabiles eſſe uideantur.

Primum igitur de libera indignatione, quam nemeſim uocant, dicamus, &, quibus homines indignantur,

tur,& quas ob res,& quomodo affecti; deinde, etiã de reliquis uerba faciamus; quamuis hæc plana sint ex ijs,quæ iam supra dicta sunt. Nam,si indignari nihil aliud est,quam dolere prospera alicuius fortuna, ea sit indignus; primum illud perspicuum est, non fieri posse,ut quis propter omnia bona,quæ eueniunt,indignetur:nemo enim ei,qui iustus, aut fortis euadit, aut uirtutem aliquam acquirit, indignatur. neque enim ob res,quæ sunt his contrariæ,misericordia commouetur: sed ex diuitiis,& potentia, & cæteris huiusmodi rebus indignatio nascitur, quibus (ut in summa dicam) boni tantum uiri digni sunt, atque illi, qui à natura consecuti bona sunt,ut nobilitatem,pulchritudinem,& quæ sunt eius generis cætera. Et quoniã,quod antiquum est,parum distare uidetur ab eo, quod est naturale; necesse est,ut eis,qui bonum idem possident,si nuper id acquisiuerunt,atque ideo feliciter,ac prospere viuunt; magis indignemur.maiorem enim nobis dolorem inurunt, qui nuper diuites facti sunt, quam, qui diu in amplo patrimonio uixerunt: eodem modo, qui magistratus,& potentiam,& copiam amicorum,& multos,ac probos filios, & huius generis cætera nuper adepti sunt: atque etiã,cum propter hæc aliquod aliud eis bonum acciderit: magis enim offendunt animos nostros noui diuites, si propter diuitias aliquem honorem, ac magistratum acquisiuerint, quàm qui iampridem diuites erant. quod in reliquis etiã rebus accidit eodẽ modò. Huius autem rei causa est, quòd alteri res suas habere videntur: alteri uerò minimè; quod enim semper eodem

in statu spectatum est, id æquum, iustumque uidetur: quò fit, ut alteri minimè suas res habere uideantur. Et, quoniam nō omne bonum cuiuis homini congruit; sed est proportio quædam & conuenientia, ut exempli geatia, speciosa arma non iusto uiro, sed forti conueniunt, & claræ nuptiarum affinitates non iis, qui nuper diuites facti sunt, sed nobilibus, atque illustri genere natis, congruentes sunt; fit, ut etiam, cum probus uir, qđ ei non conuenit, assequitur, aduersus eum indignatio concitetur. Res etiam illa mouet indignationem, quando inferior cum superiore contendit, & præcipuè si eodem studio, atque artificio dispares fuerint. unde illud ab Homero dictum est.

Ille redit retro, non ausus tendere contra
Aiacem, Telamone satum: nam Iuppiter ipse
Indignabatur forti committere inertem.

quòd si non in eodem studio fuerit inferior, tamen quocunque modo minor cum superiore contendit, indignationem mouet; ut, si musicus cum iusto uiro de dignitate contendat: nam iustitia multò præstantior est arte musica. Iam igitur planum est, contra quos homines, & quibus de causis indignatio moueatur; hæc enim sunt, quæ diximus: & si qua sunt eius generis cætera.

Eorum autem animi facile mouentur ad indignationem, qui maximis bonis digni sunt, & ea possident; cum indignos eadem possidere uident; neque enim iustum est, dissimileis homines paribus bonis accumulari. Secundo loco mouentur ad indignationem, qui probi, studiosique uiri sunt; nam huiusmodi homines

mines uerè iudicant,& quæ iniusta sunt, oderunt. tertium genus est eorum, qui honores appetunt, & aliquas sibi res gerendas mandari cupiunt,& pręcipuè si illos honores desiderant, quos alii iam eis indigni consecuti sunt. Denique illi facilè indignantur; qui pręclara de se ipsis iudicia faciunt, atque eis rebus se dignos putant, quibus alios non putant. atque hac de causa qui seruili ingenio sunt,& abiecti homines,& honoris contemptores, non mouentur ad indignationem; nihil enim est huiusmodi, quo se dignos existiment. Ex iis, quæ dicta sunt, etiam manifestum est; quando uel gaudere, uel saltem non dolere debemus; cum aliqui homines aduersa fortuna premuntur, & rem suam infeliciter agunt, aut quæ cupiunt, non consequuntur; nam ex contrariis contraria perspicua sunt. Quapropter his rationibus orator sanè iudices ita præparare sua oratione poterit; ut eos, qui sui misereri dicunt oportere, doceat indignos esse, qui misericordiam consequantur; non autem fieri posse certum est, ut eorum quis misereatur, qui misericordia sunt indigni.

Misericordiæ uerò maximè opponitur] Indignatio, siue nemesis, quæ misericordiæ opposita est, tot prębet loca generica,& particularia, quot misericordia.

Inuidiæ quid sit, & quot loca.

NEQUE illud obscurum est propter quę bona, et quibus hominibus,& quomodo affecti soleant inuidere; siquidem inuidia est ægritudo quædam, conce-

pta

pta ex felicitate eorum honorum, quæ dicta sunt; cum paribus, ac similibus eueniunt, nõ ut qui inuidet, aliquod inde commodum ferat, sed quia nollet eos, quibus inuidet, ea bona possidere. Illi autem inuidia mouentur, quibus aliqui pares sunt, aut uidentur. pareis autem uoco aut genere, aut cognatione, aut ætate, aut habitu animi, aut dignitate, aut fortunis, & qui omnia fere bona consecuti sunt. quo fit, ut qui res præclaras gerunt, & qui fortunati sunt, ad inuidiam sint procliues; quoniam quicquid alijs boni contingit, id sibi eripi existimant, & qui eximios honores in aliqua re sunt adepti, & præcipue qui sapientiæ, uitæque beatæ compotes esse uidentur: & qui gloriæ sunt appetentes, magis inuidi sunt, quàm quos gloria non commouet, & qui sapientes uideri uolunt, cum eius gloriæ sint appetentes, quæ sapientiæ debetur. Denique qui in aliquo studio laudẽ assequi cupiũt, omnib. inuidẽt. q in eodem cursu uersantur, & qui angusto, pusilloq; sunt animo: nam eis omnia uidentur esse magna. At uero propter quæ bona soleant inuidere, iam dictum est, omnes enim res, atque opera, ex quibus laudem, honorem, & gloriam quærunt, & omnia fortunæ commoda gignere inuidiam solent, & ea maxime, quæ aut ipsi appetunt, aut se habere oportere censent. Ob eas etiam res inuidia mouetur, quibus se aut paulo superiores, aut paulo inferiores esse uident.

Nec dubium esse potest, quibus inuideant; nã hoc unà cum alijs dictum est. Illis enim inuident, qui propinqui sunt, aut tempore, aut loco, aut ętate, aut gloria: quamobrem illud uulgo celebratur.

Vicinus inuidere uicino ſolet.
Inuident etiam illis,quibuſcum de honore certant.certant autem cum ijs,quos modo diximus:cum ijs uero qui multis antea ſeculis uixerunt,aut poſtea ſunt o rituri,uel qui iam mortui ſunt,nemo de honore contendit,neque cum ijs qui apud Herculis columnas habitant,neque cum ijs,a quibus putant ſe longo interuallo aut ſuo,aut aliorum iudicio ſuperari,neque contra cum ijs,quibus ſe multum præſtare exiſtimant .et quod de perſonis,idem etiam de rebus ſentiendum. Quoniam autem æmulos ſtudiorum ſuorum,& riualeis,& denique omneis,qui eadem deſiderant,ſuperare contendunt;neceſſe eſt etiam,ut eiſdem maxime inuideant. unde dictum eſt.
Et figulus figulo:-
Et,qui ſero,uel nunquam id,quod cupiebant,aſſecuti ſunt,ijs inuident,qui celeriter idem,ac facile acquiſiuerunt. Atq; illis etiam inuident qui id quęrunt,quod ſi aßequi potuerint,& ad exitum perducere, probro ipſis futurum ſit: namque etiam huiuſmodi homines propinqui,ac ſimiles ſunt: perſpicuum eſt enim, ipſorum culpa fieri, ut id non aſſequantur. quare dolor, moleſtiaque, quam ex eo capiunt, inuidiam gignit. Eis præterea ſolent inuidere, qui poſſident illa, quæ ipſis conueniebant: aut quæ quondam ipſi poſſidebant: quare ſenes iunioribus inuident. Et, qui magnos ſumptus in aliqua re comparanda fecerint,ijs inuident, qui paruo ſumptu rem eandem aſſecuti ſunt.Quin illud quoque planum eſt quas ob res huiuſmodi homines gaudeant,& quibus in perſonis,

& quomodo affecti: quo enim modo non sunt affecti, cum dolent, eodem modo affecti, contrarijs rebus læta buntur. Quod si ita præparati iudices fuerint, & demonstratum erit, eos, qui uel misericordiam, uel aliquod bonum consequi digni habiti fuerant, taleis esse qualeis diximus planum est, quos nunquam misericordiam conjecuturos ab illis, in quorum potestate res tota posita est. Iam uero quomodo affecti sint, qui æmulantur, & quæ bona, & in quibus hominibus posita, soleant, æmulari deinceps perspicuum fiet.

Neque illud obscurum est] sic inuidiæ loca sumuntur, quemadmodum nos docet data definitio, à tribus, ab inuidis scilicet, ab eo, qui inuidetur: & à re, quæ inuidiam gignere solet. Inuidentes quinque dant loca, & ferè amplius: inuisi quatuor, uel quinque. propter quæ uerò bona soleant inuidere, sunt omnes res, atque opera, ex quibus laudem, honorem, & gloriam quærunt, & omnia fortunæ commoda inuidiam mouent: & ea potissimum, quæ aut ipsi inuidentes appetunt, aut se habere oportere censent.

AEmulatio quid, & loca.

Est enim æmulatio, quædam ægritudo, quæ nascitur ex eo, quod in similibus, ac paribus uideantur esse bona quædam honorifica, quæ bona possint etiam in eum cadere, qui ita afficitur; non, quod alij bona illa euenerint; sed quod eis ipse careat. quo fit, ut æmulatio bona sit, et bonorũ uirorũ affectio, sed inuidia mala est, & malorũ hominũ; nam æmulatio concitat hominẽ, ut talis fiat, quo possit illa bona consequi, sed

proximũ conatur eisdẽ bonis spoliare. Necesse est igitur eos ad æmulãdũ ꝓcliues esse, qui se eis bonis, quæ nõ habẽt, dignos existimãt: nullius .n. se bonis dignum cẽset, quæ nullo mõ fieri posse uidentur. Qua ꝓp ado lescẽtes & magnanimi uiri solent æmulatores esse: et q ea bona possidẽt, q̃ honoratis uiris conueniunt, talia uero sũt diuitiæ, copia amicorũ, magistratus, & cætera eius generis: nã, quia huiusmodi bona conueniunt eis, qui bene animo conformati sunt; tanquam ipsis quoque conueniat probis esse uiris: idcirco talia bona æmulantur. Atque illi etiam æmulatores sunt quos alij bonis dignos existimant. Et quorum aut maiores aut cognati, aut domestici, aut gens, aut ciuitas in precio, ac honore fuit, earundem rerum æmulatores sunt: nam ea iam propria esse bona putant, atque illis se dignos arbitrantur. Quòd si bona, quibus honos debetur, æmulanda sunt; necesse est uirtutes eiusmodi esse: & quæcunque bona sunt alijs utilia, & benefica; nam omnes beneficos, & probos uiros honorant, atque in precio habent: necnon cuncta illa, quibus propinqui, ac uicini frui poßunt, quales sunt diuitiæ, pulchritudo magis, quam bona ualetudo. Neque obscurum est, quinam sint ęmulandi, nempe ij, qui huiusmodi bona possident, qualia sunt ea, quæ diximus; ut fortitudo, sapientia, magistratus: nam qui magistratum gerunt, de multis benemereri possunt, imperatores, oratores, cęteri que omnes, qui talia præstare possunt. Illi etiam æmulandi sunt, quibus plurimi similes esse student: uel quibus plurimi noti, uel amici fieri cupiunt: & quos multi admirantur. aut quos ipsi illi

admirantur: & quorũ laudationes, & encomia uel à poetis, uel ab oratoribus prædicãtur. Cõtemnunt aũt eos, qui sunt his contrarij: contemptio.n. æmulationi contraria est: & æmulari, atque contemnere sunt in ter se contraria. necesse est autem eos, qui ita affecti sunt, ut uel aliorum æmulatores sint, uel sui æmulatores habeant; contemptores esse eorum hominum, qui sunt malis ijs obnoxij, quæ contraria sunt illis bonis, quæ æmulamur. Quare sæpe numero fortunatos homines contemnunt, cum eis quidem fortuna prospera est, sed tamen sine ijs, bonis, quibus honor tribui solet. Sed iam satis dictum est, quibus modis perturbationes animis inserantur, aut euellantur insitę, unde fidei faciendæ rõnes ducũtur. Postea de moribus sermonẽ instituemus; qui secundum animi commotiones, habitus, ętates, fortunas uariantur. uoco autem animi commotionem, iram, cupiditatem, cęteraquę eius generis, de quibus supra diximus: habitus uero, uirtutes, & uitia: sed de his etiam antea dictum est, & simul explicatum, quæ sibi singuli homines proponant, & quarum rerum gerendarum studio teneantur. ætates autem sunt adolescentia, media ætas, senectus. fortunas uero uoco nobilitatem, diuitias, ciuilem potentiam, & ea, quæ sunt his contraria, & denique prosperitatem, & infortunium.

Est enim ęmulatio] differt, ut definitio declarat, æmulatio ab inuidia: quoniam inuidus alienis tristatur bonis: æmulus uero tristatur, non quia bona alius possideat, sed quia talia, uel maiora ipse non habeat. tria quoque ab ęmulatione

loca generica percipimus, ab æmulo uidelicet, ab eo, qui æmulatur, & à re ipsa, quæ ad æmulationem concitat. ab æmulatore tria saltem particularia accipimus loca: tria quoque à re, & quędam amplius: pauca uerò ab eo, quem æmulamur. Contemnunt autem eos] contrarios his contemnunt. unde totidem habebimus loca; uerum & ampliora; siquidem contemptus ad iram reducitur. atque hęc de affectibus animi loca, à quibus probationes assumamus, numerauimus. ea uerò explicauimus in Oratione Ciceronis, in qua totam Aristotelis Rhetoricam artem exposuimus. & idcirco eam legendam uobis dedimus, qui respublicas, principumque actiones geritis.

De moribus auditorum quo ad ætates, ac primum de moribus adolescentium, à quibus loca habemus.

Adolescentes igitur, quo ad mores, attinet, cupiditatibus æstuant, atque illa conantur efficere, quæ concupierint. sed ex omnibus corporis uoluptatibus maximè Veneri dediti sunt, atque in ea potissimum incontinentes esse solent: uerum facilè mutantur: & ea, quorum cupiditate trahuntur, cito fastidiunt. Et uehementi quidem cupiditate mouentur, sed in eis ardor ille celeriter extinguitur: illorum enim uoluntates acutæ quidem sunt, sed non tamen diuturnæ, qualis ægrotorum sitis, ac fames esse solet. Præterea facilè excandescunt, & leui de causa irascuntur

sumtur. Atq; illũ animi impetũ sequũtur, & omnino semper inferiores, et uicti ab ira discedunt: nã pp ambitionẽ, ac honoris studiũ pati nõ possunt, ut ab ullo negligãtur: sed grauiter ferũt, cũ se iniuria affici existimant. Et ambitiosi sunt, uel potius uictoriæ cupidi: cupit enim adolescentia cæteris antecellere. uictoria uero quædam excellentia est. Et hæc ambo potius, quàm studium pecuniæ sequuntur: neque enim pecuniæ desiderio trahuntur: quoniam egestatem, aut indigentiam nondum experti sunt, quemadmodum illud Pittaci dictum in Amphiaraum ostendit. Neq; prauo ingenio sunt, sed simplices, & aperti; quia non dum multa flagitia didicerunt. Sunt etiam creduli; quia non sæpe decepti sunt. Et bona spe aluntur, eò quod natura calidi sunt; non aliter, atque illi, qui uino madent: simul etiam, qui nondum multis in rebus spe frustrati sunt, magnaq; ex parte spe uiuunt: est enim spes futuri temporis, memoria uerò præteriti. adolescentibus autem, quod futurum tempus, longum est, quod uera præteritum, est paruum: primis enim temporibus ætatis nihil est, quòd se meminisse putent: omnia uero sperant. Et propter hanc, quam dixi, causam facilè decipiuntur; quia facillime sperant. Fortiores quoque sunt alijs; quoniam iracundi, ac spei semper pleni. quorum alterum non timere, alterum confidere facit: neque enim quisquam iratus timet, & qui boni aliquid sperat, audentior euadit. Et uerecundi sunt: quia nihil aliud adhuc honestum esse censent, nisi quod ex institutione, legeque didicerunt. Sunt etiam magnanimi adolescentes; quia nondum

uitæ miserias senserunt, sed expertes sunt earum, quæ in uita accidunt, necessitatum: nam se magnis rebus dignum esse censere, magnanimitas est: hoc autem eius est propriũ, qui spei plenus sit. Et ea potius amplecti, uolunt; quæ honesta sunt, quã quæ utilia, magisq́; ex institutione uiuũt, quã ex ratiocinatione: nã rõcinatio ad utilitatẽ impellit, uirtus aũt ad honestatẽ. Et studiosi sunt amicorũ, atq; sodaliũ magis, quam in alijs ętatibus constituti; propterea, ꝙ eorũ cõsuetudine delectãtur et nondũ quicquã ad utilitatẽ referũt, ita neq; amicos. Et quicquid peccant, in eo, quod est maius, uehementius peccant, et cõtra Chilonis præceptum omnia nimis faciunt: nimium enim amant, nimium oderunt, atque ita in alijs rebus omnibus: quippe qui & se scire omnia existiment, & assueuerent omnia. quę causa est, ut nimis etiam omnia faciant. Et quas iniurias faciunt, eas propter contumeliam, non propter malitiam, inferunt. Et facilè misericordia commouentur; quoniam omneis probos esse, ac meliores, quam sint, existimant: sua enim ipsorum innocentia cæteros metiuntur. itaque illos indigna pati iudicant. Et risus studiosi sunt. quo fit, ut faceti, iocosique sint: urbanitas enim erudita quædam contumelia est. Tales igitur sunt adolescentium mores.

Adolescentes igitur quo ad mores attinet] Diximus probationem artificiosam duplicem esse: alteram ad causam, alteram extra causam. quæ extra causam est, triplex est, morata, scilicet quæ pertinet ad oratorem; affecta, quæ ad iudicem afficiendum, de qua antea disseruimus: &

accom-

accommodata, quæ ad mores iudicum, siue audientium. de hac uerò hoc agit tempore Aristo. Munus igitur oratoris est, qui extra causam dicit, probationes proferre, quæ moribus audientium sint accommodatæ: alij enim sunt iuuenum mores, alij senum, alij eorum, qui uirilem agunt ætatem. quapropter & ab ætatibus assumet argumentationum loca orator. ętatem uerò iuuenilem appellamus usq; ad annos triginta uel usque ad quadraginta quinque, aliàs ad triginta quinque: senum reliqua. Iuuenum quidem habitus quinque dant generica loca, atque ea ab eorum cupiditate, ira, inexperientia, spe, & ratiocinationis indigentia. A cupiditate tria accipimus particularia loca: aptissimi enim primò sunt ad cupiendum: secundò mutabiles, citòque fastidientes: tertiò appetitus sunt eis uehementes, ut sitis ægrorum. Ab ira quatuor: primò enim aptissimi sunt, atque procliues ad iram. Secundò sunt uehementis irę. tertiò uincuntur ab ira. quartò sunt ambitiosi. Ab inexperientia tria: primò pecuniæ minimè sunt auidi, secundò simplices, & aperti, non dolosi: tertiò creduli. A spe quinque: nam primò bona spe aluntur. secundò facile decipiuntur. tertiò fortiores alijs sunt: quoniam iracundi sunt, ac spei semper pleni. quartò uerecundi. quintò magnanimi. A ratiocinationis carentia octo: primò enim honesta magis, quàm utilia eligunt. secundò studiosi sunt amicorum, atque sodalium.

tertiò quicquid peccant, in eo, quod est maius, & uehementius peccant. quartò omnia se scire existimant, & asseuerant. quintò iniurias, quas faciunt, propter contumeliam, non propter malitiam inferunt. sextò facile misericordia capiuntur. septimò risus sunt studiosi. octauò faceti, iocosique sunt. orator igitur iuuenem afficiet enthymematibus, & exemplis, quorum probationes ab his assumentur locis.

De senum moribus.

At uero senes, & qui iam grandes natu sunt, contrarijs fere moribus plerunque præditi sunt. Quoniã enim multos annos uixerunt, pluribus in rebus decepti sunt, atque ipsi aberrarunt, & magna negociorum pars malis abundat, nihil planè confirmare solent, ac longè minus, quàm oporteat, omnia tractant, et se opinari, non scire quicquã, prædicant. & de quaque re ambigentes, semper adiungunt. Forsan, & Fortasse, atque ita omnia dicunt, nihil autem asseueranter efferunt. Et ingenio prauo, morosoque sunt: est enim cachoetia, uitium, cum in deteriorẽ partem omnia capiuntur. Et suspiciosi sunt; eo quòd nemini credant. credunt autem nemini pp experientiam, & usum. atq; eadem de causa, neq; uehementer amant, neque uehementer oderunt: sed ex Biantis præcepto amant, tanquam osuri, & oderunt, tanquam amaturi. Parui quoque animi sunt, quoniam longa ętas eorum spiritus fregit: nihil enim magnum, nibil eximium appetunt, sed ea tantum, quæ sunt ad uitam necessaria,

cessaria, cupiunt. Atque illiberales sunt; nam pecuniæ in eis numerantur, quæ sunt ad uitam necessaria: simul et longo usu didicerunt, quàm difficile sit pecuniam acquirere, & quàm facile sit eandem amittere. Sunt etiam timidi; semperq; uerentur, ne aliquid sibi mali contingat: nam contrario modo affecti sunt atq; adolescentes: sunt enim gelidi, ac refrigerati, adolescentes autem feruentes. quare senectus aditum timiditati patefecit; timor enim refrigeratio quædam est. Et cupidi uitæ sunt, præsertim exacta ætate, atque extremo tempore; cupiditas enim absentium rerum est, & omnes, cuius rei indigentes sunt, eam maximè desiderant. Difficiles etiam, & quæruli sunt. quod ipsum quandam animi angustiam indicat. Et in uiuendi ratione sibi utilitatem, non honestatem proponunt, atque hoc supra modum faciunt; eo quòd sui ipsorum amantes sint: nam quod utile est, priuatum usum respicit. quod autem honestum est, communem. Inuerecundi quoque potius, quàm uerecundi sunt: cum enim non æque honestatem, ac utilitatem curent; parui faciunt etiam, quales uideantur. Neque ulla spe ducuntur cum propter experientiam; magna enim negociorum pars malis abundat, unde fit, ut in deteriorem partem pleraq; cadant; tum etiam propter timiditatem, viuuntque memoria potius, quàm spe; quod enim reliquum est vitæ, paucum est, præteritum autem est multum, & spes ipsa futuri temporis est, memoria uero præteriti. quæ quidem causa est etiam loquacitatis in senibus: neque enim cessant ea narrare, quæ superiori tempore gesta sunt; quoniam ex recordatione uoluptatem capiunt

piunt. Iræ ſenum acres quidem, & acutæ ſunt, ſed tamen imbecilles. cupiditates uero partim omnino defecerunt, partim autem languidæ factæ ſunt; itaque neque cupiditatem flagrant, neque aliquid impulſu cupiditatis efficiunt, ſed ad lucrum omnia referunt; quare temperati eſſe uidētur huiuſmodi homines: cupiditates enim remiſerunt et pecuniæ ſeruiunt. Et magis in degenda uita ratiocinationem, quam morem ſequuntur; nam ratocinatio ad utilitatem, mos ad uirtutem ſpectat. Et quas iniurias faciunt, magis propter contumeliam, inferunt. Mouentur etiam miſericordia, non tamen ea ratione, qua iuuenes. nā iuuenes propter humanitatem, ſenes propter imbecillitatem miſericordes ſunt: exiſtimant enim omnia incommoda ſibi ita uicina eſſe, ut ea iā paſſuri ſint. hoc aūt miſericordiæ proprium eſt. unde queruli ſunt, ac moroſi, minime uero faceti, neque iocorum ſtudioſi, querulū enim, & iocoſum contraria ſunt. Adoleſcentium igitur, & ſeniorum mores huiuſmodi ſunt. Quare cum omnes eas orationes approbēt, quæ moribus ſuis cō ueniunt, ac ſimiles ſunt, nequaquam obſcurum eſt quo modo poſſint oratores ita dicere, ut & ipſi, & orationes ſuæ tales eſſe uideantur.

At uerò ſenes, & qui iam grandes natu ſunt, contrarijs ferè moribus præditi ſunt] tot quoque erunt primaria loca, quæ ab ætate ſenum habentur, à cupiditatis priuatione, ab experientia, à manſuetudine, ſiue potius à naturæ imbecillitate, à ſpei paucitate, & à ratiocinatione. ſed particularia loca quāquā totidem ſunt, quot ſu-

periora

periora: attamen hanc perlege partem.

De moribus eorum, qui in media constituti sunt ætate.

Qui in media ætate constituti sunt; perspicuum est, eos mores etiam medios seruare, & quod in utrisque illis nimium est, amputare; neque enim ualde confidentes, quod est audaciæ, neque ualde timentes sunt, sed in utroque se bene gerunt. Neque omnibus temere credunt, neque omnibus fidem derogant, sed ex veritate potius omnia iudicant. Neque tantum sibi honestatem in degenda uita, neque tantum vtilitatem, sed vtranque proponunt. Neque ad parsimoniam, neque ad largitionem inclinant, sed ad id, quod maxime conuenit. Eodem pacto se habent in eis quæ ad iram, & ad cupiditatem pertinet. Et temperãtes sunt cum fortitudine, & fortes cum temperantia: nam in adolescentibus, & senibus hæc distincta sunt: adolescentes enim fortes sunt, uerum intemperantes; senes autem temperantes sunt, sed timidi. At que (ut in summa dicam) quascunque res utileis adolescentia, & senectus inter se diuiserunt, eas simul omneis habet ętas media: in quibus autem illæ ætates vel excedunt, uel deficiunt, eas ad mediocritatem, & conuenientiam hæc eadem ætas adducit. Viget autem maxime corpus ab anno trigesimo ad quintum & trigesimum usque. mentis autem vigor, atque animi nono & quadragesimo anno maxime perspicitur. Ac de adolescentia quidem, senectute, & media ætate, earumque singularum moribus hæc dicta sufficiant. At

uerò de fortunæ bonis, quæ mores hominum variare solent, deinceps dicamus.

Qui in media ætate constituti sunt] Qui mediam agunt ætatem, mores seruant medios, & quod in iuuenibus, & in senibus nimium est, am putant: etenim primò neque ualde confidunt, neque ualdè timent. secundò nec increduli sunt omnibus: tertiò nec parci, nec prodigi. quartò medio modo ad iram, atque cupiditatem se habent. quintò sunt cum fortitudine modesti, & cum modestia fortes.

Ab ijs, qui nobiles sunt, quæ & quot loca.

NOBILITATIS ille mos est, ut qui eam possidet, honoris sit appetentior; est enim hoc commune omnium, ut, cum bonum aliquod possident, illud accumulare studeant. Nobilitas autem parentum, ac maiorum dignitas est, quam qui possident, ad alios cõtemnendos proni sunt, atque illos etiam, qui in eisdẽ honoribus sunt, in quibus ipsorum maiores fuerunt; quoniam hæc interuallo temporis remota magis, quã propinqua, ac nuper facta, solent honorari, & gloriatione digna uideri. Nobile uero dicitur id, quod in familiæ uirtute consistit: generosum, quod a maiorum suorum natura non degenerat. quod maiori ex parte nobilibus non contingit: multi enim vili, atque abiecto animo sunt. Vt enim in agris, & ijs, quæ terra nascuntur, sic ẽt in familijs plerunq; fœtus uberior existit. & interdum, si bona familia fuerit, nascuntur in ea per aliquod tempus eximij uiri, deinde paulatim

iterum

iterum se remittit; nam præclari ingenij familiæ in mores insaniores degenerant, ut qui ab Alcibiade genus ducunt, & a Dionysio priore. quæ uero stabili, pacatoque ingenio sunt ad stoliditatem, & ignauiam delabuntur, ut qui a Cimone, & Pericle, & Socrate progeniti sunt.

Nobilitatis ille mos est] Persona auditoris præter ætatem, & alia, quæ à natura habet, diuiditur in ea, quæ ad uictus rationem spectant; ad fortunam, studia, & id generis. Fortunæ autem sunt diuitiæ, & nobilitas. &, quemadmodum ab ætate loca probationum accepimus; ita à nobilitate, & diuitijs desumemus. duo sunt generica loca: alterum enim proficiscitur ab ambitione, alterum ab eo, quod ad alios contemnendos proni sunt.

De diuitum moribus, & de locis.

Qui autem mores a diuitijs proueniant, in promptu est omnibus uidere. Sunt enim diuites contumeliosi, ac superbi. hanc uero labem inurit eis diuitiarum copia: nam ita sunt affecti, quasi omnia bona possiderent. sunt enim diuitiæ, quasi precium, ac æstimatio dignitatis omnium aliarum rerum. unde fit, ut diues omnia sibi emere, ac parare posse uideatur. Sunt etiam delicati, & arrogantes. ac delicati, quidem sunt cum propter ipsas diuitias, in quibus uersantur: tum quia felicitatem suam ostentare gaudent. arrogantes autem, & elati quoniam omnes fere in eis rebus uersari solent, quas ipsi amant, atque ad-

admirantur; & quia putāt alios eadem æmulari, quę ipsi suspiciunt. Atq; hæc iure suo quodāmodo faciunt: multi sunt .n. qui illorū ope, qui facultates habent, indigeant. unde illud est Simonidis poetæ dictū de sapiētibus, et diuitibus. cū .n. Hieronis uxor ab eo petisset, utrū præstaret, diuitē ne esse, an sapientē diuitem respondit; dixit enim, se passim uidere sapienteis, in foribus diuitum commoranteis. Atque etiam ideo sunt arrogantes, quia se dignos imperio censent; nam ea se tenere putant, quæ qui possident, alijs imperare digni sunt. Verum (ut in summa dicam) insipiētis fortunati diuitiæ mores exprimunt. Plurimum uero differunt mores eorum, qui nuper diuites facti sunt, ab eis, qui iampridem erant diuites: quod noui diuites magis omnibus uitijs, atque illis deterioribus cumulati sunt; quædam enim est quasi ignorantia diuitiarum, nuper esse ditatum: & iniurias inferunt, non quidem ob malitiam, sed uel per contumeliam, uel per incontinentiam: ut cum pulsant homines, & stuprum committunt.

Qui autem mores à diuitijs proueniant] tria sumūtur loca à maioribus diuitum: primò enim contumeliosi sunt, ac superbi: secundò delicati, & ea rogantes: & hic tertium est, quòd se dignos imperio censent.

De moribus eorum, qui cum imperio sunt, & locis.

Eodem modo mores eorum, qui cum imperio ac potestate sunt, maiori ex parte sunt perspicui. Partim

enim

enim ijſdem moribus præditi ſunt, quibus diuites, partim melioribus: ſunt enim potentes honoris appetentiores, & animo magis uirili, quàm diuites, expetunt enim eas res, quas propter potentiam tractandi facultatem habent. Sunt etiam multo magis ſtudioſi propter curam, ac diligentiam, quam habere coguntur, ut potentiam conſeruent. Sunt excelſo potius animo, quàm moleſto: dignitas enim eos conſpectiores efficit, atque hac de cauſa modeſte ſe gerunt. eſt autem excelſitas, animi quædam lenis, & honeſta grauitas. Quòd ſi forte potentes ingiuriam inferant: non in paruis, & minutis rebus, ſed in magnis obeſſe ſtudent.

Eodem modo mores eorum, qui cum imperio, ac poteſtate ſunt] ij tum eoſdem habẽt mores, quos diuites; tum meliores: primum enim potentes ſunt honoris appetentiores, & animo magis uirili, quàm diuites. ſecundò ſunt magis ſtudioſi, & diligentes, ut potentiam conſeruent. tertiò ſunt excelſo animo potius, quàm moleſto. graues etiam ſunt, modeſtique tria habemus à parentibus loca.

De eorum moribus, qui à proſpera tenentur fortuna, & locis.

Fortunæ proſperitas eos mores habet, qui ſigillatim explicati ſunt: nam quę magnæ proſperitates eſſe uidentur, ad hæc, quæ modo diximus, tendunt: & præterea bonam magnamque liberorum copiam, & quę corporis bona ſunt, fortunę proſperitas adfert.

eis enim tanquam cum aduersario contendit: eadem ratio est etiam in exornationibus. ad auscultatorem enim, tanquam ad iudicem, habetur oratio. Sed omnino tamen propriè dicitur ille iudex, qui in ciuilibus controuersiis de ijs quæ in quęstionem ueniunt, sententiam fert: nam de controuersiis, quæ in foro uersantur, & de quibus in concione consultant, quomodo sese habeant, quæritur. Quod autem ad Rerump. mores attinet, in deliberatiuo genere satis à nobis antea dictum est. quare simul etiam declaratum uideri potest, quomodo, quibusque rationibus possimus oratione nostra singularum mores exprimere. Cum autem in unoquoque dicendi genere diuersi fines sint; & de omnibus eis sumptæ sint, ac declaratæ opiniones, atque propositiones, ex quibus fidem faciunt, & qui deliberant, & qui laudant, & qui litigant: & præterea demonstratum sit, unde ducantur orationes, quæ bene mores exprimãt; superest, ut ea commemoremus, quæ communia sunt omnium generum. Necesse est enim, ut in omni genere dicendi quæratur, quid fieri, aut non fieri possit; & hi quidem demonstrare conentur aliquid futurũ, illi uerò factum esse. quinetiã de magnitudine rei disserere, commune est omnium generum. omnes enim & amplificare, & imminuere solent, & suadentes & dissuadentes, & laudantes, & uituperantes, & accusantes, & defendentes. Hæc postquam explicuerimus; tunc communiter de enthymematibus, si quid habemus, dicere conabimur: ac de exemplis etiam, ut quę reliqua sunt, adiungentes, incœpto operi finem imponamus. Ex locis autem com

munibus amplificatio demonstratiui generis est maximè propria, si uti antea dictum est, quod uerò factũ est, iudicialis generis: de factis enim rebus iudicium fieri solet. denique, quod fieri potest, & futurum est deliberantibus conuenit. Primum igitur de eo, quod fieri, aut non fieri potest, uerba faciamus.

Necesse est enim, ut in omni genere dicendi quæratur] Redit Aristo. ad ea, quæ orationi cõueniunt, & quomodo probationes in unoquoq; genere dicendi nobis suppeditent, explicat. Et propterea, cum demonstratiui generis finis sit honestum, & turpe: deliberatiui utile, & inutile: iudicialis iustum, ac iniustum; his finibus quædam sunt annexa, de quibus nunc agit: siquidem honesto, & turpi annexum est magnum, uel paruum, quo ea amplificamus uel extenuamus, quę honestè, uel turpiter acta sunt. Vtili uerò, & inutili annexa sunt possibile, uel impossibile: futurum, uel nõ futurũ: quæ cum fini annectuntur; magis, uel minus suadet, & dissuadet orator. Iusto autẽ, uel iniusto annexum est factum, & non factum. hęc sunt cuique fini annexa; quamquam & omnibus simul annecti possunt. sed ad ea, quę fini deliberatiui generis adiuncta sunt, loca, ex quibus probationes hauriuntur, ueniamus.

Loca fini generis deliberatiui annexa, quibus è possibili uerisimile concluditur, quæ, & quot sint.

AC quidem, si contrarium eiusmodi est, ut aut esse;

ſe, aut factum eſſe poſſit; etiam alterum contrarium eandem naturam habebit: ut, ſi fieri poteſt, ut aliquis bonam ualetudinem recuperet; eundem etiam in morbum incidere potuiſſe, certum eſt: eadem enim eſt contrariorum poteſtas, quatenus contraria ſunt. Et, quæ ſimilia ſunt, ſi alterum eorum fieri poteſt, ēt alterum poterit. Et, ſi quod difficilius eſt, effici poteſt, etiam id, quod eſt facilius, poterit effici. Et, ſiquid poteſt fieri bonum, aut pulchrum; id etiam ſimpliciter fieri poterit: difficilius eſt enim, domum eſſe pulchrā, quàm domum eſſe. Et, quod principium habere poteſt, id etiam finem habebit: nihil enim fit, neque fieri incipit eorum, quæ nullo modo fieri poſſunt; ut quòd dimetiens lateri ſit comparabilis, hoc neque initium capit ſui ortus, neque fit. Et, quod finem habere poteſt, id etiam principium habebit; nam à principio cuncta proueniunt. Et, ſi quod poſterius natura, aut ortu factum eſſe contingit; etiā id, quod prius eſt; ut, ſi fieri poteſt, aliquem eſſe uirum factum; idē etiam puer fieri potuit; nam hoc prius fieri ſolet. & contrà, ſi quis puer fieri poteſt; etiam uir fieri poterit; nam illud eſt principium. Illa quoque effici poſſunt, quorum amor, & cupiditas à natura inſita eſt, nam plerunque fit, ut nemo diligat, aut cupiat ea, quæ fieri nullo modo poſſunt. Et ea, quorum ſcientiæ, atque artes ſunt, naturam hanc habent, ut eſſe, & gigni poſſint. Et ea fieri poſſunt, quorum principium ortus eſt in eis, quæ nos cogere, aut perſuadere poſſumus. hæc autem ſunt, quibus aut opibus præſtamus, aut domini ſumus, aut amici. Et, quorum

partes effici possunt, etiam totum, & contrà, si totum fieri potest, etiam partes, nam, si obstragulum, & ligula, & solea fieri possunt; etiam calcei possunt fieri; &, si calcei; potest etiam obstragulum, & ligula, & solea. Et, si genus fieri potest; etiam species fieri poterit; &, si species; etiam genus; ut, si nauis fieri potest; etiam triremis, &, si triremis, ẽt nauis. Et si alterũ eorũ, quæ sub eandẽ rõnem cadunt, fieri potest; etiam alterum poterit; ut, si duplum fieri potest etiam, dimidium poterit: & si dimidium; etiã duplum. Et quod sine arte, atque apparatu fieri, potest id magis adhibita arte ac diligẽtia fieri poterit unde ab Agathone dictum est.

Fortuna quædam agenda nobis obijcit.

Quędam simul fert casus, & necessitas.

Et, si quid a deterioribus, uel impotentioribus, uel imprudentioribus fieri potest, id multo magis ab ijs, qui sunt his contrarij fieri poterit, unde dictum illud Isocratis qui rem indignam esse dixit, & grauem, si Euthynus quidem didicisset, ipse uero non posset inueniꝛe. Quæ uero fieri non possunt facile percipiuntur ex contrarijs eorum, quæ dicta sunt

Ac quidem si contrarium eiusmodi est, ut aut esse, aut factum esse posiit] Si in deliberationibus quæstio esset, an Turcis mouendum sit bellum, necne; nonnullique asserent mouendum non esse; cum uictoriam contra eos consequi minimè possimus. alij uerò contrà nos uicturos esse possibile, & propterea mouendum esse, hoc in loco Aristo. præcipit decem & septem loca, totid[...]n-

totidemque propositiones, quibus è possibili uerisimile cõcludamus. primus autem locus est à contrario, cuius propositio est, si alicuius contrarium esse, uel fieri possibile sit; ipsum possibile profectò esse uidebitur. secundus à simili, cuius propositio est. si simile sit possibile, simile illi erit possibile. tertius à difficili, & propositio. si quod difficilius est, possibile est, & quod facilius etiam. quartus à bono, & pulchro & propositio. si quid bonum, aut pulchrum fieri potest, sic & oratio, & si domus fieri possit pulchra, potest & fieri domus, difficilius enim est fieri pulchram domum, quàm domum. quintus ab ipsius rei principio, & propositio est. huius principium est possibile, finis est possibilis. impossibilia enim, ut hominem uolare, nec cępit, nec iam fit unquam. sextus à fine, & propositio est. cuius finis est possibilis, principium est possibile: cuncta enim ex principio sunt. Septimus à posteriori substantia, & generatione. propositio est. si quod substantia & generatione posterius est possibile fieri est, & quod prius possibile fieri erit ut si uirum fieri possibile est, puerũ quoque. octauus ab amore, & cupiditate. & propositio est. quorum amor, aut cupiditas secundum naturam est, ipsum fieri est possibile. nemo enim amat impossibilia, nec ea cupit. Nonus ab arte, & scientia. & propositio est. quorũ ars, & scientia est, ipsa & esse potest fieri. Decimus à principio generationis, quod in nobis est.

& propcſitio eſt. Ea fieri posſibile eſt, quorum generationis principium aut in nobis eſt, aut in ijs, quos uel cogere posſumus, aut perſuadere. duo autem ſunt, quibus aut maiores ſumus, aut domini, aut amici. Vndecimus a partibus. & propoſitio eſt. ſi partes ſunt posſibiles, & totum. Duodecimus à toto. & propoſitio eſt. ſi totum eſt posſibile; & partes. Tertius decimus à genere, cuius propoſitio eſt. ſi genus eſt posſibile; eius ſpecies eſt posſibilis. Quartus decimus à ſpecie, & propoſitio eſt. ſi ſpecies eſt posſibilis; & genus; ut ſi nauem fieri eſt posſibile; & triremem quoque: &, ſi triremem; & nauem etiam. Decimus quintus à ſuo correlatiuo, cuius propoſitio eſt. ſi alterum eorũ, quæ apta ſunt inter ſe referri, fieri, & eſſe eſt posſibile; alterum quoque: ut, ſi duplum; & dimidium etiam: & uiceuerſa. Decimus ſextus ab eo, quod ſine arte, & pręparatione. propoſitio eſt. ſi abſque arte, & præparatione eſt posſibile quippiam fieri, id multò magis arte, ac cura fieri poterit. Decimus ſeptimus à peiori, & propoſitio eſt. quod peioribus, aut minoribus, aut imprudentioribus fieri, & eſſe ẽ posſibile; id cõtrarijs horũ multò magis. Hæc de locis a posſibile aſſumptis: cõtrà uerò accipiẽda ſunt, q̃ ab imposſibile ducuntur.

Loca fini gñis iudicialis annexa quę, et quot ſint.

QVOD ſi quæratur, utrum aliquid factum ſit, an non factum, his modis conſiderari poteſt. Primo, ſi

quod

quod a natura fieri minus est aptum, factum est; etiã id erit factum, quod fieri magis est aptum. Et, si quod posterius fieri consueuit, factum est; id etiam, quod prius, factum est: ut, si quis rem aliquam oblitus est; etiam aliquãdo illam didicit. Et, si quis quippiam efficere potuit, & uoluit, non dubium est, quin fecerit: omnes enim, cum aliquid possunt, & uolunt, id etiam efficiunt, cum nihil eis impedimento sit: & si uoluntatem habuerit, nullaque res eum externa prohibuerit, & si res illa fieri potuit, & qui fecisse dicitur, iratus erat, &, si facultatem habuit, & concupiuit: nam plerique, si potuerint, ea faciunt, quorum desiderio tenentur: improbi quidem propter incontinẽtiam, probi uero, quia res tantum iustas desiderãt & si qd futurũ erat, aut aliquis facere paratus erat: nam probabile est, cum quis facturus fuerat, etiam fecisse, &, si omnia facta sunt, quæ naturæ ordine vel ante illud, vel eius gratia fieri solẽt; ut, si fulgurauit; ẽt tonuit: & si solicitauit, ẽt confecit. Et, si ea facta sunt, quæ naturæ ordine postea consequuntur, uel quorum gratia fiunt alia; factum etiã illud est, quod est, prius & quod aliorum gratia fit: ut si tonuit, etiam fulgurauit, &, si confecit, etiam solicitauit. Ex his autẽ omnibus aliqua necessaria sunt, aliqua maiori ex parte fieri solent. Quod uero non factum esse dicitur, facilè probatur ex contrarijs eorum, quæ dicta sunt.

Quòd si quæratur, utrum aliquid factum sit, an non factum] Finis generis iudicialis est iustũ uel iniustum. huic uerò fini annexum est factũ, & non factum, à quo assumuntur, ut explicat A-

risto-

risto.plura loca,& propositiones, siue probationes. Quęstio autem sit,utrum quis occiderit,& aliud commiserit scelus, necne. Quòd occidederit,decem sunt loca,ac probationes,quę id cõprobent factum : totidemque, quæ factum reprobent. Primus locus sumitur à minori,cuius propositio est.si quod minus fieri natum est, id factum est; & id,quod magis natum est fieri, id quoque factum est.secundus à posteriori.& propositio est. si quod posterius fieri solet, factum est;& quod prius fieri solet, etiam factum est: ut,si oblitus est; didicit aliquando. Tertius à uelle,& posse,cuius propositio est.si efficere potuit,ac uoluit; minimè dubium est, quin fecerit. Quartus à uelle, cum nihil externi prohibeat. & propositio est. si uoluntatem habuerit, nullaque res externa prohibuerit; id fecit. Quintus à posse cum cupiditate, & propositio est.si poterat & id efficere cupiebãt;id fecit.Sextus à posse cum iracundia.& propositio est. si id efficere potuit, & iratus erat; fecit. Septimus ab ipso facturo, cuius propositio est.si facturus erat; fecit: uerisimile namque est ipsum fecisse, quod facturus erat. Octauus à natis aptis fieri prius.& propositio est.si facta sunt, quæcunque nata sunt,apta sũt ante aliquid fieri,aut apta nata sunt fieri illius gratia; & ipsum factum est: ut, si corruscauit; tonuit. Nonus à sollicitudine,cuius propositio est.si sollicitauit; etiam confecit. Decimus ab his, quæ nata sunt apta fieri poste-

rius.& propositio est. si facta sunt, quæcunq; potius nata sunt fieri, uel factus est finis, cuius gratia id factum est; ipsum quoque factum est: ut, si tonuit; fulgurauit. Ex his uerò propositionibus octaua, & decima sunt, necessariæ: tertia, quarta, quinta, & sexta ferè eandem possident facultatem: itemque secunda & nona. aliæ uerò omnes præter octauam, & decimam sunt ex his, quæ maiori ex parte fieri solent.

Loca alia fini generis deliberatiui annexa, quæ futurum uerisimile concludunt, quæ, & quot.

Atque ex ijsdem locis intelligitur etiam, quid futurum sit. Nam quod est in potestate nostra, atque uoluntate situm, id etiam erit. Et, quæ cupiditas iubet, et ira, & cogitatio, si potestati coniuncta sunt, erũt. Præterea, si in procinctu est, ut fiat, aut si futurũ est; erit, nam plerunq; fiunt ea potius, quę futura erant: quamq; non futura: & si iam omnia extiterunt, quæ natura præcedere solent: ut, si nubes coactæ sunt; imber erit. Et, si quod huius gratia fit, factum est; uerisimile est etiam, hoc futurum: ut, si fundamentum; etiam domus.

Atque ex ijsdem locis intelligitur etiam, quid futurum sit] Finis deliberatiui generis est utile, & inutile, siue damnosum. huic fini diximus antea annexa esse possibile, & impossibile: futurũ & non futurum. & idcirco inquit Aristot. ex ijsdem locis quæstio de futuro tractari potest,

cx

ex quibus superior disputata est: nam primus locus à uelle, & posse sumitur, cuius propositio est.quod in potestate,& uoluntate est, uerisimile est ipsum fore. secundus ab ipsa cupiditate, ab ira, & cogitatione si cum posse fuerint coniunctæ. & propositio est. quod est in cupiditate, uel ira, uel cogitatione cum posse simul, uerisimile est ipsum fore. Tertius ab appetitione, aut cura. & propositio est. quod in appetitione, uel cura est faciendi, uerisimile est ipsum fore: nam ut plurimum, sępiusque fiunt, quæ uerè sunt, quàm quæ non sunt. Quartus à prius natis fieri, cuius propositio est. si facta sunt quæ prius fieri nata sunt; uerisimile est, ut hoc quoque fiat: ut, si fundamenta iacta sunt; fiet domus. hæc breui diximus, quæ fere omnia amplectuntur superiora loca.

Loca fini demonstratiui generis annexa, quibus amplificamus, uel extenuamus.

De magnitudine autem & paruitate rerum, & de maiore & minore, & omnino de magnis & paruis ex ijs, quæ iam tradita sunt, nobis perspicuum esse potest. nam in ijs, quæ diximus de genere deliberatiuo, de magnitudine etiam bonorum, & de maiore, ac minore simul diximus. Quare, cum unoquoque genere finis propositus bonus sit, et utilitas, honestas, æquitas; perspicuum est, inde sumendas cuiusque generis

neris amplificationes. At uero præter hæc de magnitudine simpliciter, & de exuperantia quærere, inanẽ est suscipere sermonem: nam ad usum, maiorem adferunt utilitatem, quæ sigillatim traduntur, quàm quæ generatim, atque uniuerse. Ac de eo quidem, quod fieri potest, aut non potest, & utrum aliquid factum sit an non factum, & utrùm futurum sit, an non futurum denique de magnitudine, & paruitate rerum hæc dicta sufficiant. Reliquum est, ut de probationibus, quæ communes sunt omnium generum, dicamus, cum iam de proprijs dixerimus.

De magnitudine autem, & paruitate rerum] Honesto, & turpi, quæ finis sunt demonstratiui generis, annexa sunt magnum, & paruum, quibus ea amplificamus, uel extenuamus, quæ honestô, uel turpiter sunt acta. nunc Aristot. præcipit loca, atque propositiones à magno, paruo assumptas, quæ huic generi sint opportunæ. Verum, cum bona sit utilitas, honestas, & æquitas; perspicuum est inde sumendas esse cuiusuis generis, non demonstratiui solum, amplificationes. attamen, quoniam magnum, ac paruum: maius, & minus annectuntur honesto, atque turpi; de horum locis, atque propositionibus, quæ ab ipsis ducuntur locis, disseremus. Accipiamus primum, quòd excedens est commune tam ad id, quod dicitur magnum, & multum; quàm ad id, quod dicitur maius, & plus: hæc enim omnia excedentia dicũtur: sed alia, atq; alia rõne: etenim maius, uel plus

dicitur,

dicitur,quod aliquid excedit quouis excessu siue magno, uel paruo: uel multo,uel pauco.magnũ uerò,uel multum dicitur, quod excessu grandi, uel multo excedit. qua ratione fit, ut excedens id appelletur,quod est tantum,& amplius excessum uerò, quod nõ est tantum.maius autem est illud,quod ad minus est excedens.unde hoc pacto paruus homo altero paruo dici potest maior; quãquã neuter magnus est. minus uerò est, qđ ad alterũ est excessum. plus aũt ad alterũ aliqua multitudine est excedẽs: paucum est aliqua quauis multitudine excessum. magnũ est,qđ excellenter excedit:multũ qđ in multitudine. paucũ uerò est id,qđ per excellentiã,in multitudine exceditur. atq; hæc de horum definitione. At uerò magna,& parua: & maiora,& minora bona, loca, & propositiones dant quinquaginta quinque,quæ potissimum ad genus reducuntur demonstratiuum: siquidem honestum sit bonum, & turpe malum. Primus locus sumitur ab eo, quod est,uel ualet plura bona. huius propositio est.plura est maius bonum,quàm unum,aut pauciora bona. ratio est; quià plura bona excedunt unum, uel pauciora bona. Secundus est à maximo ad maximum,& propositio est.si maximum à maximo exceditur; ipsa quoque ab ipsis; ut, si uir maximus maior est,quàm maxima fœmina; omnino quoque uiri sunt fœminis maiores.Tertius ab eo,quod antecedit cuius propositio est. si sanus est,uiuit. Quartus ab eo, quod maiorẽ

rem

rem excedit,& propositio est,quod excedit maiorem rem,maius est eo, quod excedit minorẽ. Quintus à factiuo maioris boni. & propositio est. quæ maioris boni effectiua sunt; ipsa quoque maiora sunt bona. Sextus ab effectiuo mari, cuius propositio est. cuius affectiuum est maius; ut, si salubre iucundo est eligibilius, maiusque bonum; sanitas quoque maior est. Septimus à per se expetibili, & prop. est. quod per se expetibile est, maius bonum est eo, quod per se expetibile non est; ut uires salubribus rebus. Octauus à fine,& propo.est.si alterum finis est, alterum non; finis maius bonum est.Nonus ab eo,quod minus eget.& prop. est, quod minus eget, est melius indigenti. Decimus à principio.& prop.est. quod est principiũ maius bonum est eo,quod principium non est. Vndecimus à causa.& prop.est.quod causa est, maius est bonum eo,quod causa non est. Duodecimus à maiore principio.& prop. est. quod à maiore principio,maius est eo,quod est à minore. Decimus tertius à minore causa.& prop. est.quod est à maiore causa,est eo maius, quod est à minore. Decimus quartus ab eo,quod est rarius & prop.est.quod rarius,eo maius est,quo abundamus,ut aurum ferro. Decimus quintus ab eo,quo abundamus.cuius prop.est.quo abũdamus,maius bonum est eo,quo minus abundamus. Decimus sextus à difficiliori.huius prop. est.difficiliora facilioribus maiora sunt; quoniã

rariora. Decimus septimus à faciliori, & prop. est. faciliora difficilioribus maiora sunt: quoniam habemus, cum uolumus. Decimus octauus à contrario, & prop. est. cuius contrarium maius, hoc maius bonum est. Decimus nonus à priuatione, & prop. est. cuius priuatio est maior, hoc est maius. Vigesimus à uirtute, & propo. est. uirtus est non uirtute maior: quia est finis. Vigesimus primus à maiori, & pulchriori uirtute. & prop. est. cuius opera maiora, & pulchriora sunt, hoc est maius eo, cuius opera sunt minora. Vigesimus secundus ab eligibiliori excessu, cuius prop. est. ea sunt eligibiliora bona, quorum excessus eligibilior, & pulchrior, ut bonus uisus est olfactu bono eligibilior. Vigesimus tertius à meliori, aut laudabiliori cupiditate, cuius prop. est. cuius cupiditas est maior, & laudabilior, hoc est maius bonum; maiorum.n. rerum maior est appetitio. Vigesimus quartus à pulchriori scientia, & prop. est. quorum scientia est pulchrior, horum maiora sunt bona: quia magis expetuntur. Vigesimus quintus à iuditio, cuius prop. est. quod decreuerunt prudentes omnes, uel nulli, uel plures, uel præstantes, maius esse bonum, id ita se habet. Vigesimus sextus à melioribus. & prop. est. quod inest melioribus absolutè, aut ea ratione, qua meliores sunt, maius bonum est, ut fortitudo uiribus corporis. Vigesimus septimus à meliori eligente, & prop. est. quod melior eligit, hoc melius est, ut

ut iuſtior magis eligit iniuriam pati, quàm infer re: nam melius eſt. Vigeſimus octauus à delectabiliori, cuius prop. eſt. quod eſt iucundius, aut delectabilius, eſt maius bonum. Vigeſimus nonus à diuturniori iucũditate,& prop.eſt.quod longiori tempore eſt iucundum, melius eſt eo, quod breuiori eſt tale. Trigeſimus ab eo,cuius cauſa,& prop.eſt.ea,quorum aut ſibi,aut amicis cauſa eſſe malunt, maiora ſunt bona. Trigeſimus primus à diuturniori, & ſtabiliori, & prop. eſt.diuturniora,& ſtabiliora his,quę minus diuturna ſunt,meliora ſunt. Trigeſimus ſecundus à ſimilibus caſibus,uel coniugatis.& propo. eſt. ſic aliqua ſunt maiora,ut ſimilia caſu,uel coniugata ſunt maiora; ut,quod fortiter fit,pulchrius, ac eligibilius eſt,quàm quod modeſtè. Trigeſimus tertius ab eo, quod omnes, uel plures appetunt & prop.eſt.quod omnes appetunt,aut plures,maius eſt bonum eo,quod non omnes, aut pauciores. Trigeſimus quartus ab eo,quod inimici litigio expetunt, aut iudicant.& propo. eſt. quod inimici litigio expetunt,aut iudicant, hoc eſt maius bonum. Trigeſimus quintus ab eo, quod omnes participant.& prop.eſt. quod omnes participant,id eſt maius. Trigeſimus ſextus ab eo,quod nemo,aut pauci participant. Trigeſimus ſeptimus à laudabiliori, & pulchiori. & prop.eſt.quod laudabilius eſt,aut pulchrius hoc eſt melius. Trigeſimus octauus à pretio.& prop. eſt. quorum maiora ſunt precia ipſa quoque maiora

iora sunt: est enim pretium ueluti dignitas, ac mensura rerum. Trigesimus nonus à iactura,& prop.est.quorum iactura est maior, ea sunt maiora. Quadragesimus ab apparentibus. & prop. est.quæ maiora apparent,ea sunt maiora,sed uerisimiliter. Quadragesimus primus à diuiso in partes,& prop.est.quod diuiditur in partes,uidetur maius.talis est enumeratio malorũ, quib.tenetur populus ab hoste captus. Quadragesimus secundus à superpositione,ac aggregatione. & prop.ē.quod partes in unũ accumulat,melius uidetur: magnum enim ostendit excessum aggregatio. Quadragesimus tertius ab eo,quod pro conditione est rarius,ac difficilius.& propo.est. quod pro conditione est rarius,atque difficilius, hoc est melius: occasiones.n. ętates,loca,tempora, modi, & uires res maiores reddunt. Quadragesimus quartus ab eo,quod ex seipso est. & prop.est.quod ex se ipso est, hoc est maius bonum; ut per seipsum discere. Quadragesimus quintus ab eo,quod est maxima pars magnę rei. prop.est.quod est rei magnæ pars maxima, hoc est minus eo, quod est pars maxima rei paruæ: ut,ciuitas, ablata iuuentute ita est deformis, ut annus, si ab eo remoueatur uer. Quadragesimus sextus ab eo,quod in maiori necessitate fit. & prop.est.quæ in maiori calamitate desiderantur,hæc maiora uidentur: uelut quæ in senectute,ac morbo. Quadragesimus septimus ab eo, quod fini est proprius. & prop.est. è duobus qđ

fini

fini eſt proprius, hoc eſt maius bonum. Quadragesimus octauus ab eo, quod ſimpliciter eſt in noſtra poteſtate.& prop.eſt.quod in noſtra poteſtate eſt, id eſt maius bonum quàm id, quod non eſt. Quadrageſimus nonus à poſsibili, cuius prop.eſt.poſsibile melius eſt, quam impoſsibile. Quinquageſimus ab eo, quod in fine uitæ eſt bonum.& prop.eſt.quæ in fine uitę ſunt, meliora ſunt his, quæ ad hæc ordinantur: nam fines magis ſunt ea, quæ propè finem. Quinquageſimus primus ab eo, quod ad ueritatem pertinet, & prop. eſt. quod ad ueritatem pertinet maius bonum eſt, quàm id quod pertinet ad opinionē. Quinquageſimus ſecundus ab eo, quod magis eſſe, quam uideri quis uult.& prop.eſt.id magis bonum eſt, quod magis eſſe, quam uideri quis uult: attinet enim magis ad ueritatem. Quinquageſimus tertius ab eo, qđ eſt ad plura utile. & prop. eſt. quod eſt utile ad plura, hoc eſt maius bonum, eo, quod eſt utile ad pauciora. Quinquageſimus quartus ab eo, quod cum eſt, non latet. & prop.eſt.quæ cum adſint, non latent, meliora ſunt his, quæ cum adſint, latent. Quinquageſimus quintus ab eo, quod cum alijs ſit ſolū; alijs nō ſolum charum.eſt pro. eſt.quod alijs ſolum, alijs uerò non ſolum charum eſt, hoc eſt maius bonum.hac ratione oculus melior eſt aure: etenim chari ſunt ſoli, & non ſoli.

Exemplum quid sit, quot eius species, quomodo sit utendum, & quo tempore.

SVNT autem communium probationum genera duo, exemplum, atque enthymema: nam sententia enthymematis pars est. primo igitur de exemplo dicamus, quod inductioni perquàm simile est: inductio uero quoddam est principiũ. Duo sunt exemplorum genera: alterum, quo res gestas cõmemoramus: alterum, quo nos ipsi fingimus aliquid perinde, ut gestũ. atque hoc secundum genus iterum diuiditur in duo, quorum alterum collatio, alterum fabula dicitur; quales sunt Aesopicæ, & Lybicæ fabulæ. Est autem exemplum, res quædam huiusmodi: ut, si quis diceret, oportere contra Persarum regem arma parare, neque pati, ut in suam potestatem Aegyptum redigat. Etenim antea Darius non prius in Græciam traiecit quàm Aegyptum cepisset: sed ea capta traiecit. atque iterum Xerses non prius Græciam inuasit, quàm Aegyptum occupauit: qua cum potitus esset, tunc inuasit Græciam. Quare etiam iste, capta Aegypto, copias in Græciam traijciet. non igitur hoc illi permittendum. Collatio est, quia Socrates frequenter uti solebat: ut, si quis dicat, magistratus sorte creari non oportere: Nam id esset simile, ac si quis athletas eligeret sorte: non, qui pugnare ualeant, sed qui sorte cõtigerint: uel, sorte ducta, nautarũ aliquem sumeret, cui nauis gubernanda traderetur: tanquam oporteat eum, quem sors uoluerit, non qui peritus sit, nauem gubernare. Fabula est, ut ea Stesichori contra Phalarim,

rim, & Aesopi de turbulento oratore. Stesichorus enim, cum Himerenses ducem exercitus sui cum summa potestate Phalarim creassent, atque illi custodes corporis dare constituissent: cum alia multa disseruissent, tandem eis hanc fabulam narrauit. Equus olim pratum solus depascebat, cum ceruus superueniens illi pascua disturbauit. equus uero ceruum punire cupiens, quendam hominem interrogauit, an sibi suam operam in puniendo ceruo præstare posset: ille se posse respondit, modò frenum equus reciperet, ac se in dorsum ascendere pateretur, manu iacula gestantem. quam cum equus conditionem accepisset, & hominem dorso recepisset; non modo ceruum non puniuit; sed in hominis seruitutem redactus est. Vos igitur, inquit, cauete, ne cum uelitis hosteis uestros ulcisci; idem, quod equus ille, patiamini: iam enim frænum recepistis, postquam ducem exercitus cum summa potestate Phalarim elegistis. quod, si custodes etiam illi corporis dederitis, & ascendere permiseritis; iam in eius seruitutem deuenietis. Aesopus in Samo, cum oratorem quendam turbulentum defenderet, qui rei capitalis insimulabatur, & de uita periclitabatur; ita dixit. Vulpes quædam, cum fluuium pertransire uellet; in uoraginem decidit: &, cum exire inde nullo modo posset; multa mala diu perpessa est, plurimæque caninæ muscæ cuti eius adhæserunt. cum autem herinaceus per eam regionem uagaretur, atque illam conspexisset, misericordia motus interrogauit, an caninas muscas a se abigi uellet. illa uero non permisit. &, cum huius rei causam herinaceus peteret, dixit:

Quoniam istæ iam satiatæ sunt, & parum sanguinis exugunt. quod si tu istas abegeris; aliæ famę confectę superuenient, quæ reliquum sanguinem meum totum absument: Eodem modo, inquit, o uiri Samij, nihil hic orator nobis amplius nocet. est enim locuples, quod si hunc interficiendum curaueritis alij pauperes succedent, qui depeculantes Remp. pecunias omneis uestras cõsument. Sunt autem huiusmodi fabulæ concionibus accommodatæ: atque hanc in se commoditatem habent, quòd arduum est, res gestas, & exempla ijs, quæ tractantur, similia inuenire: fabulas autẽ, facile est: nam eas ita fingere, sicuti collationes licet; modo quis id, quod simile est, perspicere possit: quod ij facile faciunt, qui sapientiæ studijs incubuerũt. Ac fabulæ quidẽ facilius excogitãtur, sed ĩ deliberationibus exẽpla lõge sunt utiliora: nã quæ futura sunt, plerunq; paria, similiaq; sunt ijs, quæ iam facta sunt. Is autẽ poterit exẽplis, tanquã demonstrationibus, ut, qui argumentorum copiam non habuerit: nam per ea fides fit. quod si quis habet argumenta; debet exẽplis pro testimonijs uti, quę tanquam probationes, et conclusiones sint argumentorum. Nam exempla, si præponantur argumentis, uim inductionis habent, sed oratoribus inductio non est, nisi paucis admodum locis, accommodata. at uero, si postponantur. testimoniorum uim habent testis autem ubique ad persuadendum aptus est. atque ideo, cum quis exempla proponit, necesse est, ut multa congerat: quod si proponit; unum satis est; nam etiam testis unus, qui probatæ fidei sit, multum adiuuat. Quot igitur sint exemplorũ

formæ

formæ, quomodoque ſit eis utendum, & quo tempore declaratum eſt.

Sententia quid ſit, quot, quibus de rebus, quo tempore, quibusque perſonis conueniat.

Qvod autem ad ſententias dicendas attinet: cum, quid ſententia ſit, expoſitum fuerit; ſimul etiã perſpicuũ erit, quibus de rebus, quo tẽpore, quibusq; perſonis conueniat in oratione ſententias proferre.

Sententia igitur eſt enuntiatio, non quidem ſingularum rerum, aut hominum, ut qualis ſit Iphicrates, uerum generis uniuerſi: neque tamen omnium rerum abſolutè, generatimque; ut, ſi quis rectum curuo contrarium eſſe dixerit, ſed earum rerum omnium, quæ ad humanas actiones pertinent, & quas in agendo uel expetimus, uel declinamus. Quare, cum enthymemata nihil aliud ferè ſint, quam argumentationes, ſi quis in eiuſmodi rebus, uel concluſiones, uel principia enthymematum, ſiue argumentatione ſumat; erunt ſententiæ, qualis eſt illa.

Quicunque prudens eſt uir, is ne liberos.
Optet ſuos nimis ſcienteis effici.

hæc quidem eſt ſententia. quod ſiquis adiungat cauſam, & cur ita ſit, explicet; iam totum ſimul erit enthimema: ut,

Nam præter eam, cui applicant ſe ignauiam,
Parant ſibi liuorem acerbum ciuium.

& illa,

Nemo beatus rebus eſt in omnibus,

rursus illa.

Nemo omnium omnino uirorum liber est,

est sententia. sed si iungantur cum sequenti, fiet enthymema.

Fortunæ enim aut est seruus, aut pecuniæ.

Quòd si ea est sententiæ natura, quam diximus; necesse est, quatuor esse sententiæ species: uel enim rationem adiunctam habet, uel sine adiecta ratione profertur. Atque illæ rationis, ac probationis egent, quę uel admirabile quippiam, uel cōtrouersum enuntiāt. quæ uerò nihil alienum a multorum opinionibus habent, nullius rationis indigent. Ex his quædam sunt, quæ necessariò nullam rationem requirunt; eo ꝙ ab omnibus cognoscuntur; ut illa. Corpus habere benè constitutum optimum est; ut nobis quidem uidetur; in hanc enim sententiam plerique omnes consentiunt. quædam uerò, simul ac enunciantur, perspicuę sunt eis qui aduertunt: ut illa

Nemo est amans, qui sempiternè non amat.

Earum autem, quæ rationis egent, aliquæ sunt enthymematis partes; ut illa

Quicunque prudens est uir.

& quę sequuntur. aliquę uerò uim habent enthymematis, unde uocantur enthymematicæ; neque tamen sunt enthymematis partes: quę quidem etiam magnopere pręcellunt. tales sunt illæ, in quibus eius, quod dicitur, causa apparet: quemadmodum illa.

Ne immortale odium mortali in pectore serues.

nam si quis ita enuntiet

Ne immortale odium serues

erit sententia. id uerò, quod adiungitur,

mortali in pectore,

causam exprimit. eodem modo etiam illa. Eum mortalia curare decet, qui mortalis est, non immortalia.

Ex ijs, quæ dicta sunt, iam perspicuum est, quæ sententiæ species sint, & quibus rebus singulæ conueniant.

Quoties enim de illis ambigitur, aut aliquid preter opinionem continent; tunc semper addenda est ratio: sed uel præponere licet rationem, & uti sententia pro conclusione, ut, si quis ita dicat. Ego quidem, quoniam declinare inuidiam oportet, atque ignauiæ nomen fugere, dico, sapientiæ studijs operam dare non oportere: uel ipsam enuntiare sententiam, deinde rationem addere. quoties autem non sunt quidem præter opinionem, sed aliquid obscuritatis habent; tunc rotunde, & concinne ratio est adiungenda. Conuenient etiam huiusmodi locis apophtegmata Laconica, & quę per enigmata proferuntur; ut, si quis idem diceret, quod Stesichorus apud Locrenseis dixit, non oportere contumeliosos esse; ne cicadæ humi canant. Seniori autem homini potissimum conuenit, sententias dicere, atque illi præcipue, qui magnū rerum usum habeat: indecorum est enim puero sententias dicere, sicuti etiam fabulas cōminisci. de ijs uerò quenquam dicere, quorum ignarus est, stulti, ac rudis ingenij proprium est. huius autem rei signū est, quòd agresteis homines maxime sententias loquuntur, &

facile de re qualibet enuntiant. Generatim autem aliquid proferre, quod nequaquam generale sit, maximè conuenit in conquestione, atque amplificatione: & hoc uel in principio, uel postquam aliquid conclusum fuerit. Licebit etiam uti peruulgatis, communibusque sententijs; si causę nostrę profuerint: nam, quia communes sunt, tanquam omnium consensu probatæ, rectè se habere uidentur; ut siquis, qui adhortertur ad periculum subeundum eos, qui litare non potuerint; id dicat. Augurium, ut patriam serues bellare, secundum est, & qui concitat inferiores, Mars est communis, & qui adhortatur ad filios inimicorum, etiam innocenteis, interficiendos.

Stultus qui natos, occiso patre, relinquit.
quædam etiam prouerbia uim sententiarum habent, ut illud prouerbium. Atticus inquilimus. Licet etiā sententia, proferre contra illas, quæ iampridem sunt peruulgatæ, uoco autem peruulgatas, ut illa est. Nosce te ipsum, & illa. Nequid nimis. Atque hoc tunc faciēdum est; cum uel is, qui dicit, ex ea re melior esse uidebitur, uel aliqua perturbatione commotus erit, est autem cum animi perturbatione dictum, ut si quis iratus affirmet, falsum esse, quod se ipsum nocere oporteat: Nam hic, inquiet, si se ipsum nouisset; nunquam exercitum ducere se dignum esse censuisset. melior esse uidebitur, quid dixerit non esse uerum, quod aiunt ita amare oportere, ut aliquando sis osurus, sed potius oportere ita odisse, ut sis amaturus. Sed oportet oratione patefacere, quid ipsi sentiamus. quod si non contingat; causam addere oportet: ut, si uel ita di

canus

camus. Amare oportet, nō quemadmodum aiunt, sed tanquam sis semper amaturus. illud enim alterum insidiatoris est: uel hoc modo, Nequaquam mihi placere potest id, quod uulgo dicitur. uerum enim amicum ita amare oportet, tanquam perpetuo sis amaturus, sed neque illud probo. Nequid nimis: nam improbos homines supra modum odisse conuenit. Magnam autem in dicendo utilitatem adferunt sententiæ propter inanem auditorum lætitiam. & opinionem, gaudent enim siquis generatim locutus, eas opiniones tetigerit, quas ipsi sigillatim habent, quod autem dico, clarius exponam, simul autem perspicuum erit, quomodo ipsas opiniones uenari oporteat. Nam sententia, quemadmodum antea dictum est, generalis est enuntiatio, qui uero audiunt, tunc lætantur, cum id generatim dicitur, quod ipsi antea in parte uerum esse credebant: ut si quis malos uicinos, aut filios improbos habeat, eum sanè probabit, qui dixerit. Nihil est uicinitate molestius: aut. Nihil stultius, quam liberos procreare. Quare diligenter oportet aliqua ratione conijcere, quid sentiant, existimentque auditores, deinde generatim illud enuntiare. Atque hæc quidem una est utilitas, quę ex sententijs dicendis, percipitur. Est etiam altera longè melior, quod sententiæ moratas orationes efficiunt. Orationes autem mores habere dicũtur, in quibus dicentis sensus apperitur. quod in omnibus sententijs dicendis accidit, eo quòd qui sententiã dicit, generatim enuntiat, quid ipse de rebus expetẽdis sentiat. quare, si bonæ sententiæ fuerint; probum etiam oratorem uideri faciunt. Atque hęc quidem de

senten-

sententia, & quid ipsa sit, & quot eius sint species, & quomodo sit utendum ea, quamque utilitatem habeat dicta sufficiant.

Sententia igitur est enuntiatio non quidem singularum rerum] Nunc de sententia disserit Aristo. & inquit. Sententia est enuntiatio de uniuersalibus, non contractis ad personas, locum, uel tempus: nec de uniuersalibus omnibus, sed de quibus sunt operationes humanæ: quæ scilicet uniuersalia ad agendum eligenda, uel fugienda sunt. at sententia duplex est, alia cum ratione est, alia sine ratione. Sine ratione est, Nullus homo liber est. Cum ratione uerò est sentẽtia hęc. Nullus homo liber est; quoniam aut pecuniæ, aut fortunæ seruit. Et, quando sententia probationi adiungitur, aut probatio sententiæ; enthymema appellatur. sed & quandoque adeo occultè coniungitur altera alteri, ut tantum sententia uideatur: ueluti illud. Ne immortale odium mortali in pectore serues. & dicitur sententia enthymematica, siquidem in ea, causa appareat, atq; ex hac hoc confici enthymema potes. Ne immortale odium serues; quoniam mortalis es. Sententiarum uerò usus est maximè, ut rebus nouis, ambiguisque accommodentur. si uerò huiusmodi res nouę, & ambiguæ sint præter opinionẽ: ipsi uti possumus pręposita & postposita rõne, dũmodo ratio, siue probatio sit adiungenda. talis est. Ego quidem, quoniam declinare inuidiam oportet, atque ignauiæ nomen fu

gere

gere, dico ſapientiæ ſtudijs operam dare non non oportere. Verum ſi præter opinionem nō ſint; ſed aliquid obſcuritatis habeant; tunc rotundè, & concinnè ratio eſt adiungenda. His uerò cōuenient apophthegmata Laconica, & ęnigmatica dicta: ut, non oportet contumelioſos eſſe; ne cicadæ humi canant.

Cæterum hæc obſerua. Seniori homini potiſſimum conuenit ſententias dicere, atque illi præcipue, qui magnum rerum uſum habeat: indecorum enim eſt puero ſententias dicere, ſicut etiā fabulas comminiſci.

Generatim autē aliquid proferre, quod nequaquam generale ſit, maximè conuenit in conqueſtione, atque amplificatione: & hoc uel in principio, uel poſtquam aliquid concluſum fuerit.

Licebit etiam uti peruulgatis communibusq; ſententijs, ſi cauſæ noſtræ profuerint. talis eſt. Mors eſt communis. Et, ſtultus qui natos, occiſo patre, relinquit.

Quædā ēt prouerbia uim ſententiarū habent.

Licet etiam ſententias proferre contra illas, quæ iampridem ſunt peruulgatæ: ut, Ne quid nimis. & hoc pacto dicendum eſt. Neque illud probo, Nequid nimis: nam improbos homines ſupra modum odiſſe conuenit.

Magnam autem in dicendo utilitatem adferunt ſententiæ propter inanem auditorum lętitiam, & opinionem; gaudent enim ſiquis generatim locutus, eas opiniones tetigerit, quas ipſi

ſigil-

sigillatim hẽnt:ut,siquis malos uicinos aut filios habeat improbos; eum sanè probabit, qui dixerit. Nihil est uicinitate molestius. aut: Nihil stultius,quàm liberos procreare. Est etiã altera longè melior utilitas, quòd sententiæ moratas orationes efficiunt: atque moratæ dicuntur orationes, in quibus dicentis sensus aperitur: quod in omnibus sententijs dicendis accidit: eò ꝙ qui sententiã dicit,generatim enũtiat,quid ipse de rebus expetẽdis sentiat. quare,si bonæ fuerint sententiæ; probũ etiã oratorẽ uideri faciũt.

In probationibus colligendis quæ, & quot sint præcepta obseruanda.

De argumentis uero iam generatim primo dicamus,quemadmodum ea quærere oporteat:deinde sigillatim etiam eorum locos explicemus: sunt enim hæ duæ inter se distinctæ species. Quod autem enthymema,syllogismus quidam sit,antea dictum est, & quo modo sit syllogismus,& in quo differat a dialecticis: neque enim,quæ remota sunt,neque cuncta incolligendo sumere oportet:illud enim obscurum est propter distantiam,hoc autem garrulitatis est.eo quod perspicua dicuntur. Atque hæc etiam causa est, cur imperiti homines apud plebem facilius, quam eruditi, quod uolunt,persuadeant,quemadmodum poetæ quoque testantur,imperitos in corona plebiorum elegantius dicere:docti enim uiri ad res suas probandas cõmunibus,& generalibus utuntur:indocti uero sumũt ea,quæ cognita habent,atque in promptu sunt.Quare

non

non ex omnibus, quæ probabilia uidentur, sed ex certis, ac definitis sumenda sunt argumenta, ut ex eis, quæ uel disceptatores ipsi probant, uel ij, quorum sententiam sequuntur. & illud perspicuum esse debet, uel omnibus, uel maxime parti ita eis uideri. neque tantum ex necessarijs colligendum est, sed etiam ex eis, quæ plerunque fiunt.

ATQVE *illud primo sciendum est necesse esse, ut qui de aliqua re dicturus est, & argumentaturus, uel oratorio syllogismo, uel quocunque alio, quæ in ea re sunt, cognita, & perspecta habeat uel omnia, uel saltem aliqua; nam si nihil cognitum habueris, nihil erit unde argumentari possis. Dico autem hoc modo, ut si consilium dandum sit Athenientisibus, utrum bellum suscipiendum sit, nec ne, quomodo id facere poterimus, nisi copias eorum cognitas habuerimus? utrũ nauales sint, an pedestres, an utriusque generis, & quantæ sint: deinde, quæ sint eorum uectigalia, qui amici, qui inimici: præterea, quæ bella iã antea gesserint, & quomodo, cæteraque eius generis. Et, si laudãdi fuerint, quomodo id præstabimus, nisi naualem eorum pugnam, et uictoriam apud Salaminem insulam aut terrestre prælium in Marathone cognitum habuerimus: aut, quæ pro salute filiorum Herculis gesserunt, & siquid est aliud huius generis? omnes enim a bonis, quæ insunt in aliquibus, uel inesse uidentur, laudare consueuerunt. eodem modo ex contrarijs uituperant: aduertunt enim, siquid in eis turpe est, aut inesse uidetur; ut quod Athenienses reliquos Græcos in seruitutem redegerunt, & quod Aeginetas, & po*

tidæ

tidæatas, qui cum ipsis contra barbarum pugnauerant, & se strenue fortiterque gesserant, sibi seruire coegerũt, & si qua sunt huiusmodi. præterea quærunt etiam, an in aliquem alium errorem, aut peccatũ uniuersa ciuitas delapsa sit: Idem quoque in accusando, ac defendendo fieri solet: nam ea spectantes, quæ insunt, accusant, & defendunt. Nihil autem interest, siue de Atheniẽsibus, siue de Lacedæmonijs, siue de aliquo deo, siue de homine agatur: etenim, si Achilli consilium dare uoluerimus, aut eũ laudare, aut uituperare, aut accusare, aut disendere; quæ ipsius personæ herent, aut hærere uidentur, sumenda sunt: ut de illis dicamus. quòd, si laudamus, aut uituperamus; spectare oportet, si quid in eo sit honestum, aut turpe: si accusamus, aut defendimus; si quid iustum, aut iniustum: si consilium damus; si quid est, quod prodesse, aut obesse possit. Idem etiam in qualibet re faciendum est: ut, si quæratur utrum bona sit iustitia, an nõ bona; ex ijs, quæ ipsi iustitię, aut bono insunt, colligere oportet. Quare, cum omnes ita demonstrare uideantur, siue accuratius, siue negligentius argumententur; neq; enim ex omnibus sine discrimine; sed ex ijs quæ singulis rebus adsunt, propositiones sumunt, & hoc cum ratione faciunt: quoniam perspicuum est, aliter fieri nullo modo posse: haud dubium esse potest, quin sit necessarium, quemadmodum in Topicis dictum est, in singulis rebus delectas habere propositiones earum rerum, quæ sæpe accidunt, maximè opportunæ sunt: Atque etiam in rebus, quæ nuper euenerunt, idem ordo seruandus est: neque enim respice-

re

re oportet ad ea, quæ sunt infinita; sed quæ rebus illis adhærent; de quibus est oratio. Atque illa potissimum colligere, quæ ad rem ipsam quàm proximè accedant: quanto enim plura quis habuerit eorum, quæ rebus adsunt; tantò facilius demonstrabit: & quantò ea propinquiora fuerint; tantò ad probandum erunt accommodatiora, & minus communia. uoco autem communia hoc modo; ut, si quis Achillē laudet, quòd homo fuerit, & quòd ex numero semideorum, & quòd ad bellum Troianum profectus sit: hæc enim alijs etiam multis acciderunt. quare qui hæc commemorat, non magis Achillem, quàm Diomedem laudaret. Propria uerò illa dico, quæ nemini alij contigerunt; ut quod Hectorem Troianorum optimum interfecerit, & Cygnum, qui uulnerari non posset; Græcos omneis exire de naui prohibebat, & quòd omnium esset maximè iuuenis, & quòd iureiurando non astrictus, ad id bellum profectus sit, & alia, quæ sunt huius generis. Atque hic quidem unus est, ac prius delectus habendi locus, ijs similis, qui in Topicis traduntur.

De argumentis uerò iam generatim primò dicamus] hęc quidem pręcepta in probationibus colligendis sunt obseruanda. Neque quæ remota sunt, neque cũcta sumere oportet: illud enim obscurum est propter distantiam, hoc autem garrulitatis est; eo quòd perspicua dicuntur. sed uelut indocti faciunt, qui sumunt ea, quę cognita habent, atque in promptu sunt. quare sumenda sunt argumẽta ex his, quæ disceptatores

ipsi probant, uel ij, quorum sententiam sequuntur. atque ea sint perspicua omnibus, uel maxime parti.

Secundò qui de aliqua re dicturus est, cogn[ita], & perspecta habeat omnia, uel saltem aliqua: ut in dando consilio de suscipiendo bello, oportet copias cognitas habere, quæ sint uectigalia, qui amici, qui inimici, quæ bella iam antea gesserint, & quomodo, cęteraque eius generis.

Verum si aliquem, ut Achillem laudare proposueris, quæ ipsius personæ hærent, aut hærere uidentur, sumenda sunt: & non ea quæ infinita, atq; cōia sunt: quantò .n. plura quis habuerit eorum, quę rebus adsunt; tantò facilius demonstra[bit]: & quantò ea propinquiora fuerint; tantò ad probandum erunt accommodatiora, & minus communia. uoco autem communia hoc modo: ut, siquis Achillem laudet, quòd homo fuerit, & quòd ex numero semideorum, & quòd ad bellum Troianum profectus sit; hæc alijs etiã multis acciderunt. quare qui hæc commemorat, non magis Achillem, quàm Diomedem laudat. Propria uerò dico, quæ nemini alij contigerunt: ut, quòd Achilles Hectorem Troianorum optimũ interfecerit: & Cygnum, qui cum uulnerari non posset, Græcos omnes exire è naui prohibebat: & quòd omnium esset maxime iuuenis: & quòd iureiurando non astrictus ad id bellum profectus sit, & huiusmodi alia.

Enthymematum duæ species.

Quæ

*Q*VAE *uero ſint enthymematum elementa, iam dicamus elementum autem, & locum enthymematis pro eodem capio. Primum igitur dicamus, de quibus neceſſe eſt primum dicere. nam enthymematum ſunt ſpecies duæ: quædam enim demonſtrant, aliquid eſſe, aut nõ eſſe, quædam autem refellunt. quæ ita inter ſe differunt, ſicut in Dialecticis elenchus, & ſyllogiſmus. Atque illud enthymema demonſtrare dicitur, quod ex conceſſis propoſitionibus concludit: illud autem refellere dicitur, quod ex propoſitionibus non conceſſis concludit. Ac iam ferè ſingulis in dicendi generibus declarati ſunt a nobis utiles, ac neceßarij loci: nam in unoquoque genere delectæ ſunt a nobis propoſitiones, & oſtenſum, ex quibus locis argumenta ſumantur de bono & malo, de honeſto & turpi, de iuſto, & iniuſto. quientiam de moribus, & animi commotionibus, & habitus eodem modo locos antea declarauimus. Nunc uero alio modo generatim, atque uniuerſè de omnibus agamus; & dicamus accuratè, qui loci ſint ad refellendum, & qui ad demonſtrandum accommodati: nec non unde ducantur ea, quæ ſpeciem quidem habent enthymematum, licet re uera non ſint enthymemata; quoniam neque ſyllogiſmi ſunt. His autem declaratis, definiemus etiam, unde ſolutiones, & obiectiones ad argumenta labeſactanda ſumi poſſint.*

Quæ uerò ſint enthymematum elementa] Elementa, & loca enthymematis pro eodem capit Ariſt. deinde inquit. Enthymematum duæ ſunt ſpecies: alterum demõſtrat aliquid eſſe, aut

non esse: & id ex concesſis propoſitionibus cõcludit, alterum refellit. & illud refellere dicitur, quod ex propoſitionibus non concesſis concludit. uerum qui loci ad demonſtrandum, & q̃ ad refellendum ſint accommodati explicat.

Loca, & elementa, quibus generatim enthymemata in deliberatiuo genere ſumuntur ſunt undecim.

ATQVE unus quidem eorum, quæ demonſtrãt enthymematum locus eſt a contrarijs; ſpectare enim oportet, an contrario contrarium inſit: nam ſi non inſit; erit negandum: ſi autem inſit, erit affirmandum: ut, ſiquis probet, temperate uiuere bonum eſſe; quoniam intemperantem agere uitam noxium eſt: uel, quemadmodum in oratione Meſſeniaca, Nam, ſi bellum præſentium malorum cauſa eſt, ea per pacem emendare, ac corrigere opus eſt. & illud.

Si iniuſta in illum eſt omnis iracundia,
Qui quempiam læſit per imprudentiam;
Non eſt habenda ei ulla iure gratia,
Neceſſitate qui coactus profuit.

& illud.

Falſum quod eſt, ut ſæpe fit probabile
Dicendo, ſic plerunque contra uſu uenit.
Vt uera non queant probari ullo modo.

Alius locus eſt a caſibus ſimilibus: nã eodem modo uel ineſſe, uel non ineſſe oportet: ut ſiquis probare uelit, non omne iuſtum eſſe bonum: Nam etiam quicquid iuſte fit, bonum eſſet. nunc autem iuſte mori, non

eſt

est expetendum. Alius locus est ab ijs, quæ sub eandem rationem cadunt: nam, si eorum alteri contigerit uel honestè, uel iustè aliquid facere; etiam alteri perpeti: &, si uni iussisse; etiam alteri paruisse: ut Diomedon publicanus de uectigalibus dixit. Si enim uobis ea uendere non turpe est; neque nobis emere. &, si qui damnum accepit, honestè, & iustè multatus est, ita etiam qui damnum illud dedit: & contrà, si qui damnum dedit, honestè, & iustè fecit; ita etiam qui passus est. Sed in loco potest existere captio: si enim quispiam iustè necatus est; etiam iustè passus est. uerum à te fortasse pati non debuit. atque ideo separatim considerare oportet, an qui passus est, pati dignus erat, & q fecit, facere debebat: deinde ita eis uti, sicuti causa postulat; nam interdum hæc inter se discrepant. neque quicquam probibet, quin discrepare possint; ut in Alcmæone Theodectis.

Quis non tuæ scelus parentis oderat?

at ille respondit, oportere seorsum hæc, distincteque cõsiderare: cumq; Alphesibœa rogaret, quomodo subiunxit ille.

Dignam mori illam censuerunt, non tamen
A me necandam-

& quemadmodum in iudicio Demosthenis, & eorũ, qui Nicanorem occiderant; postquàm enim iustè interfecisse iudicati sunt; etiam ille iustè necatus existimatus est. & de illo, qui Thebis necatus est, de quo iudicium est constitutum, utrum mori dignus esset; tanquam non iniustum sit, eum interficere, qui mori dignus sit. Alius locus est ex maiore, & minore, ut.

Si ne dij quidem omnia sciunt; multo minus homines: hoc autem est huiusmodi. Si res non inest in eo, in quo magis esse deberet; perspicuum est, neque in eo esse, in quo minus esse debet. illud autem. Qui patrem cædit, etiam propinquos cæderet, ex minore; nam, si id inest, quod minus esse debet; etiam id inerit, quod magis esse consueuit. Hic autem locus in utranque partem ualet; siue rem inesse demonstrandum est, siue non inesse; item etiam, si neque magis, neque minus, unde illud dictum est.

Dicendus est ergo miser parens tuus.
Qui filios amiserit; non autem erit,
Oeneus miser, cui Græciæ flos totius.
Extinctus est natus;-

&, Si non iniustè gessit Theseus, neque Alexander, & Si Tyndaridæ non iniustè gesserunt, neque Alexander, &, Si Hector iustè Patroclum interemit; etiam Achillem Alexander. &, Si alii artifices non sunt improbi; neque philosophi: &, si imperatores nō habētur mali, quãuis sæpe uocãtur; ita neq; sophistæ. Si priuatus quisq; gloriæ uestræ dēt esse studiosus ēt uos debetis Græcorũ gloriã curare. Alius locus ē a tēpore, qđ spectandũ est; ut Iphicrates in oratione contra Harmodium. Si prius, quam hæc gererem, postulassem a uobis, ut mihi statuam erigeretis; si ea cō fecisse, nonne eam mihi decreuissetis? nunc postquam confeci, nō decernetis? ne igitur committatis, ut quod beneficium expectantes pollicemini, id accepto beneficio, auferatis. & rursus, si quis Thebanis diceret, debere eos aditum in Atticam Philippo tradere.

nam,

nam, si hoc petijsset, priusquam cõtra Phocenseis eis auxilium tulisset; certè polliciti fuissent. absurdũ igitur erit; si, quoniam illis fidem habuit, neque id contendit, ei nunc transitum non dederint. Alius locus sumitur ex ijs, quę contra nos dicuntur; cum ea uertimus in aduersarium. locus autem hic multum excellit, ut in Teucro. quo loco usus est Iphicrates contra Aristophontem, eum interrogans, an ipse accepta pecunia naueis proditurus esset. quod cum ille negasset. Ergo inquit, quod tu, cum sis Aristophon, non fecisses ego Iphicrates feci? sed oportet aduersarium uideri procliuiorem ad iniustitiam, alioqui res ridicula uideretur; ut si quis hoc contra Aristidem accusantem diceret. sed ad accusatoris perfidiam hoc referendum est. omnino enim debet accusator esse reo melior hoc autem semper coarguere oportet. generatim autem absurdus est homo ille, qui in aliis ea reprehendit, quę uel ipse facit, uel nactus occasionem, faceret, uel qui aliis ea suadet, quæ ipse nec facit, nec ullo mõ faceret. Alius locus a definitione, ut, Dæmonium nihil aliud est, quam uel Deus, uel Dei opus, qui uero putat aliquod opus esse Dei, necesse est illum etiam Deos esse putare. & quod Iphicrates dixit. ille maximè generosus est, qui optimus: etenim in Harmodio & Aristogitone nihil ante generosum fuit, quàm generosè se gesserunt. &, quòd ipse propinquior esset. Nam res, inquit, meæ gestæ magis sunt propinquæ factis Harmodij, & Aristogitonis, quàm tuę: &, quemadmodum Alexandro scriptum est, omneis in hac esse sententia, ut intemperanteis, eos existiment

qui non unius corporis pulchritudine frui cõtẽti sunt. unde etiam Socrates dixit, ad Archelaum se proficisci nolle; propterea quòd cõtumelia sit, beneficia non posse reddere, non aliter atque non posse iniurias ulcisci. Omnes enim isti rem ipsam definientes, & quid sit, aperientes, concludunt ea, quæ uolunt. Alius locus est, cum aperitur, quot modis aliquid dicatur; ut in Topicis de eo, quod rectè factum dicitur. Alius locus a diuisione; ut. Si omnes, qui iniuriam faciunt, trium rerum aliqua impelluntur; uel hac, uel ista, uel illa: & duabus rebus impelli nullo modo potuit: de tertia uerò neque ipsi aduersarij insimulant. Alius locus ab inductione, ut illud ex Peparethia: matres de filijs ubique uerum discernere: nam Athenis, cum Mantias orator de filio dubitaret, illi mater indicauit, & Thebis, cum Ismenias, et Stilbo de filio contenderẽt Dodonis Ismeniæ filiũ esse dixit, itaq; postea Thessaliscũ Ismeniæ censuerunt. & quo Theodectes usus est in lege. Si nemo proprios equos eis committit, qui negligẽter alienos curarũt; neq; quisquã naueis suas eis tradit, qui alienas euerterunt. &, si hoc in rebus omnibus ita se habet; non debemus eis uti in salute nostra tuenda, qui salutem alienam male defenderunt. & quo Alcidamus utitur, ut probet sapienteis ab omnibus honorari: Parij enim Archilochum; quamuis maledicus esset, honorarunt, & Chij Homerum; quamuis eorum ciuis nõ esset: & Mythilenæi Sapphonem; quamquam esset mulier: & Lacedæmonij Chilonem in senatum elegerunt; cum tamen ad literarum studia duriores essent: & itali Pythagoram, & Lampsaceni

psaceni Anaxagoram peregrinum hominem sepulchro decorarunt, & in hunc usque diem colunt. atque Athenienses, Solonis legibus utentes beati fuere: & Lacedæmonij, dum Lycurgi legibus usi sunt, & apud Thebanos; cum primum ciuitatis principes studio sapientiæ se dare cœperunt; statim beata ciuitas extitit. Alius locus a rebus iudicatis aut ijsdem, aut similibus, aut contrarijs, & pręcipue, si omnes semper ita iudicarunt: sin minus; saltem quàmplurimi, aut qui sapientes sunt uel omnes, uel maior eorum pars, aut qui probi uiri sunt: uel, si ipsi iudices aliàs ita statuerunt, uel ii, quorum iudicium ipsi iudices sequuntur: uel si ita illi iudicarunt, contra quos statuere nihil licet, ut qui domini sunt, aut quibus non honestum est contradicere, quales sunt Dei, parentes, magistri quemadmodum in Mixidemidem Antocles dixit. Si Eumenides sibi honestum esse duxerunt, in Ariopago causam suam tractari; Mixidemides non honestum sibi ducet? uel, quemadmodum Sappho dixit, mori omnino eße miserum; quoniam etiam Dei ita iudicarunt: nisi enim ita esset; mori uoluissent: uel, quemadmodum Aristippus contra Platonem, qui nescio quid (ut illi uidebatur) arrogantius dixerat. Atqui sodalis noster nihil unquam huiusmodi protulit; Socratẽ uero innuebat. & Hegesippus in Delphis Apollinem interrogauit; cum iam oraculum Olympici Iouis audijßet, an eadem illi, quę patri uiderentur, tanquam turpe esset, contraria sentire. & quod de Helena scripsi Isocrates; eam esse raræ uirtutis; quoniam Theseus ita iudicauit. & de Alexandro, quem tres

deæ iudicem elegerunt & de Euagora, quòd uir esset eximius; quoniam, ut ait idem Isocrates, Conon, fractis opibus, alios omneis posthabuit, atque ad Euagoram profectus est.

Atq; unus quidem eorum, quæ demonstrāt] loca, & elemēta, quibus generatim enthymemata in genere deliberatiuo sumuntur, undecim nūmerat Aristo. per hæc inuestigare possumus aliquid esse bonum, uel utile: aut malum, uel damnosum. Primus locus est à contrarijs, cuius prop. est. sicut oppositum in opposito, & propositum in proposito, contrà etiam propositio uera est. & idcirco affirmatiua & negatiua est idonea: ut, si præsentium malorum causa est bellū; ea per pacem emendare, & corrigere opus est. secundus sumitur à casibus similibus. pro casu capimus reflexionem alicuius dictionis in aduerbium, uel aliud coniugatum: ut, si iustum nō est semper bonum; nec iustè facere est semper benefacere: mori enim quandoque iustum est; nō tamen semper bonum. Tertius ab his, quæ abinuicem. cuius prop. est. de mutuo sibi inuicem cōuertentibus eadem est ratio: ut, si inimici iustè patiuntur; & nos iustè eos punimus. Et, si uobis ea uendere non est turpe; neque nobis emere. Quartus ab eo, quod magis, & minus est: & id affirmando, uel negando. negando autem est propositio. si cui magis inesse deberet, nō inest; nec cui minus. affirmando. si cui minus uidetur inesse, inest; cui magis uidetur, inerit. prima est à maiore

iore ad minus negando: ut, si ne dij quidem om nia sciunt; multo minus homines. secunda affirmando: ut, si patrem cędit; etiam propinquos cę deret. A minore ad maius affirmando. si miser est pater tuus, qui filios amisit abiectos; nō erit Oeneus miser, cui Græciæ totius flos extinctus est natus? Negando. si non iniustè gessit Theseus; neque Alexander, qui est Theseo maior. Quintus à tempore, cuius prop. affirmatiua est. si antecedentia antecedunt; & consequentia cōsequentur. negatiua. si antecedentia non antecedunt; nec consequentia consequentur: ut, si prius quàm hæc gererem; postulassem à uobis, ut mihi statuam erigeretis, si ea confecissem; nonne eam mihi decreuissetis? nunc post quam confeci; nonne decernetis? sextus sumitur ex his, quæ contra nos dicuntur, cùm hæc uertimus in aduersarium. cuius prop. est. si quod turpiter sit, à uiliori persona remouetur; à digniori remouebitur: ut, Tu uilis homo naues non prodidisses; ego uerò prodidissem? Septimus ex definitione. & propositio est. Cui competit definitio, ei competit definitum. contrà à quo remouetur definitio; & ab eo definitum: ut, dæmonium nihil est aliud, nisi Deus, aut Dei opus: ergo si quis Dei opus esse credat; hunc Deum esse necessariò credet. Octauus, cum aperitur, quot modis aliquid dicatur, hoc est, ex genere. cuius propositio est. à quo remouetur genus; ab eo remouetur id, quod sub genere eo est: ut, si Q. Cur

tius

tius fuit fortis; exposuit se periculis pro patria. Nonus à diuisione, cuius exemplum est. Qui iniuriam faciunt, ab aliqua trium causarum impelluntur, ab hac scilicet, uel ista, uel illa. sed non ab hac, nec ab ista: ab illa igitur. Decimus ab inductione, cuius prop. est. quod de singularibus est uerum per inductionem; uniuersaliter de uniuersali est uerum: ut, Matres de filijs ubique uera discernunt: nam Athenis, cum Mantias de filio dubitaret, illi mater indicauit: & Thebis &c. Vndecimus à rebus iudicatis aut eisdem, aut similibus, aut contrarijs. huius propositio est. stãdum est ei, quod omnes & semper, aut plurimi, aut sapientes: & ij uel omnes, uel clariores bonum esse iudicant: aut etiam si ipsi iudices, uel qui ipsis grati sunt: uel ij, aduersus quos iudicare non possunt, ut domini: uel aduersus quos iudicare turpe est, ut dij, pater, præceptor. dico standum esse ei, uel illi, quod est ei simile: uel non standum ei, quod est iudicato contrarium. exemplum. Si Eumenides sibi honestũ esse duxerunt, in Ariopago causam suã tractari: Mixidemides non honestum sibi ducet? hæc de locis, quæ quãuis iudiciali, & demonstratiuo generi accõmodentur; tamen deliberatiuo aptiora sunt.

Loca & elementa, quibus laudare, uel uituperare possumus, octo recitat Arist. ad genus demonstratiuum pertinentia.

Alius locus ab enumeratione partium: sicut

etiam

etiam in Topicis. Si anima motus eſt, quinam eſt motus? uel enim hic, uel ille. & illud exemplum ex Theodectis Socrate. Quod fanum uiolauit? quem Deum non coluit eorum, quos ciuitas ueneratur? Alius a cõſequentibus, quoniã in plurimis rebus accidit, ut eas bonum, & malum aliquod conſequatur: ex eo, quod ſequitur, licet ſuadere, aut diſſuadere, accuſare aut defendere, laudare aut uituperare: ut, Eruditionẽ cõſequitur inuidia, quod eſt malum: & ſapientia, quod eſt bonum. non eſt igitur ſcientijs danda opera: quoniam inuidiam ſubire non oportet: imo uerò ſcientiis opera danda eſt; quoniam ſapientem fieri oportet. Hic locus in arte Calippi præcipuè tractatur, in qua ſumitur etiam, quod fieri poteſt, & alia, de quibus a nobis iam antea dictum eſt.

Alius etiam a conſequentibus, quando ex duobus contrariis, quæ conſequuntur, aut ſuadere, aut diſſuadere; opus fuerit, & eo, qui diximus, modo in utranque partem uti. Differt autem hic locus a ſuperiore; quoniam in eo quæcunque euenerint, opponuntur: hic autem tantum ea, quæ contraria ſunt; ut, Sacerdos quædam filium ſuum in concione uerba facere & agere cum populo prohibebat. Nam, ſi iuſta dixeris, aiebat; homines te odio proſequentur: ſi uerò iniuſta; deos offendes. Imo uerò, dicet aliquis, cõcionari oportet: nam, ſi iuſta dixeris, deos tibi cõcilias: ſin iniuſta; homines. hoc autem idem eſt cum eo, quod uulgo dicitur, Oleum, & ſalem oportet emere. Et hæc ratio ulæſoſis, hoc eſt inuerſio, uocatur: cum duorum contrariorum utrunque, bonum, & malum conſequitur

tur

tur ita, ut utraque sint utrisq; contraria. Alius est locus: quando quidem homines non eadem palam. & occulte probare solent: sed palàm quidem iusta, & honesta maximè laudant, occulte uero magis utilia cupiunt, cum ex his quispiam conatur alterum concludere. Atque hic quidem locus præter cæteros, qui cōtra communem opinionem proferuntur, plurimùm ualet. Alius locus, cum eadem ex proportione conueniunt: ut Iphicrates, cum eius filium, qui magno quidem erat corpore, sed adhuc ætate puerili, cogere uellent onera publica sustinere; dixit Si pueros, q magno sunt corpore, uiros existimatis, ergo etiam uiros, qui pusillo corpore sunt, pueros existimare debetis. & quo Theodectes usus est in lege. Nam si propter molestiā probitatemque mercenarios milites ciuitate donatis, ut Strabacem, & Charidemum; non eos milites mercenarios exterminabitis: qui nefaria scelera perpetrarunt. Alius locus ab euentu, si idem est, ut etiā eadem esse dicantur ea, a quibus id euenit: ut, quod Xenophanes dicebat, eodem modo impios eße illos, qui dicerent deos esse natos, atque eos, qui dicerent deos interire: Nam utroque modo fit, ut aliquando dei non sint, & omnino, quod euenit, ex utroque probare oportet, unum, atque idem esse: ut, Non enim de Socrate, sed de toto hoc studio iudicaturi estis, utrum philosophiæ danda sit opera, nec ne: &, terram, & aquam dare; esse idem, quod seruire; &, communis pacis fieri participes, idem, eßse, atque imperatum. Cum autem alterutrum sumi poßsit: id erit sumēdum, quod nobis utile est. Alius locus est ex eo, quod iidem non

eadem

eadem ſemper eligunt aut antea, aut poſtea; ſed diuerſis temporibus diuerſa: ut in illo eſt enthymemate. Si, cũ in exilio eſſemus, pugnauimus, ut in patriam rediremus; nunc poſtquam reuerſi ſumus, in exilium abibimus, ne pugnemus, aliquãdo enim in patria manere pugnando elegerunt, aliquando uero patriã potius diſcedere, quam pugnare, uoluerunt. Alius locus eſt, cum quis dicit aliquid eius gratia eſſe, aut factum eſſe, cuius gratia neque eſt, neque factum eſt: ut, ſiquis alicui quid donaret, ut illud deinde idem auferens, dolorem inureret unde etiam illud dictum eſt.

Felicitates, atque opes dat maximas
Fortuna multis, non quod illos diligat,
Sed de gradu præſtantiore ut decidant.

& illud ex Antiphonis Meleagro,

Non tam necandi cauſa apri conuenerant,
Quam maxime uirtutis ut teſtes forent
Meleagri apud Græcos,

& illud ex Theodactis Aiace, quod Diomedes Vlyſſem ſocium elegerat, non quod eum honoraret; ſed ut comes ſe eſſet inferior. nam etiam hoc de cauſa a Diomede fieri potuit.

Alius locus ab enumeratione partium] Illud animaduertendum eſt eum, qui laudat, uel uituperat, non probare. nam res ipſę, per quas laudamus, credi debent, raroque demonſtrari ſolent, niſi fortè eſſent incredibiles. & propterea aut loca, & elementa laudum proferimus: aut quòd honeſtè, uel utiliter geſſerit, maxima ex parte amplificamus. Ariſt. autem loca, atque elementa,

ta, quibus laudare, uel uituperare possimus, affert. sed propositiones omisit: nam frustra sunt propositiones, nisi enthymemata sint. cũ igitur genus demonstratiuũ enthymematibus non utatur, satis est elementa, & loca numerare. eaque sunt octo. Primus est ab enumeratione partiũ, hoc est, à particularibus gestis: ut aliquem laudare possumus in omnibus actionibus similibus; si in una bene, & uiriliter se gesserit: ueluti, ille sacrum non piè coluit: quoniam semel deos, quos ciuitas esse arbitrabatur, despexit. secundus est à consequentibus cum oppositione: ut, possumus laudare, & uituperare eruditionẽ: uituperare, quatenus ipsum sequitur malũ, hoc est, inuidia: laudare, quatenus ipsam sequitur bonum, utputa sapientia. unde sic argue. non est scientijs danda opera: quoniam inuidiam subire non oportet. imo uerò scientijs dãda opera est: quoniam sapientem fieri oportet. Tertius est à consequentibus, sed hoc modo. si iniusta suades; dij: si uerò iusta; homines te odio habebũt. atque hic locus inuersio uocatur; cum scilicet, duorum contrariorum utrũque, bonum, & malum consequitur ita, ut utroque sint utrisque cõtraria. Quartus, quoniam non eadem occultè, atque apertè laudant: nam palàm honesta, & iusta laudant; occultè uerò magis utilia cupiunt. Quintus, quoniam ita ex proportione cõueniat: ut, si pueros, qui magno sunt corpore, uiros existimatis; ergo etiam uiros, qui pusillo corpore

sunt;

ſunt; pueros exiſtimare debetis. Sextus eo, quod non idem ab eiſdem ſemper eligitur; ſed oppoſitum prius, aut poſterius: ut, ſi cum in exilio eſſemus, pugnauimus, ut in patriam rediremus: nunc, poſtquam reuerſi ſumus, in exilium abibimus, ne pugnemus? Septimus locus eſt ab euentu, ſi idem eſt, ut etiam eadem eſſe dicantur ea, à quibus id euenit: ut, eodem modo impij ſunt illi, qui dicunt deos eſſe natos, atque ij, qui dicunt deos interire: nam utroque modo fit, ut aliquando dij non ſint. Octauus, ſi cuius gratia id factum non ſit; huius gratia eſſe, ac fuiſſe dicere: ut, Diomedes Vlyſsem ſocium eligit, non quod eũ honoraret; ſed ut comes ſe eſset inferior.

Loca, in iudiciali genere nouem ſcribuntur.

Alius locus eſt communis diſceptantium, & deliberantium; ut ea conſideremus, quæ uel impellere, uel retrahere poßunt, & quorum cauſa ſolent homines aliquid aut efficere, aut euitare: hęc enim ſi adſint; rem, aggredi oportet; ut, ſi fieri poteſt, ſi facile eſt, ſi utile uel ſibi, uel amicis, uel noxium, & perniciosum inimicis, aut, ſi minor eſt pœna, quam id, quod expetunt: nam his rationibus ſuadere ſolent, & contrarijs diſſuadere. quin ex ijſdem & accuſant, & defendunt: quibus enim argumentis diſſuadent, ijſdem etiam defendunt, & quibus ſuadent, etiam accuſant. Vno uerò hoc loco tota Pamphili, & Calippi ars continetur.

Alius locus ex iis, quæ fieri quidem uidentur, ſed

sua sponte incredibilia sunt; quoniam non crederentur nisi aut iam essent, aut propè essent. Imo magis credi debent: homines enim aut ea, quæ uera sunt, aut ueri similia credunt. quod uerò incredibile est, neque ueri simile; & tamen, fit, id ut uerum sit necesse est: neque enim, quia uerisimile sit, aut probabile ita uidetur, si cuti Androces Pittheus dixit, cum legem reprehenderet, & ei dicenti obstreperent. Egent leges alia lege, quæ corrigat: nam & pisces salis egent. Atqui uerisimile non est, neque probabile, cum in salsò pisces nutriãtur; salis indigere. atqui ẽt oliuæ egẽt oleo: cum tamen hoc incredibile sit, ut ex quibus oleum conficitur, illæ oleo indigeant.

Alius locus ad refellendum accommodatus, cum inter se diffidentia spectamus, si quid in aduersarii persona possimus inuenire, quod diffideat ex omnibus eius temporibus, actionibus, orationibus: ut; Iste quidem se uobis amicũ esse ait: sed tamen cum XXX. tyrannis coniurauit: aut etiã seorsum in persona nostra, ut. Iste quidem ait me sectatorem esse litium, sed tamen non potest ostendere quenquam, a me unquam in iudicium uocatum: partim uerò in nostra, atque in aduersarij persona: ut. Iste neminem unquam sua pecunia subleuauit. ego autem multos uestrum ab hostibus captos redemi.

Alius locus est cum homines, uel res non uidentur affines ei culpæ, cuius accusantur: causa eius criminis, quod præter opinionem accidit, explicare: est enim aliquid, propter quod ita uideatur: ut. Mulier quædam, cum se filio subiecisset, ut eum blandius salutaret;

lutaret; uisa est stuprum cum adolescente illo commisisse, sed explicata causa, statim crimẽ solutum est: & in Aiace Theodectis Vlysses Aiaci causam explicat, cur, cum ipse esse Aiace fortior; non tamen esse uideretur.

Alius locus est a causa, ut, si causa extiterit; factum esse dicatur: si non extiterit; non esse factum; nam simul est causa cum eo, cuius est causa, & sine causa nihil est; ut Leodamas in defensione sua dixit, cum enim Thrasybulus eum accusaret, ac diceret, eius nomen tanquã infamis, & hostis in columna, quæ in arce erat, olim incisum fuisse, sed ab eo, cum XXX. rerum potirentur, fuisse abrasum, respondit, illud non esse uerisimile. Nam mihi, inquit, XXX. tyranni magis credidissent, si quas cum populo gessissem inimicitias in columna scriptas uidissent.

Alius locus est uidere an melius alia rõne, ac uia potuissent ea geri, quæ uel suadet facienda esse, uel facit, uel iam fecit: perspicuum est enim nisi ita sit, eum non fecisse; nam nemo sciens, uolensque ea quæ deteriora sunt, eligit. Sed hoc falsum est, sæpe enim accidit ut quod facere melius erat, postea cognoscatur, cum incertum esset antea.

Alius locus est uidere, an quicquam geri debeat, quod rebus iam gestis contrarium sit: ut Xenophanes cum ab eo petijssent Eleatæ, utrum, cum Matutæ sacrificarent; lugerẽt necne; consuluit, ut si deam illam esse putarent, ne lugerent: si hominem; ne sacrificarent.

Alius locus est ex iis, quę male facta sunt, uel ac-

cuſare, uel defendere; ut in Carcini Medea, quidam eam accuſant, quòd filios interfecerit: quoniam illi nuſquam apparebant; in hoc enim peccarat Medea, quod filios ſuos amandaſſet. ſed ipſa ſe defendit, quod non filios, uerum ipſum Iaſonem interfeciſſet. Nam omnino peccaſſem, inquit, niſi hoc feciſſem, cum illud alterum perpetraſſem. Hic autem locus, atque hęc ſpecies argumentandi totam priorem Theodori artem continet.

Alius locus eſt a nomine; ut, quo Sophocles uſus eſt,

Ferrina uerè dicere; nam ferrea es.

& quemadmodum in deorum laudibus canere conſueuerunt; &, quemadmodum Conon Thraſybulum a nomine, temerarium in conſiliis capiendis appellabat. & Herodicus Thraſymacho dixit. Sẽper thraſymachus. & Polo, Semper polus es. & Draconem legiſlatorem inſimulabat; quod eius leges non hominis, ſed draconis eſſent; erant enim aſperæ. &, quemadmodum Hecuba apud Euripidem contra Venerem dixit.

Accommodatum nomen eſt tibi indutum.

Regina cum dementię tu ſola ſis;

& quemadmodum Cheremon,

Pentheus futurę ſortis agnomen tulit.

Alius locus eſt communis diſceptantium, & deliberantium] In iudicialibus primus locus ſumitur ex ſuaſorijs, & diſſuaſorijs: nam defendũt quidem ex diſſuaſorijs, accuſant uerò ex ſuaſorijs. & propoſitio eſt. cum diſſuaſoria adſunt; ueriſimile eſt non feciſſe: cum uerò adſunt ſuaſoria; ueriſimile eſt feciſſe. Suaſoria uerò ſunt,

ſi posſibile, ſi utile, ſi facile aut ſibi, aut amicis: ſi nouum inimicis, ſi iactura ſiue pœna maior ſit, quàm id, quod expetunt. Secundus locus ſumitur ab incredibilibus, cuius propoſitio eſt. ſi unũ incredibile eſt uerum; uériſimile eſt alterum eſſe uerum: ut, egent leges alia lege, quæ corrigat: nam & piſces ſalis egẽt. hæc nec probabilia, nec credibilia uidentur. Tertius locus eſt à repugnantibus; cuius propoſitio eſt. cuius uerba uerbis, uel facta uerbis repugnant; eius dictum nullum eſt. hic autem locus communis eſt accuſanti, & defendenti. accipitur quidem ex omnibus eius temporibus, orationibus, & actionibus: ut, iſte uobis amicum eſſe ait: ſed tamen cum triginta tyrannis coniurauit. Et, iſte neminem unquam ſua pecunia ſubleuauit: ego autem multos ueſtrum ab hoſtibus captos redemi. Quartus eſt, cum res, aut homines ſuſpecti ſint, aut uideantur, cauſam criminis, quod præter opinionem accidit, explicare. & propoſitio eſt. poſita cauſa eius, quod ſuſpitionem facit, uériſimile eſt ſuſpitionem refelli: ut, impudica cum uideretur mulier, quam oſculabatur iuuenis; dixit ſibi filium eſſe. Quintus à cauſa ſi eſt, quod ſit: ſi non eſt, quod non ſit. propoſitio eſt. ſi alicuius cauſa extiterit; & effectus eſt: ſi cauſa uerò eius non ſit, ille non eſt: etenim cauſa ſimul cum ipſius effectu exiſtit. exemplum lege. Sextus eſt uidere, an melius alia ratione, ac uia potuiſſent ea geri, quæ uel ſuadet facienda, uel facit, uel iam

fecit. cuius propositio est. uerisimile est quemlibet meliora eligere; si meliora cognoscit. ut, si accusatus ostendere potest, quòd cognouerit se melius agere potuisse, quàm illud, de quo accusatur, sit; defenditur: nam nemo sciens, uolensque ea, quæ deteriora sunt, eligit. sed hoc est falsum. Septimus est uidere, an quicquam geri debeat, quod rebus iam gestis contrarium sit. & prop. est. accusatio, quæ implicat contraria, nulla est: ut, si deam hanc esse putatis; ne lugeatis: si hominem; ne sacrificetis. Octauus à perperam factis. & propositio est. si unum perperam fecit; uerisimile est aliud non perperam fecisse: ut, Medea accusata de filijs amandatis sic se defendit. Non filios, uerum ipsum Iasonem interfeci: nam omnino peccassem, nisi hoc fecissem: cum illud alterum perpetrassem. Nonus sumitur à nomine, cuius propositio est. uerisimile est personam agere pro nominis rõne. ut qui Draconem legislatorem insimulabat, ait, quòd eius leges non hominis, sed draconis essent.

Enthymemata, quæ maximè laudanda.

Enthymemata uero, quæ redarguunt, magis excellunt, quam ea, quæ demonstrant; propterea quod paruo, angustoque in loco contraria colligunt; quæ inter se collata statim auditori certiora fiunt. Omnium autem argumentationum & quæ refellunt, & quæ demonstrant illa maximè commouere animum solent, quæ, cum proferri incipiunt; intelliguntur; non tamen

quia

quia fiat in promptu: nam ſimul etiam ipſi ſecum gau dent auditores cũ uim argumẽti præſentiunt. proban tur etiam illa argumenta, quę, ſimul ac dicta ſint, in telliguntur. Sed, quoniam plerunque accidit, ut ali- quis uere ſit ſyllogiſmus, aliquis non uerè, ſed tantum ſyllogiſmi ſpeciẽ habeat neceſſe eſt, ut idẽ ẽt de enthy memate eueniat, ut aliquod uerè ſit enthymema, ali- quod non uerè, ſed tantum eſſe uideatur, cum præſer- tim enthymema ſyllogiſmus quidam ſit.

Loca, è quibus fallaces ſumuntur propoſi- tiones, nouem recenſet.

LOCI *uerò fallacium enthymematum hi ſunt. Ac primus quidem eſt in elocutione, cuius una pars eſt (ut in diſſerendi ratione docuimus) cum quis etiam ſi non collegerit, tamen extremam partem aſ ſeueranter concludit, ut. Non eſt igitur hoc, & hoc, quare neceſſe eſt, ut hoc, atque hoc ſit. quin enthyme- ma uidetur quoties quis oratione contorta, & ex cõ trarijs conflata utitur: nam huiuſmodi elocutio ſe- des eſt enthymematis. hæc uero fallacia ſimilis eſt ei, quæ in Dialecticis a forma dictionis uocatur. eſt autem in hac re utile, ut quis dicendo uideatur conclu dere, multarum argumentationum capita ſimul pro- ferre, ut. Nos quidem ſeruauit, alios punitus eſt, Græcos in libertatem uindicauit: nam unumquodque capitum horum ex alijs probatum eſt. cum autem ſi- mul omnia componuntur, uidetur ex eis aliquid confi ci. Altera pars naſcitur ex multiplici nominis ſigni ficatione; ut, ſi quis diceret, murẽ magna uirtute præ*

ditum esse, a quo præstantissima omnium sacra denominata sunt: nam mysteria sunt omnium aliorum sacrorum præstantissima. uel, si quis canem laudans, etiam eum, qui in est cęlo celebraret, aut Pana deum, quoniam Pindarus dixit.

Beate, quem magnæ deæ,
Varium uocant dei canem.

uel, quod nullum habere canem, indecorum est. Quare perspicuum est, canem esse honorificum. &, si quis diceret, Mercurium deorum omnium maxime liberalem esse. solus enim dicitur communis Mercurius: &, si quis diceret, orationem esse rem præstantissimam; quod boni uiri non pecuniis, sed oratione digni sint; nam esse dignum oratione non uno modo dicitur.

Alius locus est, cum quis, quod seiunctum est, dicendo componit: aut, quod compositum est, seiungit. quoniam enim idem uidetur, cum tamen non idem sæpenumero sit id amplectendum est, quod utilius esse uidetur. est autem hæc Euthydemi ratio, ut, Scis triremem in Piręo esse, nã utrunque separatim nouit: &, si quis dicat, eum, qui scit elementa, scire etiam carmen, nam carmen idem est: &, Si duplum est in salubre, neque simplum erit salubre: nam absurdum est, si ambo sunt bona, unum esse malum. Atque hoc quidẽ modo in refellendo ualet, illo uerò in demonstrando: neq; enim ex duobus malis unum bonũ esse potest. Totus autem hic locus captiosus est. tale est illud Polycratis in Thrasybuli laudem, quod Thrasybulus XXX. tyrannos sustulisset, coniungit enim: atque

illud

illud Theodectis in Oreste, ex diuisione prolatum.

Eam, maritum quæ necauit, emori,
Patrisque mortem uindicare filium.
Iustum est, ut hæc effecta sunt:-

nam hęc, si coniungantur, fortasse non erunt iusta. potest etiam hæc, a defectione fallacia progredi: quoniã ablatum est a quo.

Alius locus est, cum quis amplificatione utitur in confirmando, aut refellendo, hoc est, cum rẽ ipsam amplificat; antequam factam esse ostendat. reus enim, cũ crimen amplificat; inducit opinionem, quod ipse non commiserit: accusator contrà, cum indignatur; facit, ut reus fecisse uideatur. Hoc igitur non est uerum enthymema: decipitur enim auditor, & factum, aut non factum credit, quamuis nihil fuerit demonstratum.

Alius locus est a signo: nam hoc etiam ueram concludendi rationem non seruat; ut, si quis diceret in ciuitatibus utileis esse amatores: nam Harmodij, atq; Aristogitonis amor Hipparchum tyrãnum sustulit: uel, siquis probare uellet, Dionysium esse furem, eo quòd improbus sit. hoc enim nihil cõcludit: neq; enim quilibet improbus est fur. sed contrà potius, omnis fur est improbus.

Alius locus est ab accidente: ut, quod ait Polycrates in laudem murium, quod auxilio fuerint, deuoratis arcuum neruis: uel, siquis diceret, ad cœnã uocari rem esse honorificentissimam: Achilles enim cum in Tenedo uocatus ad cœnam non fuisset; Græcis magnopere succensuit. At ille, tanquam contemptus, &

ignominia

ignominia affectus, succensuit, quod accidit, quia nō inuitatus ad cœnam fuerat.

Alius locus est a consequente; ut in Alexandro, quòd uir esset excelso animo; quia solus in Ida monte relicta æqualium consuetudine, uitam ageret: nā, quia excelso animo uiri tales sunt; etiam hic talis uideri posset: &, quia uestitu nimio indulget, et noctu uagatur, adulter est: tales enim sunt adulteri. eodem modo, si quis mendicos diceret esse beatos, quod in sacris locis suo arbitrio canunt, & saltant: atque exules itidem beatos, quod ubicunque terrarum uoluerint, domicilium habere possint: quoniam enim hæc ij facere possunt, qui beati uidentur, etiam, qui hæc faciunt, beati uideri possunt. Differt autem, quomodo hæc fiant: atque ideo etiam in defectionem incidit.

Alius locus est, cum eā dicimus esse causam, quæ causa non est: ut, quod una cum facto, aut post accidit: nam illud ita accipiunt quasi propter factum euenerit. & hoc ij præcipue utuntur, qui in Rep. uersantur: ut Demades aiebat, Demosthenem in administratione Reip. malorum omniū causam, & auctorē fuisse. Nā postquā is ad Remp. accessit, bellū exortū est.

Alius locus est, cum nec quando, nec quomodo res gesta sit, explicatur. ut, si quis dicat, ab Alexandro iustè Helenam abductam fuisse; quoniā illi pater optionem dederat, ut quem uellet, sequeretur: neque enim semper eodem modo, sed initio tantum optionē dedit, quo tēpore pater eam in potestate habebat: uel, si quis dicat cædere liberos homines, esse cuntumeliam: neq; enim hoc quocunq; modo uerum est, sed quādo quis iniuriose

iurioseè cædere cœperis.

Præterea, sicut in contentiosis disputationibus fit adumbratus falsusque syllogismus, cum absolutè, simpliciterque ponitur aliquid, quod non simpliciter, sed cum aliqua adiunctione poni debet, ut apud Dialecticos probatur id, quod non est esse. Quod enim non est, est id, quod non est, & quod percipi non potest, scientia comprehendi: scitur enim id percipi nõ posse, quod non potest percipi. sic etiam in Rhetoricis fit adumbratum enthymema falsumque, cum id simpliciter esse uerisimile ponitur, quod aliqua ex parte tantum est uerisimile. Hoc autem generatim non fit, si sicut etiam Agathon ait.

Verisimilia forsan quis esse diceret,
Multa euenire, quæ esse non ueri solent
Similia.-

sit enim aliquando id, quod non erat uerisimile. quare uerisimile est etiam, præter uerisimile. Quod si ita est, id etiam quod uerisimile nõ est, uerisimile erit. sed non tamen simpliciter, uerum, sicut in cõtẽtiosis disputationibus, cum non additur, ex qua parte, & quo cũ collata, & quo in loco, gignitur captio; ita etiã in hac arte, cum de uerisimili uerba fiunt, quod non simpliciter, sed aliquo modo sit uerisimile. ex hoc autem loco ars Coracis est cõscripta. Nã, si reus affinis nõ est culpę, cuius accusatur: ut, si fuerit infirmo corpore, qui pulsasse dicitur, facile defenditur: nõ enim est uerisimile. quod si culpę affinis est, ut si fuerit robustus; dicetur nõ esse uerisimile: quoniã sciebat ille, si fecisset, uerisimile uisum iri. eodẽ modo ẽt in alijs. nã uel affinẽ esse culpę

uel

uel nõ affinem oportet. utraq; aũt uidẽtur esse uerisimilia: sed alterum tantũ est uerisimile, alterum uerò non simpliciter uerisimile est, sed quemadmodum diximus. Et hoc est, quod iactant, causam inferiorem, dicendo superiorem fieri posse. unde homines iure optimo Protagoræ professionem æquo animo ferre non poterant: falsum est enim, non autem uerum; sed tãtum uerisimile uidetur, neque in ulla arte reperitur, præterquam in Rhetorica, & sophistica. Ac de argumentationibus quidem, & quæ ueræ sunt, & quæ tantum apparent, hactenus dictum est. sequitur, ut dicamus etiam, qua ratione dissolui possint.

Loci uerò fallacium enthymematum sunt hi] plures numerat Aristo. locos, è quibus fallaces sumũtur propositiones. horum uero primus est in elocutione. secundus, cum quis quod seiunctum est componit dicendo: aut quod compositum est, seiungit. tertius, cum rem ipsam amplificat, antequam factam esse ostendat. quartus est à signo. quintus ab accidente. sextus à consequẽte. septimus, cum eam dicimus esse causam, quæ causa non est. octauus, cum nec quando, nec quomodo res gesta sit, explicatur. nonus, cum id simpliciter esse uerisimile ponitur, quod aliqua ex parte tantum est uerisimile. unde hoc loco pauca de sophistica oratione dicamus. sophistica oratio tres in partes distribuitur. huius prima est propositio, quam sophistæ sophisma appellant; eò quòd eo quęritur modo, quo problema: ueluti illud. Vtrum omnis homo sit omnis

nis homo. Secunda uerò pars sunt paralogismi, hoc est, apparētes syllogismi pro utraque parte sophisticè facti. tertia autem pars est determinatio eius partis, quæ magis apparens uidetur. uerum, si adsunt opiniones illæ, præponuntur, antequam apparentioris partis determinatio fiat: & omnia dissoluuntur, ne nobis impedimento sint. ultima uerò pars est huiusmodi syllogismorum refutatio. Præterea est oratio dilematica, cuius prima pars est casus, siue obligatio, siue thesis: ut, discipulus non tenetur præceptori soluere mercedem, nisi primam obtineret causam. Secunda est dilema hoc est, quæsitum. tertia sunt utraque parte argumenta. quarta est partis apparentioris determinatio. ultima est argumentorum pro utraque parte dilutio.

Confutatio argumentorum fit uel contrà arguendo, uel reprehendendo. reprehensio uerò fit quatuor modis.

DUOBUS *autem modis argumentationes dissoluuntur, uel contrà argumentando, uel reprehendendo. perspicuum est autem ex iisdem locis in contrariis partibus disputandi facultatem suppeditari: nam argumentationes ex probabilibus ducuntur; uerum probabilia sæpe sunt inter se contraria. Reprehensiones uerò (sicut in Topicis traditur) quatuor modis adferuntur: uel enim ab ipsa re, uel à simili, uel à cōtrario, uel à rebus iudicatis. Dico autem, ab ipsa re; ut, si quis concluserit amorem esse bonum; duobus*

modis

modis adfertur reprehensio: uel generatim, atque uniuersè, cum quis dicit, omnem indigentiam esse malam: uel sigillatim atque ex parte; quoniam vulgo non diceretur, Caunius amor, nisi etiam amores quidam essent improbi. In contrarijs adfertur reprehensio: ut, si conclusum sit, à bono uiro cunctos amicos beneficijs accumulari. Sed neque improbus (dicet aliquis) cunctos amicos incōmodis afficit: in similibus autem: ut, si conclusum sit, eos, qui iniuriam acceperunt, semper odio prosequi. Sed neque ij, qui beneficium acceperunt, semper diligunt. Res uerò iudicatæ sumuntur à præclaris, & illustribus uiris: ut, si quis conclusit, ebrijs ignosci oportere; quoniam imprudentes peccant; adfertur reprehensio, Non igitur esset Pittacus laudandus, qui maiores pœnas in suis legibus proposuit, si quis ebrius peccasset. Et quoniam ea, ex quibus enthymemata fiunt, quatuor numero sunt, probabile, exemplum, indicium, signū; nam enthymemata, quæ constant ex eis, quæ plerunque ita fiunt, uel fieri uidentur, ea sunt ex probabilibus: quæ autem inductione constant, ex uno simili, uel pluribus, hoc est, cum quis, posito generali, uult illud ex singulis probare. sunt ab exemplo, quæ uerò cōstant ex necessario signo. sunt ab indicio, quæ deniq; fiunt uel ex generali signo, uel singulari, siue illud uerum sit, siue non, sunt à signo. sed probabile non semper uerum est, licet plerunque fiat: perspicuum est, nos huiusmodi enthymemata semper euertere posse, atq; illis occurrere. quæ reprehensio erit quidem apparēs, non tamen semper uera: nam qui occurrit, non ideo

refellit, quia non ſit probabile; ſed quia non ſit neceſſarium. Atque ideo propter fallacem hanc concludendi rationem argumentis magis abundat defenſor, quàm accuſator; quoniam accuſator ueriſimilibus utitur ad probandum. ſed non idem eſt, ſoluere aliquod argumentum, quod non ſit ueriſimile, & quod non ſit neceſſarium: quod enim plerunque fit, ſemper refelli poteſt, aliter non eſſet ueriſimile; ſed ſempiternum, & neceſſarium. Iudex autem exiſtimat, cum ita refutatum ſit; aut non eſſe ueriſimile, aut nihil ad iudicium ſuum pertinere: ſed fallaci concluſione decipitur; (ut diximus) neque enim oportet ipſum tantum ex neceſſarijs iudicare, ſed etiam ex ueriſimilibus: & hoc eſt, quod dicitur, æquisſima ſententia iudicare. Non igitur ſatis eſt, ſi defenſor docuerit non eſſe neceſſarium; ſed oportet, ut oſtendat etiam, non eſſe ueriſimile. hoc autem fiet; ſi in reprehenſione docuerit, rem plerunque aliter fieri ſolere. Poteſt autem duobus modis adferri reprehenſio: uel à tempore, uel à rebus. quòd ſi utrunque coniungatur; tunc erit firmiſſima: nam, ſi plerunque res ita fit; hoc erit magis ueriſimile. Reprehenduntur etiam ſigna, & argumenta, quę à ſignis ducuntur, etiam ſi extent, apertaque ſint, quemadmndum antea dictum eſt: nam in Analyticis declaratum eſt, nullum ſignũ uim habere concludendi. Atque etiam exemplorum eadem reprehenſio eſt, quæ ueriſimilium: nam, ſi unum tantum proferre poterimus aliter factum, ſoluta eſt argumentatio: quoniam non eſt neceſſaria, quamuis & plura, & ſæpius aliter facta fuerint. at

uerò,

uero, si plura fuerint, & sæpius eodem modo facta; cõtendendum est, id de quo agitur, uel non esse simile, uel nõ similiter factum, uel denique aliquo modo ab alijs differre: Indicia uero, & propriæ notæ argumenta nequaquam in eo reprehendi possunt, quod non rectè cõcludant, quod ex ijs, quæ dicta sunt in Analyticis, perspicuum est. restat igitur, ut demonstremus id non esse uerum, quod dicitur. quod si certum est esse uerum & esse propriam rei notam; nullo modo labefactari potest: iam enim omnia demonstratione clara sunt. Iã uero amplificatio, & diminutio non sunt enthymematis elementa. Idem enim ego elementum, & locum appello. Est autem elementum, siue locus, in quẽ multę argumentationes incidunt. amplificatio uerò, & diminutio sunt argumẽtationes ad aliquid ostendẽdum, quod sit magnum, aut paruum, quemadmodum etiam quod sit bonum, aut malum, quod iustum aut iniustũ, & in cæteris eodem modo. hæc autem omnia sunt, in quib. syllogismi, atque enthymemata uersantur. Quòd si nullum horum est locus enthymematis; neque amplificatio, aut diminutio erit locus: neque argumenta, quibus refellimus, diuersam habent speciem ab ijs, quibus confirmamus. perspicuum est enim duobus modis argumentum solui, uel per demonstrationem, uel per reprehensionem: per demonstrationem: ut, cum probatur contrarium, exempli gratia, siquis demonstrauit rem factam esse: qui soluere uult, ostendit non esse factam. & contrà, siquis ostendit non esse factam. qui uult soluere, factam esse demonstrat. quare nõ est in argumentandi ratione differentia: ambo enim ijsdẽ utuntur;

stituntur, cum aut esse, aut non esse argumentantur. Reprehensio uerò non est enthymema: sed, quemadmodum in Topicis docetur, nihil aliud est reprehensio, quam opinionem aliquam in medium adferre, qua planum fiat, non esse benè conclusum, aut aliquid sumptum, quod falsum sit. Ad de exemplis quidem, & sententijs, & argumentationibus, & denique de ijs, quæ ad sensus animi proferendos pertinēt, qua ratione possimus eis abundare, & quomodo ea soluere ualeamus, satis dictum est. Reliquum est, ue etiam de elocutione, & dispositione uerba faciamus.

Duobus autem modis argumentationes dissoluuntur uel contrà argumentando, uel reprehendendo] reprehensiones autem siue confutationes adferuntur quatuor modis, aut ab ipsa re, aut à simili, aut contrario, aut à rebus iudicatis. omnis uerò reprehensio oratoria est argumentio, & omnis argumentatio rhetorica est enthymema. sed enthymema fit ex quatuor, probabili uidelicet, exemplo, indicio, & signo. hæc quatuor igitur sunt reprehendenda. Probabile uerò non semper uerum est, licet plerunque fiat: unde nos enthymemata à probabili cōflata semper euertere possumus. quæ quidem reprehēsio non semper est uera, sed apparens. sed bifariam reprehensio adferri potest, uel à tempore, uel à rebus. Reprehenduntur etiam signa, & quæ à signis ducuntur argumenta: nam nullum signū uim habet concludendi. Exempla quoque eodem modo, quo uerisimilia reprehenduntur:

nam, si unum tantum proferre poterimus aliter factum, soluta est argumentatio. Indicia uera, & propriæ notæ argumenta nequaquam in eo reprehendi possunt, quòd non rectè concludant. sed est demonstrandum id non esse uerum, quod dicitur. si uerò certum est esse uerum, & esse propriam rei notam; nullo modo potest labefactari. Contrà autem argumentando, hoc est, per demonstrationem soluuntur argumenta, cum probatur contrarium. uerum reprehensio non est enthymema, sed nihil aliud est, quàm opinionem aliquam in medium afferre, qua perspicuum sit, non sequi rectè conclusionem, aut aliquid sumptum esse, quod falsum sit.

ARISTOTELIS STAGIRITAE, RHETORICORVM LIBER III.

M. ANTONIO MAIORAGIO Interprete.

Elocutionem multum ualere in omnibus, sed plurimum in arte rhetorica: itemq; actionem, & pronuntiationem.



VM tria sint, quæ in doctrina dicendi pertractare oporteat: primum unde probationes ducantur, alterum qua sit utendũ elocutione tertiũ quõ partes orationis disponendę sint: iam de probationibus dictum est, et ostẽsum, quot sint illa, ex quibus ducantur: diximus enim esse tria, atque ea, quæ sint explicuimus, & cur eum numerum non excedant; omnes enim, qui de aliqua re iudicaturi sunt, uel quia ipsi affecti sunt aliquo modo, uel quia putant eos, qui dicunt dignos esse, quibus fides habeatur, uel quia claris argumentis probatum est, in persuasionem inducuntur, dictum est etiam, unde trahantur enthymemata: sunt enim, quæ dicuntur enthymematum species; sunt etiã

qui loci nominantur. Reliquum est, ut de elocutione di camus. neque enim satis est ea tenere, quæ dicēda sunt sed etiam scire oportet, quomodo sint dicenda: hoc enim multum etiam prodest ad efficiendum, ut oratio bene morata uideatur. Ac primo quidem ut ordo naturæ postulat quęsitum est id, quod re ipsa primū erat, unde res ipsæ probabilitatem habeant, secundo loco quęsitum est, quomodo in oratione, & elocutione res inuentę disponantur. tertium id est, quod horum omnium uim habet maximam, sed nondum a quoquam pertractatum est, quod ad actionem, & pronunciationem facit. quæ res etiam a tragicis, atq; epicis poetis sero animaduersa est: nam initio poetæ ipsi tragœdias suas agebant. Perspicuum est autem, etiam in arte dicendi tali aliquid esse, quod ad actionem pertinet, quale in arte poetica. de qua re cum alij quidā studiose pertractarūt, tum præcipuè Glauco Teius. Est aūt actio in uoce posita: qūo, s. uocem ipsam uariare opus sit, ad singulos animi motus exprimendos: nā aliquando magna, aliquādo parua, aliquādo media opus est: et quomodo sonis uocis, et acuto, et graui, & flexo sit utendum: quibus pręterea numeris in unoquoque dicendi genere. Tria sunt enim, quæ considerant ij, qui in hoc studio uersantur, hoc est, magnitudo, sonus numerus, quibus qui bene utūtur, ij ferè solēt ex certaminibus uictoriā reportare. &, quēadmodum in arte poetica plus hoc tempore ualent histriones, quam poetæ, sic etiam in ciuilibus controuersiis, quod uitio fit Rerump. nondum tamen de ijs, quæ ad actionem spectant, ars ulla conscripta est, quod non

mirum

mirum est; cum etiã illa, quibus ornatur oratio, serò in lucem uenerint. Et sane, si quis recte reputet, tota res leuis ac reijcula: uerum cum omnis ars dicendi ars opiniones hominum accommodetur, ei curam, & studium impendere debemus, non tanquam recte, honesteque rei, sed tanquam necessariæ: nam certe æquum erat, ut nihil aliud in oratione quæreretur, quã ut ijs, qui audiunt, nec molestiam, nec lætitiam adferemus. iustum est enim, ipsis tantum rebus in iudicio contendere. cætera uero omnia, quæ præter probationes adhibentur, superuacanea sunt, sed tamen, ut antea dictum est, propter auditoris uitium plurimum ualent. Quin eloquendi ratio, genus que dicendi quiddam necessarium habet in omni disciplina: aliquantum enim interest ad rem explicandam, hoc, an illo dicendi genere quis utatur non tamen tantum, quantum in hac arte. uerum hæc ex opinione pẽdent, & auditoris gratia quæruntur: itaque nemo geometriam hoc modo docere instituit. Ars igitur illa, cum in lucem uenerit; idem efficiet, quod ars histronica. quidam tamen hactenus nonnihil de ea præcipere tentarunt, ut Thrasymachus in Miserationibus. Atque hoc quidem, quod ad agendum attinet, a natura potius habetur, & paruo eget artificio; quod autem ad ornandam orationẽ, spectat, id iam artis indiget. quare qui hoc facere possunt, eodem modo uictoriam ex contentionibus reportant; sicut oratores illi, qui plurimum in actione ualent; nam, quæ scribuntur orationes magis ornatu ipso uerborum, quam sententijs ualent.

Cum tria sint] hæc nobis præcepta tradit Aristo. Primum de elocutione illud dicendum est, non satis esse ea tenere, quæ dicenda sunt: sed etiam scire oportet, quonam modo sint dicenda: hoc enim multum confert ad efficiendum, ut oratio bene morata uideatur. Deinde actio, & pronuntiatio in arte dicendi plurimum ualet. est autem actio in uoce posita, quomodo scilicet uocem ipsam uariare oporteat ad singulos animi motus exprimendos. tria uerò sunt, quæ considerant ij, qui in hoc studio uersantur, hoc est, magnitudo, sonus, & numerus: quibus qui bene utuntur, ij ferè solent ex certaminibus uictoriam reportare. Præterea æquum erat, ut hoc tantum in oratione, quæreretur, ut non molestiam, nec uoluptatem auditoribus adferemus: sed probationes diceremus: cętera enim omnia superuacanea sunt: sed tamen propter auditoris uitium plurimum ualent. Præter hæc in omni disciplina necessarium est dicendi genus, & eloquendi ratio: aliquantum enim interest ad rem explicandam, hoc, an illo dicendi genere quis utatur; non tamen tantum, quantum in hac arte. uerum id, quod ad actionem attinet, à natura habetur, & paruo eget artificio: quod autem ad ornandam orationẽ spectat, id iam artis indiget.

De elocutione aliquid primum poetæ tractauerunt deque ipsius differentijs.

COEPERUNT *autem primi poetæ, sicuti consen-*

sentaneũ est, aliquid de elocutione tractare: sunt enim nomina simulacra quædam: atque in nobis nulla pars est, quæ magis, quàm uox, ad imitandum apta sit: unde etiam artes confectę sunt, ut epica, & histrionica atque alię. Et, quoniam poetæ, qui plerunque res insulsas proferunt propter elocutionem, gloriam, & honorem acquisiuisse uidebantur; ideo factum est, ut elocutio poetica primum probaretur, qualis est Gorgiæ. quinetiam hoc tempore multi imperiti homines existimant, taleis oratores optimè loqui: sed hoc minimè uerum est alia est enim oratoria, alia poetica elocutio; quod ex ipso euentu potest intelligi. neque enim qui tragœdias conscribunt, adhuc eo dicendi genere utuntur: sed, quemadmodum tetrametros uersus relinquerunt, & ad iambos se contulerunt; eo quòd ex omni metrorum genere iambicum est orationi solutæ simillimum; sic etiam ea uerba reliquerunt, quæ a communi loquendi consuetudine abhorrent, & omnem illum ornatum abiecerunt, quo pisci poetæ tragici utebãtur, et quo adhuc utuntur ij, qui uersus heroicos pãgunt. Itaque ridiculum est, eos imitari, qui ipsi non amplius eo dicendi genere utuntur. Quare perspicuum est, non esse nobis omnia diligenter explicanda, quæ ad elocutionem attinent; sed tantum quæ ad elocutionem oratoriam, de qua sermonem instituimus: nam de illa altera diximus in ijs, quæ de arte Poetica sunt a nobis pertractata. maneant igitur illa firma.

Cœperunt autem primi poetę] oratio rhetorica est, in qua ab oratore nec de necessarijs, hoc est, de uerisimilibus, nec de utilibus, quæ

sunt præter rem ad persuadendum quicquã prætermittitur. In oratione uerò duo sunt præcipue aduertenda, elocutio,& structura. elocutio autem diuiditur in essentiales, atque accidentales differentias. essentiales pertinẽt ad demõstratiuum, genus deliberatiuum, & iudiciale. accidẽtales uerò sunt agonisticum, siue concertatiuũ, & historicum. Essentialibus aũt elocutionis differentijs necessario insunt hæ qualitates: mediocritas, dilucidítas, frigiditas, metaphora, imago, latinitas, siue congruentia, amplitudo, uel extenuatio, decorum, numerus, pendentia, conuolutio, & urbanitas. structuræ porrò orationis partes per se sunt propositio,& fides: necessariæ uerò per accidens sunt exordium,& peroratio. partes, quæ in fidem recidunt, sunt collatio, & repetitio. Cæterum quo ad elocutionis differentias spectat, qualitates necessariæ omnibus orationũ generibus, & sine quibus nulla prorsus rhetorica oratio consistere potest, duæ sunt: mediocritas uidelicet,& perspicuitas: nam, cum nomina simulacra quædam sint, atque in nobis nulla sit pars, quę magis, quàm uox, ad imitandũ sit apta; elocutionis uirtus est splẽdor. cuius rei signum est; ꝙ nisi oratio sit clara,& aperta; finem suum non assequentur. sed nec humilis, nec nimis elata esse debet, uerum mediocris, id est, ipsis rebus cõueniens. humilis quidem, atq; deiecta elocutio rebus philosophicis est accommodata: philosophica enim oratio ẽ ueluti uirgo grauis,

& speciosa, quæ nulla agitatione, nullaque con tẽtione eget. elata uerò & ampullosa oratio poe tica est, quę rhetoricæ non conuenit: excedit.n. elocutio poetica rhetoricæ orationis metam. sit igitur inter has media elocutio rhetorica: nam nec deiectam esse, nec elatam decet: sed rebus popularibus congrua.

Elocutionem perspicuam esse debere, non tamen humilem, nec elatam.

Hoc autem in loco definitum sit, elocutionis uirtutem esse splendorem, cuius rei signum est, quod, nisi oratio sit clara, & aperta; finem suum non assequentur. Sed nec humilis, nec nimis elata esse debet, uerum ipsis rebus conueniens: nam poetica locutio non humilis quidem est, sed tamen solutę oratione non conuenit. Ex nominibus autem, & uerbis illa præcipuè dilucidam orationem efficiunt, quæ propria sunt: non humilem autem, sed excultam, & ornatam alia reddunt, de quibus in arte Poetica dictum: nam uerborum immutatio facit orationem uideri grandiorem. Quemadmodum enim erga peregrinos, & erga ciueis affecti sunt homines; ita etiam erga orationem. quare peregrinam reddere oportet orationẽ. res enim externas homines admirantur, quod autem gignit admirationem suaue est. Ac in poetarum quidem scriptis multa sunt, quę hoc efficiunt: sed ibi ea cõueniunt: nam res, & personæ, de quibus agunt poetæ, ualdè a

cæteris

cæteris remotæ sunt, sed in oratione soluta multo paucioribus uti licet ornamētis: cum ēt ipsum argumentū multo sit inferius: quam enim esset indecorū, si seruus, aut ualdè iuuenis elegantiori sermone uteretur, aut, cū quis de ualdè exiguis rebus uerba facit? est.n. etiam in soluta oratione decorum, quod & contrahi, & dilatari debeat. Quare danda est opera, ut id clàm fiat: ne uideamur fictè, atque artificiosè dicere, sed ut nobis dictat ipsa natura; sic enim erit probabilis oratio. illo uerò modo totum accidit contrarium: nam oratorem, tanquam insidiatorem, suspectum habent non aliter, atque permixta uina. Debet igitur esse oratio, qualis esse Theodori uox uidebatur, ad aliorum histrionum uocem comparata: nam eius ipsius qui dicebat, illa esse uidebatur, uoces autem reliquorum aliena. Facile uerò artificium occultatur, siquis è communi sermonis consuetudine uerba seligens, orationem suam componat: quod Euripides obseruat, & primus hanc rationem ostendit. cum autem è nominibus, & uerbis oratio constituatur, & nominum tot sint species, quot in arte Poetica declaratū est, rarius orator, & paucioribus in locis uti debet peregrinis, & iunctis nominibus, & fictis. ubi uerò liceat uti, postea dicemus. cur autem ijs abstinere debeat, iam dictum est: nempe quia magis, quàm oporteat, orationem immutant. Propria uerò tantum nomina, & sua, & translata ad solutam orationem exornandam sunt utilia. cuius rei signum est, quòd his solis omnes utuntur: nam in loquendo translatis, & suis, & proprijs nominibus quilibet utitur. Quare dubium esse

non

non potest, quin siquis hoc rectè fecerit, consequatur, ut & peregrina uideatur eius oratio, & ars lateat, & apertè dicat; quæ locutionis oratoriæ uirtus est. Ex nominibus ea, quæ sunt ambigua sophistę conueniunt; ex eis enim fallaciter concludit: quæ uerò cognominata sunt, poetę sunt utilia: uoco autem propria, & cognominata, ut eo, & proficiscor: nam hæc ambo propria sunt, & inter se cognominata. Quid igitur hæc singula uerba sint, & quot sint traslationis species, & quem fructum poetę, & oratori ferant translationes, dictum est (ut antea monuimus) in arte Poetica.

Ex nominibus autem, & uerbis illa præcipuè dilucidam orationem efficiunt] propria nomina, ac uerba, inquit Aristo. dilucidam reddũt orationem. propria uerò sunt, quæ non inusitata: non ficta nisi rarò, paucisque in locis, ubi metaphoricis, atque similitudinarijs utendum est: quæ non æquiuoca, quæ non synonima. Inusitata uerò non conueniunt rhetoricæ elocutioni; eo quòd grauiorem reddant orationem, atque admirabiliorem, perinde ac peregrini, & alienigenæ nobis admirationem adferunt, conciues uerò paucam. & in causa est consuetudo. res enim externas homines admirantur: quod uerò admirationem gignit, suaue est. uerum talia poetis competunt: satis enim est rhetoricæ orationi persuasionem efficere, quæ in usitatis relucet. Ficta autem non competant, sed quę innata: etenim innata uerisimilem, ficta uerò

contra-

contrarium, hoc est, suspectam reddunt orationem. innata sunt, quæ nobiscum nascuntur, ficta, quæ ex alienis, siue locis, siue temporibus originem ducunt, attamen, si qua uti arte uolueris, occultanda est. facile uerò occultatur, si quis è communi sermonis consuetudine uerba seligens, orationem suam componat. & propterea orator rarius, & paucioribus in locis uti debet peregrinis, & iunctis nominibus, & fictis. ubi uerò liceat uti, postea dicemus. Aequiuoca non sint: quia oratio fieret ambigua, obscura, atque multiplex. synonima non conueniunt, ueluti ensis, mucrò, & gladius: si quidem ea non rhetoricæ elocutioni, sed poeticæ sint propria. utimur tamen quandoque synonimis, cum uerbum unum non abunde demonstrare nobis uideatur rei dignitatem, aut magnitudinem. atque hoc pacto plurimum habet ponderis: ut, si dicamus, prostrauit, afflixit, perculsit. alio uerò minimè: sed in diuersis clausulis uti licet, & ornatè quidem.

Ad solutam orationem exornandam utilia sunt propria nomina, & sua, & translata.

TANTO *autem maiorem industriam in trãsferendis nominibus oratio soluta postulat, quantò pauciora ad exornandum adiumenta, quàm uersus, habet, cum præsertim orationem dilucidam, & iucundam, & peregrinam translatio faciat, neque eam ab alia re quisquam accipere possit. Oportet autem*

&

& addita ad nomen, & translationes accommodatas sumere. hoc autem fiet, si proportio conseruabitur sin minus indecorum apparebit; contraria nanque inter se collata maximè perspiciuntur: sed uidere oportet, sicuti iuueni purpura, ita seni quid conueniat; neque enim eadem eum uestis decet. Et si quem exornare uolueris ab eis, quæ sunt in eodem genere præstantissima; translationem sumere debes: si uerò uituperare, ab eis, quæ sunt deterrima. dico autem hoc modo, quoniam contraria sunt in eodem genere, ut, si quis dicat, mendicantem deprecari, deprecantem uero mendicare, quoniam utrunque est petere, certè id faciet, quod ante dictum est. quemadmodum Iphicrates Calliam uocabat metragyrtem, non autem daduchum. significabat enim eum non esse initiatum, nam eum non metragyrtem, sed daducũ appellasset; ambo enim hæc nomina sunt ministrorũ magnę Deæ sed alterum honestum est, alterũ abiectum; & eos, qui Dionysii sodales erant, alij Dionysij adulatores, ipsi se artifices appellabant, hæc autem ambo trãslata sunt, sed alterum sordidorum est hominum, alterum contra. & prædones hoc tempore se lucrifactores uocãt, quare licet eum, qui se iniustè gessit. dicere lapsum esse; qui uerò lapsus est, iniustè se gessisse, & eum, qui furatus est, sumpsisse, aut depopulatum eße. Illud autem, quod apud Euripidem Telephus ait, remis imperare, at in Mysiam ascendens, indecorum est; maius est enim imperare, quàm conueniat, itàque non latet, Est etiam interdum in syllabis ipsis error, cum non iucundæ uocis signa sunt, ut Dionysius cognomento

minus exprimunt. Trãslationes igitur hinc ducendæ sunt, hoc est, a rebus honestis uel sono, uel potestate, uel aspectu, uel alio aliquo sensu: plurimum enim interest, siquis auroram dicat, ut Homerus, roseam, & si purpuream, &, quod adhuc est deterius, si rubram. quinetiam in eis, quæ nominibus adiunguntur, licet a deteriori, & turpiori additamentum sumere, ut Orestes matricida, licet etiam ab honestiore, ut patris ultor. & Simonides, cum illi paruam mercedem traderet is, qui mulabus uictoriam consecutus fuerat; noluit eum carmine suo celebrare, tanquam indignum putaret, in mulas carmen condere. postquam uerò iustam illi mercedem tribuit; ita canere cœpit.

Saluete o uolucrum filiæ equorum.

atqui etiam asinorum erant filiæ. Possunt etiam ipsa nomina diminui. est autem dimunitio, quæ uel bonum, uel malum minus uideri facit: ut Aristophanes in Babyloniis cauillatur; cum pro auro dicat aurulum, et pro uestimento uestimentulum, & pro conuicio conuiciolum. Cautè uerò rem utranque tractare oportet, & in utraque modum seruare.

Tantò autem maiorem industriam in transferendis nominibus oratio soluta postulat] Propria uerò tantum nomina, & sua, & translata ad solutam orationem exornandam sunt utilia. id argumento fit, quòd his solis omnes utuntur nam in loquendo translatis & suis, & proprijs nominibus quilibet utitur. sed oratio soluta tantò maiorem in transferendis nominibus desiderat curam, quantò pauciora ad exornandum adiumenta

iumenta, quā uersus, habet: cū potissimū metaphora orationē efficiat dilucidā, iucundā, & peregrinam: neque eam ab alia re quispiam accipere possit. uerum quid sit metaphora, siue trāslatio, quot fiat modis, quæ postulet, ut accommodata sit, dicamus. Methaphora est à propria significatione ad non propriam aut similitudinis, aut decoris, aut necessitatis, aut cultus, aut emphasis gratia facta translatio: ueluti, cum Achillem appello leonem. fit autem metaphora ab animatis ad animata, ut declarat exēplum: aut ab animatis ad inanimata, aut ab inanimatis ad animata, aut tandem ab inanimatis ad inanimata. sed, ut congrua, & idonea fiat; sex requiruntur. primum, ne fiat nisi ex his, quæ inter se habent proportionem. secundum, ut rei, ad quam transfertur secundum decus accommodata sit, quemadmodum uestis quæ iuueni purpurea conuenit, seni nigra, uel alterius coloris. tertium, cum laudare uelis, à melioribus: cum uituperare, à peioribus ducenda est metaphora. quartum, cum per communia transfertur, uel ut alij legunt, cum in syllabis ipsis error fit, cum non iucundæ uocis signa sunt: ut, si appelletur poesis stridor Calliopes: quoniam ambæ uoces sunt. quintum, non est longe repetenda, sed à propinquis similitudinibus, & ab his, quæ sunt eiusdem generis, siue analogiæ. sextum à rebus pulchris, ac speciosis duci debet translatio. nominis

minis autem pulchritudo consistit, aut in sono, aut in significatione: uel in signo:& turpitudo similiter: nam pulcher sonus pulchram rem significat: itemque significatio: Orestes enim honestius dicetur patris ultor, quàm matricida: idq; dum laudare uelis: contrà, cum uituperare, matricida. sic uolucrum filiæ æquorum appellantur mulæ, si eas laudes: contrà asinorum filiæ: huic loco competit nominis diminutio, quæ uel bonum, uel malum minus uideri faciat; ut, si pro auro aurulum dicas, pro conuicio conuiciolum. hæc si diligenter obseruata fuerint, dubium esse non potest, quin si quis hoc rectè fecerit; consequatur, ut et peregrina uideatur oratio, & ars lateat, & apertè, & dicat: quæ locutionis oratoriæ uirtus est.

In elocutione quo modo sit uitanda frigiditas: & quot modis elocutio dicatur frigida.

QVATVOR autem modis elocutio frigida fit; primo in coniungendis nominibus: ut Lycophron cælum appellauit multiforme, & terram magniceruuicam, & litus augustiuium, & Gorgias adultorem uocauit prochomusum, dixit etiã epiorchisaytas chai cha, teyorisantas, id est, peierantèis, & deierantèis, et quemadmodum alcidamas. Furore quidem animus plenus, igninoma uero facies erat. et, Finiferentẽ exi stimauit eorum alacritatem futurã; &, Persuasionẽ orationum statuit esse finiferetem. &, Cærulicolorẽ maris planiciem. quæ omnia propter duplicationem

uideatur esse poetica. Atque hæc una quidem est frigidæ locutionis causa. Altera uero est, cum quis peregrinis uocibus utitur: ut Lycophrō Xersem pelorium hominem appellauit. dixit etiam. Sciron sinnis homo & Alcidamas dixit, Athyrma poesis, & Naturæ atastaliam &, Mera animi incensus ira, punctusque.

Tertius modus frigidæ locutionis est, cum quis epithetis uel longè petitis, uel intempestiuis, uel crebris utitur: nam in poesi, lac album, dicere conceditur, at uero in soluta oratione sunt indecentia huiusmodi epitheta. Quædam etiam, si quis crebius utatur; artem detegunt, planumque faciunt, eam esse poesim, qua quidem uti oportet; quoniam quotidiani sermonis consuetudinem immutat, & elocutionem peregrinam facit. sed mediocritate opus est, quoniam, si modum excedit, maius est uitium, quam si quis ex tempore loquatur, nam subita dictio uirtute caret, nimis autem ornata uitiosa est. Qua propter Alcidamantis oratio frigida uidetur, qui non tanquam condimentis, sed tāquam cibis, utitur epithetis, adeo crebra, & magna, & aperta usurpat. non enim sudorem; dicit, sed humidum sudorem, neque Ad Isthmia, sed Ad Isthimorum celebritatem, neque leges. sed ciuitatum reginas leges neque cursu, sed Animi impetu cursorio, neque museum, sed inquit. Cum naturæ museum accepisset, & tristem animi curam, neque gratiæ, sed Popularis gratiæ fabricator, & dispensator uoluptatis audiētium, neque ramis sed syluæ ramis occultauit, neque Corpus uelauit, sed Corporis pudorē, et cupiditatē animi repræsentraticem hoc aūt, & iunctum est, & epithe

ton,

ton,quare poema fit:& ita immensam improbitatis exuperantiam.Itaque cum poetico more loquantur, quia rem indecoram faciunt, & ridiculi, & frigidi fiunt.& propter loquacitatem incidunt in obscuritatem:quicquid enim inculcatur ei,qui iam rem percipit,splendorem adimit,& tenebras offundit. Solent autem homines uulgò iunctis uti nominibus,cum alicui rei nomen non est impositum,& facilis est compositio,ut chronotriuim,quòd est tempus fructà consumere.sed hoc frequentius fiat,erit omnino poeticum. quare iuncta nomina dithyrambicis poetis sunt aptissima:sunt enim maximè consonantia:uoces autem externæ poetis heroicis conueniunt; habent enim in se granditatem,& maiestatem.at uerò trãslatio iambicis apta est quo metri genera nunc utuntur,aut anteà dictum est.

Quartus modus frigidæ locutionis fit in translationibus.sunt enim etiam indecorę translationes, & hæ quidem propter ridiculum:nam etiam comici poetæ translationibus utuntur:ille uerò proptet nimiã granditatem tanquam tragicæ,sunt. Quinetiam obscuræ fiunt,si longè petantur: ut Gorgias, Pallida, atque exanguia negocia. Tu uero hæc turpiter seminasti, malè autem messuisti.nimis enim poeticę dicta hæc sunt.& quemedmodum Alcidamas,philosophiam esse legum propugnaculum,& Odysseam esse pulchrum humanæ uitæ speculum,& nullum huiusmodi ludicrũ poesi adferens. nam hæc omnia sunt aliena a fide facienda propter ea,quæ dicta sunt. Illud uerò Gorgiæ contra hirundinem, quæ superuolans cibi reliquia in

eum demisit, optimè poetæ Tragico conueniret: dixit enim turpe tibi o Philomela: nam, qui quidem licet id effecerit, non turpe fuit: uirgini uerò turpe fuisset. sci tè igitur conuicium fecit, dicens id, quod fuerat, non autem quod est.

Quatuor autem modis elocutio frigida fit] frigiditas quonam pacto in elocutione sit uitanda, exponit Aristo. sed primum declarat, quot modis contingere posſit elocutioni frigiditas: & asserit quatuor modis. uerum frigiditas hoc loco id significat, quod naturæ non consonat, atque alienum est, & contra id, ad quod res est instituta, ueluti si in templo ciuilia tractaremus negocia. primo igitur modo fit frigiditas nominum compositione, ut Lycophron, qui cœlum appellauit multiformæ, & terram magniceruicam. secundo, cum quis uerbis extraneis, ac peregrinis utitur, ut qui Xersen peloriummontem appellauit. & hæc ad poesim pertinent. tertio autem cum epithetis uel longè petitis, uel intempestiuis, uel crebris quis utitur: nam in poesi lac album dicere conceditur, at in soluta oratione minimè. nec crebriora: quia artem detegunt: sed mediocritate opus est. quarto modo frigiditas accidit metaphorarum inconuenientia: aut quoniam sunt ridiculæ: quibus comici utuntur: aut quoniam nimium grandes, & elatæ: quibus tragici: aut quoniam obscuræ sunt: quia longè petitæ, quibus usus fuit Gorgias, ubi dixit, pallida, atq; exanguia negotia.

gotia. hæc omnia poetica sunt,& paruum credibilia: & idcirco à soluta oratione aliena.

Imago quid sit, & quantũ à metaphora differat.

IMAGO uerò etiam ipsa translatio est; parum enim ab ea differt: nam, cum poeta de Achille, Dicit, Tanquam leo irruebat, imago est, cum autem, Leo irruebat, est translatio: quoniam enim ambo fortes sunt translato nomine Achillem uocauit Leonem. Vtilis est autem imago etiam in soluta oratione. sed ea rarò utendum, quoniam magis poetas decet, usurpandę uerò sunt imagines eo modo quo translationes. nihil enim aliud sunt, quàm translationes, modo tantum, quo dixi, differentes. Sunt autem imagines huiusmodi, ut Androtion contra. Idrieum dixerit, eum similem esse canibus, qui uincti catenis domi tenentur: nã illi soluti postea in omnes incurrunt, sic Idrieum uinculis solutum, factum esse acriorem. & Theodamas Archidamum dicebat Euxeno geometria priuato, esse similem. hac igitur proportione etiam Euxenus erit similis Archidamo, geometria aucto: & id, quod est in Platonis Politia; eos, qui mortuorum corpora spoliant, catellis esse simileis, qui lapides quidem mordent, sed eos, qui iecerunt, non attingunt. &, quod de poulo dixit; eum esse similem nauclero ualido quidem sed surdastro. et, quod de poetarum uersibus, quos adolescentibus nulla pulchritudine præditis, dixit esse simileis; nam illi quidem cum defloruerint, hi uero si dissoluãtur; nequaquã simileis esse uidentur. &, quod

Pericles de Samijs dixit, eos simileis infantibus esse, q cibum quidē capiunt, sed tamen plorant: & de Beotijs, quod similes sint ilicibus, quæ se uicissim frangūt, ita Bœotios inter se præliari. & Demosthenes dixit, propulum esse ijs similem, qui in naui nauseant. & Democrates nutricibus oratores comparabat, quæ cibos ipsæ deuorant, saliua uerò pueros inungunt. & Antisthenes Cephiso dotum, tenuem, ac gracilem hominem, thuri dixit esse similem, quod, cum absumitur, lætitiam adfert, has enim omneis, & tanquam imagines, & tanquam translationes proferre licet. Quare quæcunque probantur cum tanquam translationes prolatæ fuerint. perspicuum est, etiam imagines esse posse: nam imagines nihil aliud sunt, quàm translationes, quæ orationis conformatione indigeant, uerum semper oportet eam translationem, quæ a proportione ducitur, ab utraque parte sibi respondere, atque in rebus eiusdem generis fieri: ut, si phiala clypeus Bacchi dicitur, etiā clypeus rectè Martis phiala uocabitur. Ac oratio quidē ex ijs, quæ dicta sunt, cōponitur.

Imago uerò etiam ipsa translatio est] Imago autem parum à metaphora differt: nam, si dicis, Achilles tanquam leo irruit; imago est: cum autem leo irruebat, translatio. ergo methaphora est imago, & imago metaphora non differentes, nisi additione notę similitudinis. utilis uerò est imago etiam in soluta oratione: sed ea raro utendum; quoniam magis poetis competit. modicus autem eius usus, & opportunus orationi splendorem addit; frequens uerò ob-

scurita-

ſcuritatem, & tędio hominem replet; tranſit.n. in ænigmata. quapropter perſpicuum fit imagines eſſe metaphoras, nota comparationis ſolum addita. ſed quemadmodum ſemper oportet metaphoram fieri ex his, quę ab utraque parte ſibi reſpondent, atque his, quæ eiuſdem ſunt generis ſaltem analogici; ſic imago ſumenda eſt in utraque comparationis parte ex proportionabilibus, & ſimilibus; ut ſi phiala, clypeus, Bacchi dicitur aptè etiam clypeus Martis phiala uocabitur; nam, ut phiala eſt clypeus bibentium; ſic clypeus eſt phiala belligerantium.

Elocutionis fundamentum eſt emendatè loqui: emendata locutio quæ, & quot deſideret.

INITIVM *autem, & fundamentum elocutionis, eſt emendatè lebui, quod ex qninque præcipuè rebus conſtat. Prima cura eſt in coniunctionibus, ut quis eas ſicuti natura poſtulat, uel antè uel poſt in ordine collocet; ut inter ſe reſpondeant: ut, Ille quidem, & Ego quidem; Poſtulat uerò, & ille uerò. ſed eas oportet ita inter ſe reſpondere, ut facilè memoria comprehendi poſſint: quod fiet; ſi non nimis longo interuallo diſiunctæ fuerint. Neque opus eſt coniunctionem ullam aliam ante coniunctionem neceſſariam collocare; nam hoc paucis in locis conuenit: ut, Ego uero, poſtquam mihi rem narrauit, uenit enim ad me Cleon rogans, atque obſecrans, profectus ſum, eis in ſocietatē aſſumptis. nam in his uerbis multæ coniunctiones inter-*

terposit ę sunt, antequam necessaria coniunctio reddatur: &, si magnum interuallum eßet inter initium, et illud uerbum profectus sum; esset obscura locutio. Atque hic quidem unus est emendatè loquendi modus in coniunctionibus. *Alter modus est, cum proprijs, ac suis nominibus res appellantur, non autem circunscribuntur. tertius, cum ambigua uitantur; nisi fortasse quis id dedita opera faciat, hoc autem faciunt ij qui, cum nihil habent, quod dicant; aliquid tamen dicere uideri uolunt. huiusmodi enim homines poetico more talia proferunt, quod etiam Empedocles facit: nam circuitus ille uerborum, cum longus sit, facilè decipit, et auditores ita afficiuntur, sicut imperita multitudo cum ariolos audit ambigua loquenteis. temere enim assentitur: ut,*

Crœsus Halim penetrãs, magnam peruertet opũ uim. nam arioli de omni negocio generatim loquuntur; sic enim omnino minus peccatur: qui enim par impar ludit; multò facilius potest, si uel paria, uel imparia esse dixerit, quàm si certum numerum explicare uoluerit: ita, qui dicit aliquid futurum, facilius diuinabit, quam qui explicuerit, quando sit futurum. quo fit, ut uates non adiungant, quando. Hęc enim omnia similia sunt, quare, nisi fiant alicuius rei gratia; sunt fugienda. Quartus modus est, cum genera distinguuntur, quod Protagoras fecit, qui dixit, alia nomina esse uirilia, alia muliebria, alia neutra. hæc enim etiam accuratè seruanda sunt: ut, Illa autem reuersa, & collocuta discessit. Quintus modus est, cum res multas, & paucas, & singulas rectè quis appellat

pellat;ut.Hi,cum acceßissent,me percußerunt.Omnino uerò quod scribitur huiusmodi esse debet,ut & legi,& proferri facilè possit.quod eodem modo fit. hoc autem non habet ea locutio.in qua multæ sunt coniunctiones: &,quæ non facilè distingui,atque inter pungi potest,qualia sunt Heracliti scripta: magna enim difficultas est,scripta Heracliti notis,atque interpunctionibus distinguere; quia dubium,est cuinam parti uerba hæreant,posteriori ne,an priori.quod ex huius operis initio.intelligi pōt, ubi ita inquit: Rōnis eius, quę uerè est, semper, imperiti sunt homines. incertū est enim,utri parti illud aduerbium,semper, sit applicādum.Præterea fit solœcismus,cū nō redditur unicuique uerbo quod exigit, nisi fortè inter se cōiungantur eo uerbo,quod utriq; cōuenit:ut,Strepitum,& colorē non benè dixeris, uidens,quia non est commune;sed, sentiens,quod est commune.Fiet etiam obscura locutio,nisi initio posueris id,quod multis interpositis posteà dicendum est,ut Paraueram, postquam cum eo collocutus fuissem hęc,& hæc,& hoc modo discedere, rectius ergo dixeris.Paraueram discedere,postquam collocutus cum eo fuissem hæc,& hæc, & hoc modo.

Initium autem,& fundamentum elocutionis est emendatè loqui]Emendata locutio ex quinque potissimum cōstat.prima animaduersio est in coniunctionibus,quæ ante, uel post in ordine collocentur,ut inter se respondeant: ut, animalium aliud quidem rationale,aliud uerò irrationale.hęc congrua est elocutio.incongrua autem

eſt animalium aliud uerò rationale, aliud quidem irrationale. coniunctiones igitur propoſitiones, pronomina, aduerbia, epitheta, & interiectiones cũ nominibus, & uerbis, & participijs, et inter clauſulas ita ſunt diſponenda, ut elegantia præcipit. deinde hæc oportet ita inter ſe reſpondere, ut facile memoria comprehendi poſsint. quod fiet, ſi non nimis longo interuallo diſiunctæ fuerint. ſecundus modus emendatè loqui eſt, cum orator proprijs, & ſuis nominibus res appellauerit, non autem diſcriptionibus; niſi fortè propria deſint: tunc enim modeſtè circunſcribenda ſunt. Tertius, cum ambigua uerba, atque aliæ partes uitantur, niſi quis id conſultò faciat: nam ille uerborum circuitus longus facile decipit auditores. Quartus eſt, ut genera diſtinguat. nominum, ut Protagoras fecit, hoc eſt, in maſculina, fœminina, & neutra. Quintus eſt, ut quod ſcribitur, huiuſmodi eſſe debet, ut & legi, & proferri facile poſsit. quod quidem contingit, ſi oratio multas non habeat coniunctiones, & clauſulas: atque ambæ hæ benè, ac facilè diſtinguantur. contrarium uerò accidit, ſi multæ, atque indiſtinctæ, ac præterea ſi copules inconuenientia; ut, ſtrepitum, & colorem uidit; rectius enim diceres, ſentit, uel audit, & uidet. & is dicitur ſoloecimus, qui fit, cum non redditur unicuique uerbo, quod exigit. difficile tandem legitur, ſi ordinem turbes uerborum: ueluti ſiquis dicat. Paraueram, poſtquã cum eo

locutus

locutus fuissem hæc,& hęc,& hoc modo;discedere.rectius uerò dixerit. Paraueram discedere,postquam &c.

Locutio ampla quatuor fit modis, totidemque breuis.

Ad locutionis autem amplitudinem,& granditatem hæc proderunt:primum,si definitionem loco nominis ponas,exempli gratia,si non circulum dicas, sed figuram planam,cuius extremitas paribus à medio radijs attingitur.qui uerò breuitati studet,is contrà nomen loco definitionis ponat. Quod siquid acciderit obscœnum,aut parum decorum:id si erit in definitione,nomen usurpabimus:si autem in nomine; definitionem.

Erit etiam grandis oratio,quę translationibus,et epithetis illustrabitur;modo ne in poeticam licentiā exeat: &, si ex uno pluraq fiant,quod poetę sæpe faciūt;ut,quamuis unus tantū portus sit;tamen dicunt,
Intra portus Achaicos,& illud.
Luctu scatenteis,has tibi do epistolas.
&,si nomina non coniuugantur,sed separatim singula proferantur; ut. Eius mulieris, quæ nostra est; & contra breuiter hoc modo. Nostræ mulieris, &, si in dicendo copulæ adiungantur, nam contrà breuius dicitur detracta copula modò ne dissoluta sit oratio, ut, Eo profectus sum,ac disserui, et .Eo profectus, disserui. Atque etiam illa Antimachi ratio utilis est:nempe ea commemorare, quæ rei non adsunt.quod ille facit in celebrando colle Theumeso; ut.

ut, Est quidam modicus, collis, uento perflatus: nam hoc modo infinitè potest oratio amplificari. Quæ ratio in utranque partem utilis, est hoc est, & in bonis, & in malis, quæ non adsunt, commemorandis. unde etiam poetæ nomina cōfixerunt achordon, & alyron, hoc est expertem chordæ, & expertem lyræ quas appellationes a priuatione sumpserunt. quę res in eis potissimum translationibus nomen habet, quæ ex proportione ducuntur; ut, siquis diceret, tubam esse sonum. lyræ expertem.

Ad locutionis autem amplitudinem, & granditatem hæc proderunt,] Ampla, & breuis fit oratio quatuor modis: etenim ampla fit, si definitionem loco nominis ponas: breuis uerò, si nomen pro definitione scribis. secundò ampla fit, si translationibus, & epithetis illustrabitur. uerum caue, ne in licentiam exeas poeticam. aut si nomina non coniungantur: ueluti, ea mulier, quę nostra est, uel mulier mea, & tua. contrà breuis eris, si epitheta, & translata ommittas: ac præterea pronomina, atq; copulæ: uelut mulier nostra, uel mulieres nostræ. Tertiò amplitudinem facies, si quæ sunt affirmata per nęgationem explices; ut non parū molestę adfert, uel nihil aliud est homo, nisi animal rationis particeps. breuitatem uerò efficies contrà. quarto grandis fiet oratio si ea commemores, quæ rei non adsunt: ut, Est quidam modicus collis, uento perflatus.

Ad orationis decorum tria sunt necessaria.

DECORVM *autem illa seruabit oratio, quæ motus animi miscebit, & quæ mores exprimet, & quæ subiectis rebus conueniet. Erit autem rebus conueniens; si neque de rebus amplissimis tenuiter, & summisse; neque de tenuibus rebus grauiter, & amplè quis dixerit. Sed neque abiecto nomini ornatus est adhibendus, alioqui comœdia uidebitur. quod crebro facit Cleophon. taliam enim quædam profert, ac si diceret Venerandam ficum. Motum animi miscebit oratio irarum plena, cum de aliqua contumelia agetur. Quod, si impia, & Turpia facta tractanda sunt id cum indignatione, cauteque, & quasi timidè facien dum, si uero laudabilia; cum animi uoluptate, si miserabi lia; demissè, atque humiliter, & in cæteris eodē modo. locutio enim rebus accommodata ad persuadendum plurimum ualet: nam animus auditoris in errorem trahitur, qui ea uerè dici putat: quoniam in eiusmodi rebus, ita se homines habent. Quare, licet ita se res non habeat, ut orator dicit: tamen ita se habere putant. atque auditor semper eodem modo afficitur, quo orator; etiam si non uerè dicat, qua de causa multi oratores ita uehementer commouent auditores, ut eos quasi attonitos reddant. Quin hęc a signis ducta demonstratio benè morata est: quoniam singula hominum genera, singulosque habitus sua quædam propriaque consequitur oratio. genera autem intelligo singulas ætates, ut puer, uir, senex, & mulier, & uir, & Lacon, uel Thessalus. habitus uerò intelligo, qui-*

bus uita hominum informatur. non enim quolibet habitu uita conformatur. qui igitur habitui nomina accommodabit, mores etiam affinget orationi: neque enim eadẽ, aut eodem modo impolitus, atque agrestis homo diceret, quæ politus, & bonis artibus excultus. Afficiuntur etiam auditores ea ratione, qua ad satietatem usque utuntur ij, qui orationes scribunt. Quis autem nescit? Omnes intelligunt: assentitur enim auditor, ueritus, ne quod cęteri omnes intelligunt, ipse solus ignoret. Hac autem ratione & tempestiuè, & intempestiuè ut licet; sicut etiam reliquis præceptorum generibus. sed omnis exuperantiæ remedium est id, quod uulgo dicitur. Oportet ipsum se sua uoce corrigere: tunc enim uerum uidetur, quoniam ipsum oratorem non latet id, quod facit. Neq; seruanda semper est proportio, ut omnia consentanea uideantur, sic enim fallitur auditor. Dico autem, ut, si nomina dura fuerint; non semper etiam dura uoce, & uultu, & reliquis, quæ consentanea sunt, utatur is, quis dicit: alioquin aperta fient omnia, neque quicquam latere peterit. si uerò aliquid seruatum fuerit, aliquid non; non tegitur artificium, cum tamen idem faciat: ueruntamen si mollia duriter, aut si dura molliter proferantur fide prorsus carebit oratio. Qui autem commouere animos uelit, ei maximè conuenient epitheta, iuncta nomina, & peregrina. Ignoscitur enim irato, si dixerit, se passum esse malum usque ad cælum extensum, aut admodum uastum: & quando iam orator auditores obsederi, atque extra se rapuerit uel laude uel uituperatione, uel ira, uel amicitia, aut etiam Isocrates facit

cit in Panegyrico in extrema parte, cum ait. Famam autem, & illud. Qui quidem tolerarunt. nam, extra se rapti oratores huiusmodi uerba fundunt. quæ qui audiunt, eodem pacto affecti recipiunt, atque approbant quare etiam poesi conueniunt, cum poesis res quædam diuina sit. Vel igitur hoc modo, uel cum ironia licet huiusmodi uerba usurpare: sicut Gorgias faciebat, & in Phædro Socrates.

Decorum autē illa seruabit oratio] tria sunt ad orationis decorum necessaria: nempè, ut sit affecta, morata, & his rebus, de quibus orator loquitur, accommodata. erit autem rebus conueniens, si non sit humilis in rebus amplissimis, atque arduis: si non sit grauis in rebus tenuibus, & ampla: si enim abiecto nomini ornatus adhibeatur; comica uidebitur. talis est. Veneranda ficus. Affecta uerò est elocutio, quæ mouet auditores: ueluti cum de contumelia agitur; nostra oratio sit irarum plena. si impia, & turpia facta tractemus; id cum indignatione est faciendum. sic in cęteris eodem modo. & idcirco hæc personæ, loco, & tempori accommodata orationem reddunt uerisimilem: decipiuntur enim auditores, & eodem modo semper afficiũtur, quo orator; etiam si non uerè dicat. Afficitur etiam auditor ex modo loquendi, ut, si dicamus. Quis autem nescit? Omnes intelligunt. assentitur. n. auditor, ne ignorare uideatur. Neque semper dura nomina, dura uoce, uultu, ac reliquis, quæ cōsentanea sunt, proferet: alioquin aperta fient

omnia

omnia. Præterea qui animas commouere uelit, ei epithéta, iuncta nomina, & peregrina maximè conueniens. ignoscitur enim irato, si quod malum ad cœlum extensum se passum, uel alios esse. postquam autem uel ad laudem, uel uituperationem, uel iram, uel amicitiam commoti fuerint auditores; similia asserunt omnes, qualia orator persuadebat. Morata uerò est oratio, si auditoris accommodetur habitui, uel generi. genus hoc loco est intelligenda est ætas, sexus, natio: habitus autem intelligitur, secundum quem qualis quidam in uiuendo est, ut fur habitu furandi uiuit. præter hæc uerò si uerba generi audientium accommodata fuerint; moratum genus faciet: senex enim seni magis adhæret, iuuenis iuueni. & idcirco qui se ut iuuenis ostendit, iuuenem mouet: qui ut senex, senes. sic de habitu est dicendum. qui ostendit ut fur, mouet fures.

De orationis forma, siue figura: eaque consistit in duobus.

At uerò forma orationis, neque uersibus constare, neque numerorum prorsus expers esse debet: illud enim orationi fidem adimit, quoniam artificiosè ficta esse uidetur, & simul auditorē auertit a causa, facitque, ut attendat, & expectet, quando simile aliquid ad aureis accedat: sicuti pueri solent præconem præoccupare, quem sibi patronum adoptet is, qui manumittitur, ut Cleonem. hoc autē genus orationis, quod est numerorum expers, fine caret, neque consistit. Oportet

oportet aũ aliqua terminatione cõcludi, nõ tamen metrica: nã insuaue est, et obscurũ, q̃ nõ terminatur: oĩa uero numero finiuntur. Sed is numerus, q in orationis forma spectatur, rythmus est; cuius ẽt metra partes sunt. quo fit, ut oratio rhythmũ quidẽ habere debeat, nõ aũt uersum, alioquin esset poema: neq; tamen exquisitè rhythmũ seruare oportet, sed quadãtenus. Ex numeris aũt oratorijs herous grãdis est, et elegans, et indigens harmonię. iambus autẽ ipsa est imperitorũ oratio: ideo ex omni genere carminum, in iambica maxime loquentes incidunt. oportet autem in dicendo effici granditatem, & in admirationem inducere. At uerò trochæus cordaci aptior est: quod apertè tetrametra declarant, in quibus numerus incitatus est, & lubricus. Reliquus est pæan, quo quidem usi sunt ij, qui a Thrasymacho profecti sunt; sed tamen eius naturã non intelligebant. est autem tertius pæan, atque inter illos medius, quos diximus: est enim, ut tria, si ad duo cõferãtur. ex illis uero alter est, ut unũ ad unum. alter aũt ut duo ad unũ. harũ aũt proportionum sesquialtera media est. atq; hic pæan. Reliqui igitur, pp iam prædictas causas relinquẽdi sunt, & pręterea, quia sunt apti uersib. pęan aũt admittẽdus, nã ex hoc uno prædictorũ omniũ, uersus nullo modo cõficitur. quare maximè latet. nũc igitur uno tãtũ pæane utũtur, atq; ĩ orationis principio. sed a principio finẽ differre oportet. Duę uerò sunt pæanis species inter se contrariæ, quarum altera principio conuenit, sicuti etiam utuntur: atque is est pæan, cuius prima syllaba longa est, tres uerò postremæ breues sunt: ut. Delogena, siue Ly-

tiam, & Auricome nate Iouis . alter autem contrà, cuius tres primæ breues sunt, postrema longa, ut Domuerant, Sonipedes, atque hic benè concludit; breues enim syllabæ, quoniam est imperfecta, mutilatam, ac mancam efficit orationem. itaque sententiam oportet longa syllaba terminari: atque ipsum finem notum esse, non scriptoris opera, neque propter aliquam appositam notam, sed propter numerum, Iam igitur declaratum est, numerosum esse oportere orationem, non autem extra numerum: & qui numeri tales eam faciant quoque modo sint in ea collocandi.

At uerò forma orationis,] Nunc de forma elocutionis dicamus: est enim schema figura orationis, quatenus per illam consonat oratio. Consistit autem orationis schema in duobus: ut scilicet non sit metrica, & ut non sit absque rhythmo. metrum est pedum iunctura, numero, modoque finita. rhythmus uerò pedum, & temporum iunctura sine modo. Non sit igitur elocutio metrica; quia esset poema: atque hoc pacto uiderétur ficta. deinde quoniam metrica oratio uocum consonantiam potius respicit, quàm uerborum sententiam. Non sit absque rhythmo; propterea quòd oratio absque numero est quasi interminata: & idcirco insuauis, & obscura. finiatur igitur rhythmo non exquisitè, sed quadantenus. ex rhythmis autem eligatur pœan, cuius duæ sunt species: altera principium orationis respicit, altera finem. sed de clausulis intermedijs quonam modo numerosæ, & quo ordine constituendi

tuendi ſint, non docet Ariſt. diſputant autem de his Quintilianus, & Diomedes grammaticus. Quintilianus in clauſulis compoſitionem eſſe affirmat. atque hanc in clauſularum ordine, iunctura, & numero conſiſtere aſſerit.

Elocutio duplex, pendens, & conuoluta. & quid una quæq; harum ſit, & quid periodus, & quot.

ELOCVTIONEM *uero duplicem eſſe neceſſe eſt, uel tractam ac pendentem, quæ copulatione fit una, quales ſunt dithyramborum cantiones, uel ambitu comprehenſam, & ſimilem ueterum poetarum antiſtrophis. Sed tracta, ac pendens elocutio priſcorum eſt, qua Herodotus Thurius in hiſtoria utitur, atque eo tempore ferè omnes utebantur, nunc autem perquàm pauci. Voco autem tractam, ac pendentem elocutionem, quę nullum ex ſe finem habet, niſi res, quæ exponitur, ad finem peruenerit. quæ ſanè eſt iniucunda: quoniam infinitè fertur: omnes enim uidere finem exoptant, quapropter curſores, cum ad flexiones peruenerunt, uehementer anhelant, & penè deficiunt, cũ anteà non laborent; quia metam proſpiciunt. Ac tracta quidem, pendensque oratio talis eſt. Ambitu uerò comprehenſa eſt, quę periodis conſtat. periodum uoco orationem, quæ principium, & finem ex ſeſe habet, & eam magnitudinem, quæ facilè perluſtrari poſſit. Huiuſmodi autem oratio ſuauis eſt, & facilè percipi poteſt. & ſuauis idcirco eſt, quia eſt illi contraria, quę infinitè fertur: & quia ſemper auditor aliquid ſe tene*

re existimat, cum semper aliquid conclusum, ac determinatum accipiat: contrà uerò nihil præuidere, nihilque absolutum habere, est iniucundum. facilè autem percipitur; quia memoriæ facilè mandari potest. & hoc accidit; quia numerum habet in periodis, quod omnium maximè aptum est ad recordandum. atque hæc causa est, cur omnes facilius carmina, quàm solutam orationem recordentur: quia numerum habent, qui ea metiatur. Oportet autem in periodo sententiam etiã ipsam finiri, nõ autem abrumpi: quod fit in illis iambicis Sophoclis.

Hęc est quidem Calydon solum potitus est,
Quo olim Pelops.–

fit enim quandoque, ut, si periodus diuisa fuerit; sensus contrarius eliciatur, sicut in prædicto exemplo potest quis suspicari, Calydone in Peloponeso esse. Duplex autem est periodus; nam altera membris constat altera simplex est. ex membris constat ea locutio, quę perfecta est, & distinctas parteis habet, & spiritum dicentis non impedit, non ipsa diuisione, sicut in prædicta periodo; sed in toto ambitu. membrum uero est altera periodi pars. Simplicem periodum eam appello, quæ ex uno membro constat. Oportet autem & membra ipsa, & periodos neque mutilas esse, neque longas: nam quod mutilum est, ac paruum, sæpe cogit auditorem offendere, atque hærere: necesse est enim, ut, cum auditor adhuc ultrà tendit animo, & ad mensuram illam termini, quem in se ipso concepit; cessante oratore, quasi retro trahatur, & quasi obice quodam impeditus, offendatur. Longæ uerò periodi deficere

re cogunt auditorem:quemadmodum enim ij,qui spacia conficiunt,& ultra statutum terminum progrediuntur,eos post se relinquunt, qui unà deambulabāt ita longæ periodi iam in orationem exeunt,& lyricorum cantionibus similes fiunt.quare idem hac in re cōtingit. quod Democritus Chius Melanippidi per iocū obiecit:cum ille pro antistrophis anabolas usurpasset.

Vt nocet illi sibi,alium qui lædere quærit;
Sic carmen longum uati ipsi pessima res est:

hoc enim ipsum etiam in eos aptè dici potest, qui longis membris delectantur:contrà uero,quæ breuiora, quam opus sit, habent membra, ne periodi quidem sunt: nam ipsum auditorem præcipitem rapiunt.

Elocutionem uerò dnplicē esse necesse est] elocutio duplex est,pendens,& conuoluta, siue ambitu comprehensa. pendens oratio appellatur,quæ finem non habet: uel quoniam animū quasi suspensum tenet: uel quia nimio desiderio eum afficit, uel dubium redidit. quapropter est iniucunda,& insuauis. Conuoluta, siue ambitu comprehensa est,quæ periodis constat.periodus latinè dicitur clausula, quæ compositio est,ubi plena sentētia est: habet enim per se principium,& finem,magnitudinemq; mediocrem: atque hanc ob rem est suauis,& dilucida. suauis est; quia interminato,ac suspenso contraria est: & quoniam semper aliquid se tenere putat auditor.dilucida est;eò quòd sensus in ipsa non inciditur,sed concluditnr, facileque memoriæ man

 datur.

datur. Cæterum duplex est periodus, siue clausula: altera membris constat, altera simplex est: est membrum una particularum, & particula est oratio, quam logici simplicem propositionem uocant: ut, homo ambulat. huiusmodi uerò clausula, quæ pluribus constat mẽbris, requirit hæc: ut uidelicet sit absoluta, distincta, & spiritum dicentis non impediat in toto ambitu: maxima enim est ea clausula, quæ uno spiritu uix explicari potest. Clausula uerò, quæ unius est membri, non est unum membrum: nam membrum est breuis quædam particula, sed est longior. oportet præterea & periodos, & membra neque mutila esse, neque longa: offendit enim & præcipitẽ rapit auditorem mutilum, & paruum: longum uerò deficere cogit.

Periodus, quæ plura continet membra, est duplex, libera, & opposita. contentio, compar, & similiter cadentia quæ.

Elocutio uero, quæ membratim profertur, partim distincta, ac libera est: partim opposita, ac sibi mutuo respondens distincta, ut illa Isocratis. Sæpius admiratus sum eos qui celebritates congregarunt: & eos, qui gymnica certamina constituerunt. opposita uerò, ac sibi respondens est illa, cum uel in utroque membro contrariũ est alteri contrario constitutũ, uel idem membrum e contrarij constat. Nam ijs, qui secuti sunt, multo plura, quam domi possidebant, acquisiuerunt.

ſiuerunt: ijs uero qui domi remanſerunt, ſatis agri, quo ſe alerent, reliquerunt, hæc enim ſunt contraria remanere, & ſequi: plura, & ſatis itaque & pecuniarum egentibus, & frui uolentibus: nam acquirere, & frui inter ſe opponuntur. & illud, Sæpe accidit in eiuſmodi rebus ut prudentes aberrent, & inſipientes rectè gerant: Statim quidem præmia fortium uirorum obtinuerunt, ſed ita multò poſt imperium maris acquiſiuerunt: Terram quidem nauigaſſe, maria uerò ambulaſſe. Helleſpontum quidem iunxit, Athonem uero perfodit: &, Qui natura ciues eſſent, legæ priuati ſunt ciuitate: ex eis enim alij malè perierunt, alij turpiter ſeruati ſunt: Priuatę quidem ſeruis uti barbaris, publicè uerò negligere, ſociorum multos ſeruos eſſe. Vel uiuenteis habere, uel morienteis relinquere: & quod in Pitholaum; & Lycophronem quidam in iudicio dixit. Hi, cum domi eſſent; uos uendebant: poſtquam ad nos uenerunt; ipſi empti ſunt. in his enim omnibus id eſt, quod anteà diximus. Iucunda uero eſt huiuſmodi locutio: quoniam cõtraria maximè nota ſunt &, cum inter ſe conferuntur; ſiunt etiam notiora: &, quia ratiocinationis formam præ ſe fert, elenchus enim nihil aliud, eſt quam contrariorum collectio, atque hęc quidem exornatio contentio uocatur. Compar uero dicitur: cum æqualia membra ſunt, Aſſimilatio uocatur; cum extremæ partes utriuſque membri ſimiles ſunt. Neceſſe eſt autem hoc uel initio, uel in fine fieri. Atque initio quidem nomina ſemper ſimilia ſunt: in fine uerò ſimiles ſunt extremę ſyllabę, uel eiuſdem nominis caſus, uel nomen ipſum. Initio igitur

fiunt hoc modo. Agrum enim accepit ægrum ab eo. Placati donis, pacatique ore fuerunt: in fine uerò hoc modo. Non putarunt hoc ipsum sibi peperisse, sed eius causam fuisse. In cura quidem plurima, in spe uerò minima. casus autem eiusdem nominis hoc modo. Dignus uerò statua ærea, non dignus ære. idem nomen hoc modo. Tu illi, cum uiueret; dicebas malè, & nunc in eum scribis malè. fit etiam in una extrema syllaba: ut. Quodnam passus esses malū; si hominem uidisses ignauum? Possunt etiam interdum hæc omnia coniungi; ut idem sit & contentio, & compar, & similiter desinens. Principia uerò periodorum in libris ad Theodectem, ferè sunt a nobis enumerata. Sunt etiam quædam falsę, simulatęque cōtentiones: ut Epicarmus fecit. Interdum enim ego cum illis eram, interdum uero apud illos. Et, quoniam de his iam satis diximus; sequitur, ut aperiamus, unde urbana, & præclara dicta deducantur. ac illam quidem conformare, uel ingeniosi hominis est uel exercitati: uiam autem, ac rationem ostendere, disciplinæ huius proprium est. De illis igitur dicamus, atque enumeremus omnia; sed hinc potissimum exordio sumpto.

Elocutio uerò, quæ membratim profertur] Periodus, quę plura cōtinet mēbra, altera distincta est, ac libera, & sine aliqua oppositione: ut. sępius admiratus sum eos, qui celebritates congregarunt: & eos, qui gymnica certamina constituerunt. hæc quidem oratio non opposita est; cum eius membra contraria non sint. altera opposi-

ta.opposita uerò est clausula, cum in utroq; eius membro contrarium ad contrarium refertur: ut.sæpe fit, ut stolidi fœliciter, prudentes uerò infœliciter agant. Et nauigauit per terras,pedibus fuit per maria. Et,aut uiuos amplifices, aut mortuos derelinquas. Potest etiam clausula opposita esse, cum idem utrisque contrarijs adiungitur:ut,fit sæpe, ut prudentes, & imprudentes fœliciter agant. Et utrisque utilitatem attulerunt, & his, qui remanserunt: & his, qui secuti sunt.Omnes quidem hæ clausulæ oppositæ sunt suaues,& delectabiles: quoniam contraria maxime nota sunt: &, cum inter se conferuntur, fiunt notiora.tertiò quia est elencho syllogismo similis: elenchus enim est contrariorum collectio. Ex his periodis,quæ nullam tenent oppositionem, alia est, quæ dicitur compar. hæc fit, cum membra sunt æqualia uel in principio, uel infine.atq; in initio nomina semper similia sunt: infine similes sunt extremæ syllabę,uel eiusdem nominis casus, uel nomen ipsum: ut,si parentib. est benefaciendum; præceptoribus est benefaciendum. In syllabis. erat in cogitatione maxima,& in spe minima.In dictione. Eo uiuo dicebas malè, & mortuo scribis malè. Contentio, compar,& similiter cadentia aliquando in eandem concurrunt periodum:ut.si amicis est bene faciendum; inimicis est malefaciendum.Repe riuntur quandoque falsæ contentiones, ut illa. Interdum ego cum illis eram, interdum uerò

apud

apud illos. hæc contentio falsa est: quoniam esse apud illos, & esse cum illis idem est.

Vrbana, & præclara dicta unde ducantur, tribus uidelicet.

NATVRA *hoc insitũ est omnibus, ut, cum aliquid facilè discunt, uoluptatem sentiant. nomina uerò semper aliquid significant. Quare quæcunque nomina rei alicuius notitiam nobis inserunt, ea iucundissima sunt. ac peregrina quidem uocabula nobis ignota sunt propria uerò iam cognita. translatio igitur maximè efficit: cum enim quis senectutem appellat stipulam, nobis inserit cognitionem, ac notitiã propter genus. hæc enim ambo uiriditatem amiserunt. Quinetiam poetarum imagines idem efficiunt. quare si benè positæ fuerint, urbanus sermo uidetur, est enim imago, sicut anteà dictum est, translatio, quæ tantum adiunctione differt. atque ideo minus est iucunda; quia longius protrahitur, neque dicit hoc illud esse, quod animus auditoris quærit. Necesse est etiam eam elocutionem, atque illa argumenta urbana esse, quæ nos in alicuius rei cognitionem celeriter ducunt. quare neque argumenta illa probantur, quæ patent, atque in promptu sunt. dico autem esse in promptu, quæ sunt omnibus nota, & quę non indigent, ut quærãtur, Neque illa probantur, quæ cum exposita sunt; adhuc tamen ignorantur: sed illa, quæ cum exponuntur; statim nos in cognitionem ducunt, etiam si prius nihil sciremus, uel quæ paulò post cogitatione percipiuntur; hoc enim modo gignitur in nobis cognitio, sed illo, quem suprà*

diximus

diximus, nequaquam. Atque in sententia quidem eorum, quę dicuntur, talia potissimum excellunt argumenta. in locutione uerò conformanda, si contraria contrarijs opponantur; ut. Cum alijs omnibus communis sit pax; tamen existimant suis priuatis rebus utilius esse bellum: bellum enim paci contrarium est. in uerbis erit urbanitas, si translata fuerint; modò ne translatio sit aliena, quæ non facilè perspici potest: neque uulgaris, quæ nihil commouet, sed quæ rem oculis subijcit: magis enim oportet res uidere, quæ fiant, quàm quę fieri posteà debeant. Tria igitur hæc sunt consideranda, translatio, contentio, euidentia, cum autem translationum genera sit quatuor; illæ maximè excellunt, quæ fiunt ex proportione: quemadmodum Pericles dixit de iuuentute, quæ in bello perierat, sic e ciuitate sublatam, ut, si quis uer ex anno tolleret. & Leptines de Lacedæmonijs dixit, non oportere pati, ut Grecię alter oculus erueretur. & Cephisodotus, cum Chares Olymbiaci belli tempore uellet administrationis suæ rationis reddere; id agrè ferens dixit, eum, cum in furno populum inclusum haberet, uelle reddere rationes. idem, cum Athenienses aliquando hortaretur, ut in Eubœam irent frumentatum; dixit, oportere Milciadis decretum in expeditionem proficisci. & Iphicrates, postquam Athenienses cum Epidaurijs, & omni ora maritima fœdus percussissent; id ægre ferens dixit, ipsos belli uiatica sustulisse. & Pitholaus eam nauem, quæ Paralus uocabatur, dixit esse clauam populi. Sestum autem arcam Piræi frumẽtariam. & Pericles Aeginam tolli iubebat, quæ esset

ſet Piræ lippitudo, & Mærocles, cum probum quendam hominem appellaſſet; dixit, ſe illo non eſſe improbiorem: illũ enim ternis uſuris improbitatem exercere, ſe uerò denis. & illud Anaxandridæ iambicum de filiabus ſuis quę nubendi tempus tranſierant.

O uirgines uos non ſtetiſtis nuptijs.

& Polyeucti in quendam Speuſippum hominem corpore attonitum; eum non poſſe conquieſcere quamuis a fortuna in penteſyringo morbo colligatus eſſe. & Cephiſodotus triremeis uocabat, piſtrina uaria. Cynicus autem cauponas uocabat, Attica phiditica. Aeſion uerò dixit, Athenienſeis in Siciliam ciuitatem effudiſſe. atque hæc quidem translatio eſt, & ſubiectio ſub oculos. Et illud. Ita ut Græcia clamorem ediderit, quodammodo translatio eſt, et ſubiectio ſub oculos. & quemadmodũ Cephiſodotus admonebat, ut cauerẽt: ne multas hoſtiles irruptiones facerẽt in concionibus. & Iſocrates apud eos, qui in celebritatibus cõcurrunt, et in funebri oratione, ęquũ eſſe, ut in ſepulchro, quo ſepelirentur ij, qui in Salamine occcubuerant, Græcia tunderetur; quoniam unà cum eorum uirtate etiam libertas Græciæ ſepeliebatur: nam, ſi dixiſſet æquum eſſe, ut Gręcia lugeret, cum unà cum eis uirtus ſepeliretur, eſſet translatio, & ſubiectio ſub oculos. cum uerò dixerit, unà cum eorum uirtute etiam libertas Græcię, eſt etiam quædam contentio, &, quẽadmodum dixit Iphicrates. Iter orationis meæ fiet per medias res a Charete geſtas: hęc enim translatio eſt a proportione. & quod addidit, per medias rem oculis ſubijcit: &, qui ita dicit, pericula conuocanda

ſunt,

sunt, quę periculis auxilium ferant, translatione utitur, quæ rem oculis subijcit. et Lycoleon pro Chabria. Neque eius æneam statuam reuerebimini, quæ uobis pro illo supplicat? translatio nanq; fuit illo tempore sed non semper, uerum semper est subiectio sub oculos nam eo periclitante supplicat imago, ita que inanime fit animatum. Quod est commentarium rerum è ciuitate gestarum? Et illud translate dictum est. Omni studio meditātes, ut spiritus frangant, atque humilia sentiant: nam meditari est quodammodo augere. & illud. Deus mentem in animo lumen accendit, utrunque enim aliquid illustrat: neque enim bella dissoluimus, sed differimus; ambo enim futura sunt, & dilatio, & huiusmodi pax: & dicere, fœdera trophæū esse multò pulchrius, quàm ea, quæ in bellis statuuntur; quoniam trophæa minutis sæpe rebus gestis, & uno fortunæ impetu ponuntur: fœdera uerò omni bello, ex sententia confecto, translatio est; hęc enim ambo sunt insignia uictoriæ. & illud. Ciuitates propter hominum uituperationem graui pęna multantur; nā multari pęna, est detrimentum ex legibus accipere. Ac urbana quidem dicta duci a translatione, quæ fit ex proportione, & subiectione sub oculos, declaratum est.

Dicendum est etiam quid sit subiectio sub oculos, & quomodo ea fieri possit. Dico autem ex eis nominibus constare subiectionem sub oculos, quæ res eas significant, quæ aliquid agant: ut, si quis dicat hominem probum esse quadratum, translatio quidem erit: nam ambo perfecta sunt, sed tamen nullum actum significat.

gnificat.illud uero, qui florentem ætatis uigorem habeat, actum exprimit, & illud. Te uero tanquam solutum, ac liberum, actum continet, & illud.

Hinc concitati cum impetu Græci ruunt.
concitati enim & actus, & translatio est.quo genere multis in locis Homerus usus est: nam per translationem, quæ inanimata sunt animata, esse, dicit. Sed ex omnibus ea maximè probãtur, in quibus actus exprimitur, sicut in illis

Ille pudore uacans, interum lapis ima petebat, et,
-uolat ecce sagitta;
-cupiens attingere;- &,
Stant terrę defixa, optanteque in corpore figi
Spicula;- &,
Atque cuspis pectus pertransit plena furoris,
in his enim omnibus, quoniam animata finguntur, actus apparet: nam pudore uacare, & furore quodã agitari, & alia sunt actus. Hæc autem inter se copulauit per translationem ex proportione: sicut enim se habet lapis ad Sisyphum, sic impudens ad eam rem cuius ipsum non pudet. hac eadem ratione utitur etiã in probatis imaginibus in eis, quę sunt inanimata.

Curuæ albescentes nunc hinc, nunc inde recurrunt.
fingit etiam omnia moueri, ac uiuere. est autem ipse actus quædam imitatio. Translationem autem ducere oportet, ut antea dictum est a propinquis rebus, non tamen perspicuis, quemadmodum in philosophia solertis acutique hominis est, cernere, quid in rebus multum inter se distantibus, simile sit sicut Archytas dixit, idem esse alterum, & aram, quoniam ad utrunque

que

que is, qui iniuriam accepit, confugere solet: uel, si quis diceret, anchoram, & cremastram idem esse, ambo enim idem efficiunt, sed in eo differunt, quod alterum inferne, alterum superne pendet, & adæquatas esse ciuitates in multum distantibus rebus, idem ualet: nam & in superficie, & in potestate est æqualitas. Maior autem pars urbanorum dictorum a translatione, & ab errore quodam proficiscitur; magis enim perspicue res intelligitur, cum aliter quis existimabat: nam tunc animus secum dicere uidetur. Quam uerum hoc est? sed ego decipiebar. Quinetiam apophthegmata, quæ sunt urbana, ex eo gratiam habent, quod aliud significant, quam uerba dicant; ut illud Stesichori. Quod cicadę apud eos humi cantabunt, & uoces, quæ acutè formantur in ænigmata, propter eandem rationem iucundæ sunt: nam in eis est cognitio, & translate dicuntur. Id etiam suaue est, quod ait Theodorus, res nouas dicere. Fit autem cum præter opinionem id fuerit, & nullo modo (sicut ille ait) consentaneum opinioni, quam de eo prius habebant: sed quemadmodum in ridiculis leuiter immutata, delectare solet: quod idem etiam faciunt cauillationes, quæ mutatis fiunt literis, quæ res in uersibus etiam decipit, cum aliud dicitur, quam auditor expectat; ut ingrediebatur autem, sub pedibus habens pernitiones: illæ uerò putabat, calciamenta uelle dici. Hoc autem oportet statim, ut prolatum est, perspicuum esse. Ridicula uerò quæ ex literis nascuntur, efficiunt, ut non dicatur id, quod dici uidetur, sed id, quod inuersum nomen significat, ut illud Theodori in Niconem citharœdum.

dum,Thratti se:fingit enim dicere,Conturbat te;sed in errorem inducit:nam aliud intelligit.quare iucundum fit ei,qui postea rem intelligit: quoniã nisi Thracem esse existimaret,nõ urbanum dictũ esse putaret: et illud.Vult ipsum depopulari.sed aduertẽdũ est, ut ambo commodè dicantur.Idem accidit etiam in urbanis dictis,ut siquis diceret.Atheniensibus maritimũ principatum non fuisse malorum principium; quoniam profuit:uel quemadmodum dixit Isocrates imperium ciuitate fuisse malorum principium:nam utroque modo id dictum est,quod quisquam dici non existimasset, et cognitum est esse uerum:nam dicere principiũ esse principiũ,nihil hẽt,quod argutũ sit.uerũ nõ ita ait,neq; negat id quod principiũ dixerat, sed alio modo.In his.n.omnibus siquis nomen cõmode protulerit,in quo uel trãslatio sit, uel ambiguitas,tũc benè sese hẽt:ut. Intolerãdus nõ intolerandus; ambigue dixit.uerũ fit cõmode semp;cũ uerbũ iteratur,et illud.

Hospes non poteris fieri, quàm sis,magis hospes.
uel,non magis,quam te oporteat:nam idem,est,uel.
Non decet hospitẽ semper esse hospitẽ: nã hæc quoq; diuersa sunt. hanc uim habet etiam illud Anaxandridæ celebre dictum. Pulchrum est sanè mori prius quam quicquam morte dignum generas:nam idẽ est, ac si dixisset. Dignum est mori; quando quis non est dignus mori:uel,ita dignum est mori, cum quis nõ est dignus morte:uel cum quis non facit,quæ morte digna sunt.Et forma quidem locutionis in his omnibus eadem est:sed quantò breuius, magisque cõtrarie prolata fuerint,tantò fit elegantior oratio.causa uerò est

quia contrariæ res, propè collocatæ rem melius intelligi faciunt, & breuitas temporibus celeriorem gignit scientiam. uerum oportet, ut semper adsit, uel in quem dicantur, uel elegans dicendi ratio. siquidem id, quod dicitur, uerum esse, non autem inane uideri debet. alterum enim eorum sine altero habere potest; ut. Mori oportet, nihil in uita delinquentem, sed urbanum non est. Dignam oportet dignum uxorem ducere, at urbanitate caret: sed urbanum erit, si utrunque simul habuerit; ut. Dignum est, mori, quando quis non est morte dignus. Quinetiam uerò plura coniuncta habuerit, tanto fiet urbanior oratio: ut, si nomina translata fuerint, & ea translatione, quæ probatur, & contentio, & compar adhibeatur, & euidentiam habeat. Atq; et imagines, ut iã suprà dictũ est, sunt excellẽtes quodãmodo trãslatione; semper. n. ex duobus constãt, sicuti trãslatio, q̃ fit ex proportione, ut, clypeum diximus esse Martis phialã, & arcũ esse citharã sine fidibus. quæ cũ ita proñtiãtur; nõ est simplex trãslatio: sed cũ dicimus, arcũ citharã, & clypeũ phialam; tunc est simplex. Atq; hoc etiã modo finguntur imagines; ut, simię tibicinem esse similem; & stillanti lucernæ lusciosum: ambo enim contrahuntur. benè uerò fiunt imagines; cum in eis inclusa est metaphora: licet enim uti imagine dicentes, clypeum esse Martis phialã: & parietinas esse pallium attritum ædificij; &, Niceratum eße Philoctetẽ demorsum a Pratye: quemadmodum Thrasymachus assimilauit eũ, cũ uidißet Niceratum à Pratye superatum in heroicis uersibus componendis, adhuc sordidatum esse, & incompta coma,

In quo genere maximè exploduntur poetæ, nisi benè se gesserint; etiam si aliter fuerint excellentes. dico autem, ut cum quispiam ita inquit.

Distorta, ut apium crura prodens gerit;
Sicut Philammon, iuga gerens cum Coryco.

Atque huiusmodi cætera sunt imagines. quòd autem imagines sint trãslationes iam sæpe dictum est. Et prouerbia sunt translationes a specie ad speciem; ut, si quis domum importet aliquid; unde cõmodum speret, & ex eo postea damnum accipiat, ut Carpathius leporem: ambo enim, id, quod dictum, est pertulerunt. Vnde igitur urbana dicta ducantur, iam dictum est, &, cur ea tantum oblectent. Quinetiam superlationes ingeniosæ quædam translationes sunt: ut in eum, qui sugillatis faciem inquinatam habeat. Existimauissetis eum esse mororũ calathum; est enim quidam rubor in sugillato, sed modus non seruatur. quin etiam imago, in qua dicitur, tanquam hoc: aut illud, est superlatio, quæ dicendi genere tantum differt.

Sicut Philammon, iuga gerens cum Coryco:

Putauissetis ipsum Philammonem præliari cum Choryco:

Distorta, ut apium, crura prodens gerit.

Putabam eum non crura, sed apia habere, adeo distorta sunt. Habent autem superlationes puerile quidam. uehementem enim animi motum indicant. itaq; irati præcipue superlationibus utuntur.

Non mihi si tam multa daret, quam magnus arenæ est.
Pulueris, & numerus.

No

Nō ducā uxorē (mihi crede) Agamemnone notā,
Quamuis ingenio sapientem Pallada uincat.
Et pulchræ Veneri præstanti corpore certet.
hoc genere maximè utuntur Attici oratores. quare senem uti superlatione minimè decet.

Natura hac insitum est omnibus] Ad urbanum sermonem nunc accidit Arist. multa sunt, quæ elocutionem efficiunt urbanam: at uerò hoc loco tria præcipua scribit Aristo. sed in Rhetor. ad Alex. quartum addit. primum igitur sciendum est prisca nomina, & perigrina nihil docere: siquidem ea non intelliguntur: nec nostratia, cum manifesta sint omnino. quapropter nulla horum faciunt sermonem urbanum, nec dicuntur urbana. sed ea appellantur uocabula urbana, suauissimaque, quorum cognitio uel simul, dum proferuntur, fit; etiamsi prius non erat, uel non multò post mens ea consequitur. unde tria urbanam elocutionem faciunt, metaphora, oppositio, & principium, quod ante oculos dicitur. metaphoræ omnes cum conuenientes fuerint; discere facile faciunt, & suaues sunt, presertim si in elocutione non frequens sit earū usus, sed loco, tempore, & modis commensuratus. sed metaphora, quę sit aliena, non docet. uulgaris autem nihil commouet: sed quæ rem oculis subijcit. cum autem metaphoræ quatuor sint genera; illæ maximè excellunt, quæ fiunt ex proportione. sed ducere eas oportet metaphoras à propinquis rebus, non tamen perspicuis. maior

præterea pars urbanorum dictorum à translatione, & ab errore quodam proficiscitur. quinetiam apophthegmata, quæ sunt urbana ex eo gratiam habent: quòd aliud significant, quàm uerba dicant. id etiam suaue est, cum præter opinionem aliquod dictum fuerit, & nullo modo consentaneum opinioni, quā de eo prius habebāt. quod idem etiam faciunt cauillationes, quę mutatis fiunt literis. quæ res in uersibus etiam decipit, cum aliud dicitur, quàm auditor expetat. Ridicula uerò, quæ ex literis nascuntur, efficiunt, ut non dicatur id, quod dici uidetur; sed id, quod in uersum nomen significat. Quantò uerò plura coniuncta habuerit, tantò fiet urbanior oratio: ut, si nomina translata fuerint, & ea translatione, quę probatur: & contentio, & compar adhibeatur: & euidentiam habeat. atque etiam imagines sunt excellentes quodam modo translationes: semper enim ex duobus constant, sicut trāslatio quæ fit ex proportione. Et prouerbia sunt translationes à specie ad speciem. Quinetiam superlationes ingeniosæ quædam translationes sunt; ut in eum, qui sugillatis faciem inquinatam habeat: Existimauissetis eum esse mororum qualathum. quin & imago, in qua dicitur, tanquam hoc, aut illud, est superlatio, quæ dicendi genere tantum differt. habent autem superlationes puerile quiddam: uehementem enim animi motum indicant. itaque irati præcipuè superlationibus utuntur: ut, Non mihi si tam multa daret, quàm

magnus arenę est pulueris numerus, non ducam uxorem.

Oppositiones etiam suauissimę sunt, cum maximè nos discere faciant. hæ si proprio loco, & tempore in elocutione constituantur; suauem, & urbanam reddunt orationem. sed quantò breuius, magisque contrariè prolatæ fuerint; tantò fit elegãtior oratio. causa uerò est, quia contrariæ res propè collocatæ rem melius intelligi faciunt: & breuitas temporibus celeriorem gignit scientiam. Subiectionem uerò sub oculos ex eis nominibus constare dico, quæ res eas significãt, quæ aliquid agant: ut, uolat, ecce sagitta: Et cuspis pectus pertransit plena furoris. In his quoniam animata finguntur; actus apparet.

Vnicuique generum inesse propriam, & suam locutionem & quam.

ILLVD uero sciendum est, in unoquoque genere propriam, atque suam esse locutionem; neq;.n.eadem est locutio, quo scribimus aliquid, & qua in contẽtionib. utimur: neq; ea, quæ ad deliberatiuũ genus pertinet, eadem est cum ea, quæ ad iudiciale. uerũ utranque scire oportet: nam in altero satis est emendate loqui, in altero uero scribere: ne cogatur silere, cum quis alijs quippiam impertiri cupit. quod ijs accidit. qui scribẽdi rationem ignorant. Locutio apta scriptionibus est exquisitissima: contrà quæ contentionibus apta est; in actione maxime consistit. sed huius duæ sunt species, quarum altera ad mores, altera ad mo-

tus animi pertinet. Atque ideo histriones huiusmodi fabulas potissimum exquirunt, & poetæ taleis histriones desiderant. probantur autem ij poetæ, qui etiam in legendo delectant, ut Chæremon; nam diligẽs est, non aliter, atque is, qui orationes scribit. Lycimnius ex eorum numero, qui dithyrambici dicuntur. Quòd si inter se comparentur orationes, quę scriptæ sunt in contentionibus humiles, angustęque uidẽtur: quæ uero habitæ sunt, cum in manibus sumuntur, similes sunt imperitorum orationibus. huius autem rei causa est, quod in contentionibus illa conueniunt. itaque illa etiam, quorum uis in actione posita est, sublata actione, cum suo munere non fungantur, frigida atq; insulsa uidentur, ut quæ sunt dissoluta. Et eãdem sententiam sæpe repetere, in scribendo non sine causa damnatur: in contentionibus autem etiam oratores utuntur: sunt enim hæc actioni conuenientia. necesse est autem, ut orationem uarient, qui idem dicunt. quę res tãquam aditum munit ad actionem: Iste est, qui uos expilauit: iste est, qui decepit. iste est, qui deniq; uos hostibus prodere tentauit. quemadmodum etiam Philemon histrio faciebat in Alexandridæ Gerontomania, quando uerba faciunt Radamanthus & Palamedes, & in prologo Piorum ubi, ego, sæpius iteratur. Nam, si hæc actione non adiuuantur: fit, id quod prouerbio dicitur, Trabem gestans. sicuti etiam dissoluta, ut. Veni, occurri, rogaui, necesse est n. actionem adhibere; nec, ut, si res una tantũ dicatur, eodem habitu animi, ac sono uocis uti. Habent præterea quidam peculiare, quæ dissoluta sunt; in æquali enim tẽ-

pore

pore multa dici uidentur: nam coniunctio ex multis unum efficit: quæ, si detrahatur, perspicuum est fieri contrarium, ut ex uno fiant multa. habet igitur amplificationem. Veni, narraui, supplicaui, multa enim sunt. Videntur autem omnia negligere, quę narro, quæ dico. hoc idem etiam Homerus facere uoluit, in illo loco. Nireus, qui ex Simo: Nireus, qui Aglaiæ filius: Nireus, qui pulcherrimus: nam, de quo multa dicta sunt, necesse est etiam, ut sępius dictum sit, & si sæpius, etiam multa dici uidentur, itaque amplificauit, cum semel tantum de illo mentionem fecerit, & hac fallacia fecit, ut Nirei nomen memorię hæreat, etiam si postea nusquam illum nominet.

At uerò deliberatiui generis locutio similis est prorsus umbratili picturæ, in qua quantò maior fuerit eorum, quæ picta sunt turba, tanto longius spectatur. quare quæ exquisita sunt in utrisque, & superuacanea, & deteriora uidentur.

At in iudiciali genere, debet exquisitior esse locutio. quod, si coram uno iudice res agatur; tantò magis elaborandum est: nam minus præsidijs artis ut licet: facilius enim perspici potest id, quod causę proprium sit, & quod alienum, & contentionis studium abest. Itaque iudicium est incorruptum. Quapropter non in omnibus dicendi generibus ijdem oratores excellunt. sed ubi maximè actione opus est, ibi minimè debet esse minuta diligentia. quæritur autem actio, ubi opus est etiam uoce, & præsertim magna. Locutio igitur demonstratiua maximè idonea est ad scribendum; quoniam eius officium est, ut legatur.

secundo loco iudicialis est ad scribendum idonea.
Quod autem quidam ita locutionem distingunt: ut dicant & suauem, et magnificam esse oportere; superuacaneum est. cur enim magis eam ita quàm temperantem, & liberalem, & siqua huiuscemodi uirtus, est: nam eam suauem (perspicuum est) efficient ea, quæ dicta sunt, siquidē locutionis uirtus a nobis recte definita est: cuius enim rei gratia diximus, dilucidam locutionem esse oportere, & non humilem, atque abiectam, sed cum re conuenientem: nam, si nugatoria fuerit, non erit dilucida, neque si fuerit breuis, & concisa; sed clarum est mediū conuenire. & quæ dicta sunt suauem efficient, si bene mixta fuerit, et loquendi cōsuetudo, & peregrina uerba, & oratorius numerus, & uis persuadendi cum eo, quod decorum est. Ac de locutione quidem dictum est, & communiter de omnibus, & speciatim de uno quoque genere. Superest, ut etiam de ordine dicamus.

Illud uerò sciendum est in unoquoque genere propriam, atque suam esse locutionem] Elocutionis differentiæ duæ sunt, essentiales scilicet & accidentales. accidentales uerò sunt duæ, altera historica appellatur, altera agonistica, siue altercatiua. historica aūt dicitur, quæ parū, uel nihil ficti in se continet, ueri autem multum. hæc non opus habet, ut uoce proferatur: satis enim est, ut legatur scriptis. Altercatiua nisi uoce, & actionibus pronuntiatur, & maiori ex parte in fictis uersatur actionibus. friuolum quoddam, & frigidum uidetur genus. Altercatiua porrò in

mora-

moratam partitur, & affectam. morata dicitur: quia mores fingit laudabiles, ut persuadeat. affe cta uerò appellatur: quia gestibus incumbit, ut moueat auditores. atque hæc communis est hi- strionibus, & patronis, ac his omnibus, qui cau- sas agunt: nam hæc tota in actionibus fictis, ut moueantur auditores, posita est. & propterea hi storici nihil superuacanei dicunt, nihilque fuci habent eorum orationes: contrà altercatiuæ, & ostentatrices. uerũ his uidelicet altercatiuis tria sunt necessaria. primum, quòd, cum idem dicis, breuia necesse est illa commutare, & per uerba, & per rectam pronuntiationem: etenim hęc cõ mutatio magnam actioni uim prębet: ut, iste est, qui uestra expilauit: iste est, qui decepit. iste est, qui denique uos hostibus prodere tentauit. De- inde cum per articulos bis eadem dices dissolu- tè, sed uoce, & actione eã commutare sit opus: ut, ueni, occurri, rogaui. Postea si ambo hæc col ligas: ut, Nireus, qui ex Simo; Nireus, qui Agla- ię, filius: Nireus, qui pulcherrimus. & hic mo- dus efficit amplificationem.

At uerò deliberatiui generis] Differentias es- sentiales recenset Aristo. & inquit locutionem, quæ ad genus deliberatiuum pertinet similem es- se prorsus umbratili picturæ, in qua quantò ma- ior fuerit turba eorum, quæ picta sunt tantò lon gius spectatur: sic quantò plures fuerint audito res, tantò longius spectant ueritatem: multitudo enim rudis, & ignara maiori ex parte inuenitur.

quare

quare exquiſita, & ſuperuacanea deteriora uidẽtur.at in iudiciali genere ſit locutio exquiſitior, ac præſertim ſi coram uno iudice res agatur; iudiciũ eſt.n.incorruptũ.Demonſtratiui aũt generis locutio adſcribendũ maximè idonea eſt:cum eius ſit officiũ, ut legat; ſecũdo loco iudicialis.

Quòd autem quidam ita locutionem diſtinguunt] qui uerò alio modo elocutionem diſtinguunt, quo fecit Ariſt.ſuperuacanea dicunt. atque huiuſce ſententiæ Ariſt.rationem reddit.& ſubdit.ſi oratio prolixa ſit, aut breuis; non eſt dilucida. Et,ſi elocutio ſit trita,& peregrina uerba,& loquendi conſuetudo, & oratius numerus, ueriſimilitudo, quemadmodum decet,collocentur, ſuauis,& iucunda erit oratio.

Orationis partes duas ut minimum eſſe, propoſitum ſcilicet,& probationem.

SVNT autem orationis partes duæ; neceſſe eſt enim rem primò, de qua agitur, exponere: deinde illam argumentis confirmare. Quare,cum rem narraris, poſtea non confirmare, aut confirmare, cum rem non expoſueris,tale eſt,ut præſtari non poſſit: nam,qui argumentis utitur,aliquid confirmat: & qui rem exponit, id ideo facit, ut poſtea confirmet. horum autem alterum propoſitio, alterum probatio eſt; quemadmodum ſi quis diuideret aliquid in quæſtionem, & demonſtrationem. Nunc autem ridiculè diuidunt:narratio enim in iudiciali tantum genere uerſatur:nam demonſtratiui,& deliberatiui generis

ris, qualem ipsi uolunt, quomodo narratio esse potest uel quæ contra aduersarium dicuntur, uel peroratio quænam est in exornationibus? Proemium autẽ, & comparatio, & enumeratio tunc in deliberatiuo genere ponuntur, quando inter eos, qui sententiam dicunt, controuersia est, siquidem etiam accusatio, & defensio adhibetur, sed non quatenus est deliberatiuo. sed neque peroratio in omnibus iudicijs adhibetur: ut, si parua fuerit oratio, aut res eiusmodi, quæ facile memoria comprehendi possit: nam ex longitudine detrahi solet. Necessariæ igitur sunt partes duæ, propositio, & probatio, ac propriæ quidem hę duæ partes, sunt sed si plures fuerint; tunc erit procemiũ propositio, probatio, peroratio; nam quę ad reprehendendum aduersarium attinent, probationi subijciuntur, comparatio uero est amplificatio suarum rationum. quo fit, ut pars quædam sit amplificationis. nam qui hoc facit, aliquid confirmat. sed non procemium, neque peroratio hoc facit sed tantum reducit in memoriam. Quòd, si quis ita diuidat, ut Theodori discipuli faciebant, alia pars narratio, alia super narratio alia pręnarratio, alia reprehẽsio, alia super reprehensio, sed tunc nouum nomen ponere oportet, cum aliquam rem nouã ab aliis differentem adferimus, alioquin est res inanis, & nugatoria, sicuti Lycimnius in arte sua facit, qui nominat aggressionem, & digressionem, & ramos.

Sunt autem orationis partes duæ] De orationis partibus magna inter Rhetores controuersia est. Arist. autẽ orationis partes ut minimum

duas esse asserit: atque hę per se, ac potissimum sunt partes, & sine his nulla oratio perfecta est. alteram horum propositionem, alteram fidem appellat. quòd uerò sine his perfecta nō sit, duo bus argumentis probat, dum inquit. nisi res exponatur, & exposita probetur, nulla erit oratio: sed rei expositio propositio, siue narratio ē. probatio uerò rei expositæ fides dicitur. deinde, si res pateat, & sit breuis & momoratu facilis; nec prœmio, nec epilogo opus est: nam in eo quod res patet, exordium est superuacaneum; in eo quòd breuis, & quę in oratione continentur, facilia sunt memoratu; epilogus non desideratur. Est autem propositio, siue narratio prior fide: nam primum necesse est rem exponere, deinde expositam probare. Comparatio, & enumeratio, siue repetitio, quæ maximè orationibus iudicialis generis conueniunt, sunt fidei partes: nā qui enumerat, aliàs repetit, ad fidem faciendam in aduersarium ferit. præterea qui proprias cum aduersarij rebus cōfert; suas probat, illas improbat. quapropter & comparatio, siue collatio fidei pars est. Partes igitur orationis sex esse sentit Arist. quarum duæ sunt omni orationi necessarię, quæ sunt propositio, & fides; duæ alicui; ut cum res, de qua agitur, non pateat, & non memoratu facilis sit. & hę sunt proemium, & epilogus; ac tandē duæ, q̄ fidei sunt partes, ut collatio, & enumeratio, aliàs repetitio. harum autem primum locum tenet proemium, secundum narra-

tio,

tio, fides tertium, atq; eius partes: ultimum epilogus. cętera, quæ ad elocutionem attinent, non partes, sed qualitates, aut ornamenta appellat. uerum procemium, & epilogus non sunt ueræ orationis partes: non enim docent, sed tantum in memoriam reducunt.

Procemium quid sit, & quale unicuique competat generi, & à quibus ducatur. Insinuatio quid, & quando fiat. finis quis.

PROEMIVM *igitur, principium est orationis, sicut in poesi prologus, in tibicinis cantu produlium: nam hæc omnia principia sunt, & quasi uiæ mi nutio ei, qui pertransire uelit. At proaulium quidem simile est procemio demonstratiui generis: nam tibicines quicquid sibi uidentur bene canere posse, id præ cinentes cum sequenti cantu copulat. sic etiam in demonstratiuo genere scribendæ sunt orationes, quicquid enim uoluerit orator, initio dicere potest, deinde progredi, & cum oratione id coniungere; cuius rei omnes exemplum sibi assumunt procemium illud Isocratis in encomio Helenæ. & quamuis à proposita materia aberrarit orator; tamen illa commoditas aderit, ut tota oratio non sit unius generis. Ducuntur autem exordia demonstratiui generis à laude, uel à uituperatione, ut Gorgias in olimpico, Apud multos admiratione digni sunt uiri Græci; laudat .n. eos, qui celebritates constituerunt. Isocrates autem uituperat, quòd corporis uirtutibus præmia statuissent*

sent, sapientia verò præditis nullũ uictoriæ præmiũ posuissent. Ducuntur etiam exordia à consilio; vt, Quoniam probi viri sunt honorandi; ideo mihi Aristidem laudandum suscepi. vel, si quis dicat, se huiusmodi viros laudare uelle, qui vulgò non celebrantur; non quia fuerint improbi, sed quia, cùm fuerint egregij, tamen in tenebris latent, sicut Alexander Priami filius: nam, qui sic exorditur, consultat. Quinetiã ab ijs, quæ propria sunt iudicialis generis, exordia du cuntur, quæ personam auditoris respiciunt: vt, si de re incredibili fiat oratio, vel ardua, vel communi, ac per uulgata: tunc enim venia petenda est, vt Chœrilus, At nunc, cùm omnia iam vulgata.

Quapropter exordia demonstratiui generis ex his ducuntur: ex laude ex vituperatione, ex suasione, & dissuasione, ex ijs, quæ personam auditoris respiciunt. oportet autem vel peregrina esse, vel accommodata rei, quæ ad ipsam orationem ducunt. Procœmia verò iudicialis generis aduertendum est idem ualere, quod fabularum prologi, & heroici carminis exordia: nam principia dithyrambicorum similia sunt demonstrati ui generis exordijs: vt. Propter te, tuaque munera, atque spolia. in fabulis autem, & heroicis versibus principium est specimen orationis futuræ, vt præuideant auditores, de quibus rebus sermo futurus sit, & ne eorum animus suspensus sit: quod enim indefinitũ est, huc, & illuc vagari cogit. atqui principium tradit tanquam in manum, facit eum, qui tenet orationem, sequi, ac pcipere. Atq; hac de causa dixit Homerus. Iram diua refer, — &,

Dic mihi musa virum. – & *ille alter*,
– *esto mihi carminis auctor*,
Vt magnum ex Asia bellum processit in horas
Europæ. –



Tragici etiam poetæ docent initio, quid tota fabula cõtineatur. Quod si non statim faciant, vt Euripides; at certè in prologo prius, quàm absoluatur, id faciunt quemadmodum etiam Sophocles,
Pater mihi fuit Polybus. –
& comœdia idem seruat. Prooemij uerò maximè necessarium, ac proprium munus est, finem institutæ orationis aperire. Quare, si causa pspicua fuerit, aut parua; licebit non vti principio, reliquæ uerò species, quibus vtuntur, remedia quædam sunt, & communia. ea verò ducuntur vel ab oratore ipso, uel ab auditore, uel à causa, vel ab aduersario. Ex oratore ipso, atque ex aduersario ducuntur ea, quę ad inferendum crimẽ, & dissoluendum pertinent; sed non tamen eodem modo: nam qui defendit statim criminibus occurrere debet: qui uerò accusat, debet in peroratione criminari. reus enim, cum se insinuare contendat; necesse habet omnia, quæ obstant, remouere. quare in primis aduersarij criminationem dissoluere oportet: accusator uerò debet in peroratione criminari ut facilius auditores ea recordari possit. Quæ ad auditorem pertinent, eò spectant, ut uel eum nobis beneuolum faciamus, uel in aduersarium concitemus, & interdum, ut attentum redamus, uel contra: non enim semper prodest attentum reddere. quare multi risum conantur excitare. Ad docilitatem uerò conducunt omnia, si quis

etiam id studeat, ut uir bonus esse uideatur nam tali bus uiris se præbent attentiores. Attenti fiunt auditores propter res magnas proprias, admirabileis & iucundas. quare admonere eos oportet de huiusmodi rebus orationem esse: quòd si eos non attentos esse uo lumus; dicemus, rem esse pusillam, nihil ad eos perti nentem, molestam, ac odiosam. illud uero tenendum est hęc omnia esse extra causam posita; nam ad depra uatum auditorem spectant, & ad eum, qui libenter audit, quæ nihil ad rem faciunt: nam, nisi talis sit, nihil opus est procemio; sed sufficit id, quod causa postu lat summatim dicere: ut iudex caput illud tanquam corpus causæ totius habeat. Attentos uero facere cō mune est omnium partium, cum opus est: nam alibi magis ubique, quàm initio, remittunt animum. itaque ridiculum est, hoc initio constituere; quoniam attēti tūc maximè sunt auditores. quare quoties se se offert occasio; captanda attentio est. Mihi animum ad uertit: neque enim mea magis, quàm uestra, res agitur: &, dicam nobis acerbum facinus, nunquam alias a uobis auditum. aut non tam admirabile hoc: enim est id, quod Prodicus dixit, se cum auditores dormitanteis aduerteret, aliquid in medio sermone inserere, ex illa sua quinquaginta drachmarum demonstra tione. Quod autem ad auditorem habeantur proœmia non quatenus auditor est, haud dubium esse potest: omnes enim in proœmiis uel criminantur, uel metum disiiciunt: Dicam, o rex, non quanto studio. Quid ex urdiris? Et qui malam causam habent, uel habere uideatur; proœmijs utuntur, nam in quouis loco potius

commo-

commorari melius est eis, quàm in ipsa causa. ita que serui etiam non ad interrogata respondent, sed uerborum anbagibus utuntur, & lungis exordijs. Quomodo uerò beneuolentiam captare oporteat, antea dictum est, & de cæteris huiusmodi singulis, & quoniam bene dictum est ab Homero,

Effice, ut aduenian, diua, ad Phæaces, amicus,
Aut miserabilis;-

hæc duo diligenter consideranda sunt. In exordijs demonstratiui generis efficere oportet, ut auditores uni laudari putent se, uel genus, uel studia sua, uel aliquo alio modo. Quod enim ait Socrates in Menexeno, uerum est; Non difficile est Athenienseis Athenis laudare, sed Lacedæmone. Deliberationum autem exordia a iudiciali genere sumuntur: natura enim deliberatione nulla habent exordia; quoniam sciunt auditores, de qua re uerba sint facienda: et res ipsa nullo indiget procemio, nisi uel propter ipsum oratorem uel aduersarinm, uel si res non tanta existimetur; quantam ipse uult; sed uel maior, uel minor. Itaque uel criminari necesse est, uel crimina dissoluere, uel amplificare, uel minuere. horum igitur gratia deliberationes procemio indigent, uel ornatus causa: nam, nisi procemium habuerit; uidetur temerè, subitoque effutita. tale est enconium Gorgiæ in Elienseis: nulla enim brachiorum extensione, nulla manuum commotione statim incipit, Elis beata ciuitas.

[1] Proemium igitur principium est orationis] Exordium, præludium, & prologus idem gene-

gni negotij; initium faciemus.reliqua uerò loca communia sunt:nam orator,uel auditor,uel causa,uel aduersarius sunt, ex quibus initium capimus. Ex oratore, atque aduersario ducuntur ea,quæ ad inferendum crimen,& dissoluendum pertinent.sed qui defendit,statim criminibus occurrat:qui uerò accusat, in epilogo criminari debet: ut auditores facilius ea recordari possint. Auditorem uerò oportet, ut beneuolum faciamus,uel in aduersarium concitemus,uel attentum reddamus,uel docilem.docilis fit, si attentus fiat auditor.attentus uerò se prębet uiris,qui boni esse uidentur. sed & attentus fit auditor, si pollicitus fueris, te de rebus magnis proprijs,ad mirabilibus, & iucundis esse dicturum.sed attentos facere est commune omnium partium orationis,nō procmij tantum:quod,si attentos auditores esse non uelis, dic rem esse pusillam, nihil ad eos pertinent,molestam, & odiosam. uerum illud sciendum est hæc omnia extra cām esse.unde nisi deprauatus sit iudex,aut is sit,qui libenter audiat quæ ad rem nihil faciunt; nihil opus est proemio, sed sufficit id, quod causa postulat summatim dicere; ut iudex caput illud tanquam corpus causæ totius habeat. Quòd uerò ad auditorem habeantur proemia, non quatenus auditor,nemini est dubium. omnes enim in proemijs uel criminantur,uel metum desijciunt.Deinde & qui malam causam habent, ac turpem proemijs,qui à Cice.Insinuationes appellantur,

utuntur: nam in quouis loco potius commorari melius est eis, quàm in ipsa causa. & idcirco serui non ad interrogata respondent, quando errauerunt, sed ab his, quæ circunstant, initium sumunt, & uerborum ambagibus utuntur. Deliberatiuum genus per se exordio nõ indiget: sed per accidens: nam id, de quo oratio habetur omnibus notum est: est enim de communi utili, uel damno. per accidens autem opus habent exordio aut ex parte dicentis, aut aduersarij. dicentis ad dissoluendam aduersariorum calumniam, aut ad ea extenuanda, quæ existimari possent cõtraria his, quæ ipse dicit, aut necessarium est proemium ad calumniam inferendam, si aduersarij præcesserint defensiones, uel aliquæ communes existimationes cõtrarij. Et ad amplificanda sua, si præcesserint aduersarij extenuationes, uel cõmunes existimationes contrarij. unde deliberationum exordia à iudiciali genere sumuntur: aut deniq; necessarium est proemium ornatus causa: nam oratio manca uidetur, nisi principium habeat, in quo summatim dicatur, id, de quo habetur oratio uel in quo aliquid præmittatur, qđ ipsam orationem ornet. perspicuum est igitur in omni oratione necessarium esse proemium, in quo saltem intentio insinuetur præterquam in breui oratione, in qua res aperta est, de qua habetur: tunc.n. exordium, & propositio in unum coincidunt. uerum in genere demonstratiuo, & iudiciali insinuatur finis, & intentio: ut audien-

tes non ſint ſuſpenſi,ſed præſciant quibus de re bus actio fiat. in deliberatiuo uerò inſinuatur, uel aliquid præmittitur; ne mutilata uideatur oratio.patet quoque, quòd tum defenſor, tum accuſator exordium faciunt ad inſinuandum: hæc de neceſsitate,atque uſu proemij.

Quomodo calumniæ depellantur, atque loci, quibus occurramus eis,ſunt undecim.

De criminatione id primò dicendum, quæ ualent ad delendam ex animis malam exiſtimationem, eadem etiam ad crimina depellenda: nihil enim refert, utrum alicuius ſermone ſit excitata illa opinio.nec ne:quare hoc generatim prodeſt. Alius modus eſt, ut ita criminationi occurramus, ſicut in iudicio illis,de quib.arguimur,uel nõ eſſe factum, uel non eſſe pernicioſum,uel non illi,uel non tam magnum eſſe, uel non iniquum, uel non magnum, uel non turpe,aut rem eſſe puſillam:nam de rebus huiuſmodi ſolet eſſe controuerſia, quemadmodum Iphicrates contra Nauſicratẽ.dixit enim ſe feciſſe quod ille dicebat,atque etiam læſiſſe;nihil tamen iniqui ſe commiſiſſe:uel,ſiquid iniuſtè factum eſt; id compenſare hoc modo.Si detrimentum attulit; at fuit boneſtũ.Si moleſtũ;at utile, uel aliqd huiuſmodi. Alius modus eſt,cum dicimus,aut errorem fuiſſe, aut fortunæ culpa ueniſſe, aut neceſſitate: quemadmodum Sophocles ſe temere dixit;non ut calumniator obiecerat,quo ſenex uideretur,ſed neceſſariò. non enim ſua ſponte ad annos octoginta perueniſſe. Licet etiã

finem, cuius gratia factum est aliquid, commutare: ut lædere nolebat, sed aliud efficere: &, Non hoc studebat, quod calumniator ait, sed accidit, ut is lęderetur: esset autē odio dignus, si id efficere studuisset. Alius modus est cum aduertitur, an is, qui calumniatur, in eadem culpa sit hoc tempore, uel antea fuerit uel ipse, uel aliquis ex eius propinquis. Alius modus, si illi comprehenduntur in illa criminatione, quos omnes fatetur, nequaquam illi affineis esse; ut. Si purus est adulter; ergo etiam hic, atque ille. Alius modus, si alios falsò insimulauit; uel alius eosdem uel sine criminatione alicuius tales existimabantur, qualis ipse nunc: qui tamen non culpæ affines esse reperti sunt. Alius modus si criminantem recrimineris: nam absurdum est, si ille dignus est, cui non credatur, ut eius oratio fidem faciat. Alius modus si iam factum est iudicium, quemadmodum Euripides contra Hygiænontem in causa, quæ antidosis dicebatur, cum accusaretur tanquam impius, quod carmen illud fecisset.

Iuraui lingua, mentem iniuratam gero;

quòd iuberet peierare. dixit enim eum iniustè facere, qui iudicia ex certamine Liberi patris in forū adduceret; se enim ibi rationem iam reddidisse, aut redditurum, si ibi uellet accusare. Alius modus, si calumniam ipsam uituperes, & ostendas, quàm graue malum sit; quoniam iudicia commutat, ac perturbat. Communis locus ambobus est, signa commemorare: ut in Teucro Vlysses ait, Teucrum esse Priamo sanguine coniunctum: quoniam Hesione Priami soror

fuit

fuit:ille uerò dixit,patrem ſuum Telamonem Priamo hoſtem fuiſſe,neque ſpeculatores indicaſſe. Alius modus accuſatoris proprius, ſi paulum laudet, ut grauius,& diuitius uituperet, &, ſi quod magnum eſt, breuiter tranſeat,uel, ſi multa bona proponat, deinde unum,quod ad cauſam faciat, crimen proferens,uituperet.tales enim ſunt maximè artificioſi, atque iniquiſſimi calumniatores,qui in rebus bonis aduerſarium lædere conantur; cum ea malo permiſceant.Illud uerò cõmune eſt,& crimen inferenti, et depellenti;quoniam fieri poteſt,ut eadem res pluribus de cauſis facta ſit;qui criminatur,eam deprauare debet,atque in deteriorem partem inflectere: contrà,qui crimina diſſoluit,in meliorem partem trahere:ut,quòd Diomedes ſocium elegerit Vlyſſem, ideo factum eſſe quoniam optimum eum Græcorum exiſtimabat: Imò uerò,dicet alius,quia ſolum eum tanquam ignauum,ac imbellem, ſibi non fore æmulum iudicabat. Ac de criminatione quidẽ hęc dicta ſint.

De criminatione id primum dicendum eſt] Proemia magis uidentur orationibus iudicialibus conuenire,quàm cæteris:& defendenti magis,quàm accuſanti, cui epilogus eſt proprius; ſed defendenti magis neceſſarium eſt proemiũ: quia rarò defendit,niſi calumniæ præceſſerint: & quoniam defenſio cum inſinuatione in proemio ponitur; quapropter de locis,quibus calumniæ diſſoluuntur,breui agendum eſt. Loci igitur,quibus calumniæ depellũtur,ſunt undecim. primus eſt uniuerſalis,atque eſt, ſi orator uerea

tur, aut non uereatur: ne malam de ipso habeant iudices existimationem, sciat quæ ualent ad delendam ex animis malam existimationem, eadē etiam ad crimina depellenda. unde optimum est præuenire pulsaldo, antequam aduersarius crimina inferat. Secundus locus est, ut illata crimi. depellas, asserens primum, quòd non sint: & negans crimina imposita: deinde affirmans, quòd, si sint facta, non sunt perniciosa. tertio dicens, quòd si alicui sunt damnosa; non huic: ut quia facta sunt per correctionē, uel alias ob causas. quartò, quòd si huic sunt perniciosa, nō tantum, quantum dicitur. quintò, si tantum; non sunt iniusta. sextò, si iniusta; nec magna, nec iniuriosa. septimò, si sint magna; non sunt turpia. octauò, si sint turpia; turpitudo non est magna, sed pusilla. de rebus uerò huiusmodi solet esse controuersia. Tertius locus est, cum nos erraffe fatemur; sed aut fortunæ culpa, aut necessitate coacti, sed non scienter, nec uoluntariè. Quartus est finem commutare: ut, lædere nolebat, sed aliud efficere. Quintus, si is, qui calumniatur, in eodem crimine, uel hoc tēpore, uel antea deprehensus sit, uel ipse, uel aliquis ex eius propinquis. Sextus, si alij in eadem culpa fuerint deprehensio, quos non fuisse reos concedat, uel aliàs concesserit aduersarius. Septimus, si accusator alios falsò insimlauit, uel alius eosdem. Octauus est, si criminantem recrimineris: nam absurdum est, si ille est dignus, cui nō credatur,

ut

ut eius oratio fidem habeat. Nonus, si iudicium ab alio iudice iam factum sit, uel ad alium iudicem spectet. Decimus, si calumniam ipsam uituperes, & ostendas, quòd alia iudicia quærit. is locus est communis accusatori, & defensori. Vndecimus est accusatoris proprius, & est, reũ paulum laudare, ut grauius suo loco, & diutius uituperet. laudet quidem breuiter, si quod magnum est: uel si multa bona proponat: deinde unũ, quod ad causam faciat, crimen proferens, uituperet. & is locus est communis utriq; parti.

Narratio propriè conuenit generi demonstratiuo, & iudiciali: deliberatiuo uerò impropriè, quæ sit in unoquoque genere optanda.

NARRATIO uerò in exornationibus non perpetua est, sed in plureis parteis dissecta, nam actiones, & res gestas commemorare opus est, ex quibus oratio constituitur. Constat autem oratio tantum ex ijs, quæ sunt artis experitia, neque enim is, qui dicit, auctor est rerum gestarum, tum ex ijs, quæ ab arte proueniunt, ut cum rẽ factam esse docere opus est, si fuerit incredibilis, uel qualis sit, aut quãta, uel hæc simul oĩa. Quapropter interdũ non oportet uti perpetua narratione; quoniam difficulter memoriæ mandantur; quæ ita confirmantur: ut. Ex his quidem actionibus fortis esse cognoscitur; ex illis uerò sapiens, aut iustus. atque hæc oratio simplicior est, illa uerò uaria, & non exilis. sed quæ nota sunt, et peruulgata,

gata, tãtum reducere in memoriam opus est quo fit, ut multa narratione nihil indigeant; ut, si uolueris Achillem laudare; sciunt enim omnes eius res gestas; sed eis uti oportet; si uerò Critiam, narrare oportet; neque enim multi sciunt, quæ gesserit. Ridiculè uerò faciunt ij, qui dicunt narrationem breuem esse oportere. atqui, quod quidam pistori, panem subigẽti, percontantique, durum ne, an mollem subigeret. Quid? bene, inquit omnino subigere non licet; idem huc etiã accommodari potest. Neque.n. prolixa uti narratione oportet, neque prolixo exordio, neque probationibus: sed neque hac in parte rectè se habet breuiter, conciseq; narrare. uerum, quod medium est seruare decet, hoc est, dicere, quæ satis sint ad rem explanandam, uel quæ in opinionem inducant, rem esse factam, uel eum læsisse, uel iniustè se gessisse, uel cætera eius generis, quæcunque uoluerit. Aduersario uerò contraria conuenient. Inserere etiam narrationi debes, quę probitatem tuam significent; ut, Ego quidem nunquam admonere destiti, quæ iusta esse sentiebam; ne filios desereret: uel quæ declarent alterius improbitatem; ut: Ille uerò mihi respondit, sibi ubicunque fuerit, alios non defuturos filios; quod Aegyptios respondisse, cum a rege suo defecissent, scribit Herodotus, uel quæ iudicibus ipsis iucunda sint. Defensori autem narratio minor est; sed sunt huiusmodi controuersiæ, uel non esse factum, uel non detrimentum attulisse, uel non iniustè factum, uel non tam magnum esse. quare non est in eis commorandum, quæ certa sunt, nisi causę prosint; ut, factum

quidem

quidem esse, sed non esse iniustum. Præterea res eas gestas narrare oportet, quæ dum fiunt, neque miserationem, neque indignationem commouent, exemplum est huius rei apologus Alcinoi, quem apud Penelopē sexaginta uersibus explicuit, & sicut Phayllus circulum absoluit; &, qualis est Oenei prologus. Moratam autem oportet esse narrationē; quod facilè fiet; si quid mores efficiat, intellexerimus. Atque illud primò, qua mente factum sit, ostendere, mores indicat; nam, qualis esse mens, ostenditur, tales etiam mores habentur. mens autem a fine, quem sibi constituit, uel bona, uel mala dicitur. atque hac de causa mathematicę locutiones non habent mores; quoniam mentem, ac delectum nullum habent; nam actionis fine carent. at uerò Socratici sermones habent mores; quoniam de rebus eis sunt, quæ alicuius gratia fiunt. Sed ea quoque morata dicuntur, quę cuiusque mores consequuntur; ut, Hæc dicebat, & eodem tempore discedebat. hoc enim audaciam, & rusticitatem morum indicat; &, non tanquam ex præmeditatione dicere, quemadmodum huius temporis oratores solent, sed tanquam ex mente, atque delectu; Ego quidem hoc uolebam, & facere constitueram, & quamuis mihi non prodesse; tamen honestus esse putabam illud quidem prudentis est, at hoc probi uiri, prudentis enim id est sequi, quod utile sit; probi uerò, quod honestum. Quod si res fide careat; tunc illi causam adiungere oportet, quemadmodum Sophocles exemplo nobis est in Antigona, quæ dicit, se magis fratrem curare, quàm maritum, aut filios:

nam

nam hos, etiam si perdiderit; se posse recuperare.

Vtrisque uerò mortuis parentibus.

Non frater ullus exoriri unquam potest.

Quod, si causam nullam adferre poteris. dic te non ignorare, quæ dicis, incredibilia uideri; sed tamen tuã esse naturam eiusmodi; neque enim creditur aliquem sua sponte facere id, quod utile non est. Debent etiam in narratione poni, quæ mouere animum possint: ut, si narrentur ea, quæ commotiones sequuntur, aut quę nota sunt ijs, qui audiunt: & quæ priuatim, uel sibi, uel aduersario propria sunt: Ille uerò discedens, ad me frequenter oculos conuertebat: &, quod de Cratylo dixit Aeschines, quòd exibilaret, & manibus exploderet. hæc enim fidem faciunt; quoniam ea, quę nota sunt, eorum sunt indicia, quæ ipsi nesciunt. plurima uerò huiusmodi licet ab Homero sumere.

Ast anus ad faciem palmas utrasque tetendit:

nam, qui lugere incipiũt, oculos manu tãgere solent: Statim uerò te ipsum insinua, probumq; uirũ ostẽde contrà preme aduersarium; ut deinceps in tota oratione te, atque illum talem existiment: sed occultè hoc facito. Quod autem hoc facile sit, licet ex eis intelligere, qui nobis aliquid annuntiant. quamuis enim de ea re nihil anteà sciremus; tamen statim quandam opinionem concipimus. Multis autem in locis narrare opus est, & aliquando non est in principio narrandum. In deliberatione narratio locum non habet; quoniam de rebus futuris nemo narrat; sed, si ulla narratio fuerit; de præteritis erit; ut in memoriam ea reducentes,

ducentes, de futuris melius consultent. Sed ea, quæ præterita sunt, vel vituperant, vel laudant: itaque tunc deliberantis munus non exequuntur. Quod, si fuerit incredibile, quod narras; debes polliceri, te statim causam allaturum, vel eorum arbitrio rem commissurum, quorum ipsi uoluerint: ut Iocasta in Oedipode Carcini semper pollicetur; cum eam interrogaret is, qui filium quærebat: & Aemon apud Sophoclem.

Narratio uerò in exornationibus] Narratio propriè competit generi, tum demõstratiuo, tũ iudiciali: deliberatiuo uerò æquiuocè. qua de re præcepta docet Aristo. primum communia demõstratiuo, & iudiciali; deinde quę iudiciali propria sunt. Primum igitur præceptum est, ut nec in genere demonstratiuo, nec in iudiciali narratio sit sermo continuus, imò in tot partes dissectus esse debet, quot seorsum probari, & demonstrari possint: ut in hac parte fortis, in ista prudens, in illa iustus esse ostendatur. atque id faciendum est: quoniam difficile est memoriæ mãdare, quæ continuo sermone narrantur: deinde narratio in partes distincta explicatior est, quæ uerò continua implicatior, & multiplex, & minimè perspicua. Illud uerò est in oratione demonstratiua obseruandum, ut, cum res gestæ notæ fuerint; in memoriam tantum eas reducas breuiter. deinde & aliud: nam, cum laus sit oratio uirtutis magnitudinem explicans, per eas res gestas unusquisque laudandus est, per quas uir-

tutis magnitudo ostenditur. propriè enim laus est rerum gestarum: quæ uerò extrà sunt, sicut nobilitas, educatio, & patria ad fidem faciẽdam adhibentur: uerisimile nanque est probum ex probis, & bene educatum in bonum uirum euasisse. Secundum præceptum est, ut nec longa, nec breuis sit narratio, nec exordium, nec probationes: ex his enim conflaret oratio longissima. atque sic in pendẽtem delaberemur orationem. Præterea benè dicere, quod est oratoris proprium, nec in longo, nec in breui collocetur, sed in mediocri. Generis iudicialis propria narratio est, & pfcta, si ea dicas quę efficere possint, ut auditor credat, ꝙ res facta sit, uel iniuria, uel ꝙ dãno fuisset; uel ꝙ tanta res sit facta, quatã uelis, ut credat iudex, atque hęc accusatoris est narratio. Defensor uerò contraria narret; ut uidelicet, quòd non sit facta, quòd non iniuria, quòd non damno, uel quòd non tanta. Differt tamen utriusque narratio: nam defensoris breuiorem esse oportet, & per quæstiones; ueluti quòd nõ factum sit, uel non factum sit iniuria, aut damno, aut non tantum: nam qui defendit, à quæstione recedere non debet. Accusatoris uerò narratio longior esse debet: quoniam qui accusat, probat: & idcirco plura requirit. Narrationi præterea annecte ea, quæ uel uirtutes tuas, uel aduersarij uitia explicant aliquo modo: palàm enim hæc non sunt agenda, sed latenter. Adde etiam quæ auditori iucunda sint; beniuolos

los enim reddes. Præterea quæ gesta non sunt si commiserationem, aut indignationem mouet, auditoribus perinde ac gesta narranda sunt. Meminisse aũt oportet oẽm cuiusuis orationis narrationem moratam & affectam esse oportere. fit autem morata, & affecta ijsdem rebus, quibus orationem moratam, & affectã reddi docuimus. sed illud obseruandum, ut te uirum probũ in omni oratione ostendas, non tamen apertè. In genere deliberatiuo narratio locum non habet: quoniam de rebus futuris nemo narrat. qua de re cum narratio incidat; illa est expositio rerum gestarum, quibus aut deprimendo, aut efferendo auditores concitantur, ut eorum memoria de futuris melius consulant. itaque tunc deliberãtis munus non exequuntur. Quod, si fuerit minimè credibile quod narras; debes polliceri te statim causam allaturam, uel eorum arbitrio rem commissurum, quorum ipsi uoluerint. Et propterea aduertendum est, quod in iudiciali, & demonstratiuo genere est narratio, in deliberatiuo est propositio. Est enim propositio, An bellum cum finitimis sit gerendum. sed in deliberatiuo non est exordium à propositione diuisum: eadem enim sunt, in eo quòd per ipsam insinuatur intentio, atque finis, de quo oratio habetur. Et si quæ res gestæ narrentur, potius exempla, quæ fidem faciunt, appellanda sunt.

Proba-

rum iudicia uidentur, nempe eum mentiri. At ex probationibus exempla sunt deliberatiuo generi accommodatissima enthymemata uerò magis iudiciali conueniunt: nam deliberatio est de futuro. quare ex rebus iam factis exempla ad probandum ducere oportet. iudicium autem est de ijs, quæ sunt, aut non sunt, in quibus magis est probatio, & necessitas: quod enim præteritum est, in se necessitatem habet. nō oportet autem inculcare, & continuare enthymemata; sed cum alijs probationibus permiscere. alioqui se uicissim infringunt, nā est etiā modus in quātitate.

Care mihi, postquam tot tātum es uerba locutus,
Quot solet effari prudens,–

non enim dixit, talia. Neque res omnes argumentis confirmandæ sunt: alioquin idem efficies, quod nonnulli faciunt philosophi, qui syllogismos adhibent ad ea, quę notiora sunt, ac certiora, quàm ea, quæ sumunt. Et, cum animos commouere uis: ne argumento utaris. uel enim commotionem extrudet, vel inane, frustraque dictum erit argumentum; nam commotiones animi se uicissim expellūt, nec simul esse possunt, sed vel euanescunt, vel imbeciliores redduntur. neque, cum mores exprimere orationem uolumus; oportet simul argumenta quærere: nam demonstratio, neque mores, neque uoluntatem, ac delectum exprimit. Sententijs autem utendum est & in narratione, & in confirmatione: nam ad mores exprimendos ualent: ut. Ego uerò pecuniam ei credidi, quamuis scirem nemini fidē habendam esse, quod si uehementius & cum animi motu. Neque tamen ne pœnitet, quam

uis iniuriam, ac detrimentum acceperim: isti enim lucrum superest. mihi uerò æquitas, ac iustitia. Est autem difficilius in deliberatiuo, quàm in iudiciali genere uersari: & meritò; quoniam de futuro delibe ratio est, iudicium uerò de præterito. quod iam ab auguribus etiam sciri potest, quemadmodum dixit Cretensis Epimenides, is enim non de futuribus diui nabat, sed de præteritis, quæ tamen essent obscura. Qiun in iudicialibus controuersiis lex est tanquam fundamentum, qui uerò principium habet, is facilius probationem inuenire potest. neque in deliberatione multæ sunt commorationes, ut in aduersarium, uel de seipso, uel in mouendis affectibus; hæc enim in hoc genere minimè omnium reperiuntur, nisi quis a cau-sa discesserit. quare debent hæc tãtum fieri, cum alia non habet orator, quæ dicat; quemadmodũ Athenis oratores faciunt, atq; etiam Isocrates in deliberatio nibus accusat, ut Lacædemonios in Panegyrico, & Charetem in oratione Sociali. In exornationibus ue rò oportet laudes hinc; atque inde cumulando, refer-tam, & plenam orationem reddere. quod Isocrates facit, semper enim aliquid, quod laudet, adiungit. & hoc est, quòd Gorgias profitebatur, sibi nunquam ora tionem defuturam; nam, si Achillem laudat. Peleum celebrat, deinde Aeacum, deinde Iouem, atque eo-dem modo fortitudinem extollit, & hæc, aut illa tan git, quod idem est. Quod si argumenta poteris inue-nire; debes simul & mores exprimere, & argumen tis uti; si te argumenta defecerint; totum te ad mo-res conferas, atque hoc sanè probo homini magis con

gruit

gruit,ut ipse potius bonus appareat,quàm oratio ex q uisita.

Confutatio quid,& qua modis sit facienda.

E x argumentis uerò,quæ uim habent refellendi, magis excellunt,quàm quæ confirmant;quæ enim rē futationem continet,maiore ui conclusa esse planum est propterea quod inter se collata contraria sunt eui dentiora;nam quæ contra aduersarium dicuntur,non diuersam habent speciem,sed sunt e probationum nu mero; partim enim resistendo, atque occurrendo sol uuntur,partim contrà argumentando. Oportet aūt eum,qui vel in deliberatione,vel in iudicio prior di cit,causam primò suam confirmare deinde illis, quæ contrà dici poßunt occurrere,& ea dißoluere, atque extenuare.sed tamen,si multa sunt, quæ in contrariam partem dici possunt;prius erunt illa refutanda, quemadmodum fecit Calistratus in concione Messanica,prius enim ea refutauit, quæ contrà dici poterant,deinde sua cōfirmauit.Quòd siquis secundo loco dicat;prius ea,quæ obiecta sunt ab aduesario, refutare debet uel dissoluendo,vel contrà argumentando: & pręcipuè si illa fidem fecisse uisa fuerint. sicut enim animus eum hominem non recipit, qui multis criminibus insimulatus fuerit; eodem modo neque orationem, si aduersarius uerè dixisse uisus fuerit. Oportet autem auditoris animum ad futuram oratione m præparare.quod facile fiet,si contraria refutaueris.quæ cum uel omnia reprehenderis aduersariorum argumenta,uel ea,quæ maximè firma sunt, uel quæ

excellunt,uel quæ facilè refelli possunt,tunc rationes tuas confirmare debes.

Primò refellam,quæ deis obiecta sunt.

Iunonem ego:-

in his enim id primũ attigit,quod erat infirmissimũ. Ac de cõfirmationibus quidem hęc dicta sunt. Quod ad mores attinet,quoniam de seipsò prædicare,uel inuidiosum est,uel prolixum,uel habet qui contradicant,& de altero dicere,uel conuicium,vel rusticitatem ostendit,opus est aliquem,qui hoc faciat,conformare,quod Isocrates facit in oratione,quam ad Philippum misit,& in ea,quę,antidosis dicitur,quo modo uituperat etiam Archilocus,nam in iambicis suis patrem,de filia sic loquentem inducit.

Nil prorsus est, quod non fiat pecunia.

Aut,quod futurum non queat iurari

Et Charonem fabrum inducit in eis iambicis,quorum principium est.

Nil curo opus Cygis.

quemadmodum etiam Sophocles Amonem inducit, cum patre pro Antigona loquentem,tanquam ea dicerent alij.Quin interdum licebit argumenta commutare,atque ex eis sententias facere,ut. Sunt autem a prudentibus cum hostibus fœdera ferienda, cum fortunam habent prosperam. sic enim maximè poterunt esse superiores.argumentando uerò sic proferetur.Si fœdera cum hostibus ferire oportet,quo tẽpore sunt utilissima,& cum meliores conditiones esse solent, tunc maximè ferienda sunt, quando fortuna est prospera.

Proba-

Probationes autem ad fidem faciendam] Generi iudiciali, ac deliberatiuo commune est praeceptum, ut ad id probatio applicetur, quod quaeritur, aut in iudicio, aut in deliberatione. In iudicijs autem quatuor principaliter fiunt quaestiones. prima est, si factum sit; aut non sit. secunda, si obfuit, aut non. tertia si tantum sit factum; uel tantum obfuerit, uel non tantum. quarta si iure factum sit, aut iure obfuerit, uel iniuria. harũ uerò potissimum quaeritur ea, quae est, si iure, uel iniuria. In genere autem deliberatiuo, in quo quaeritur, an sit faciendum; multae quaestiones fiunt. quarum prima est, si faciendum, uel non. deinde, si faciendum, an sit futurum, quod deliberatum est esse faciendum. si sit futurum; utrum iustum sit, necne. si iustum; an utile. si uerò utile; an tantum. In genere autem demonstratiuo, cum res gestae, quibus laudamus, credi debeat: rarò enim demonstrari solent, nisi incredibiles uideantur. idcirco probatione rarò utimur, sed gesta amplificamus supponenda. amplificatio enim sic se habet in genere demõstratiuo; ut probatio in iudiciali, & deliberatiuo. simili ratione si uituperauerimus, supponendo uitia, res gestas laudabiles extenuemus. Ceterum iam demõstratum est oratorẽ persuadere enthymematibus, exemplis, amplificationibus, sententijs, fabulis siue apologis, oratione affecta, & morata. uerum sententiae ad enthymemata, & fabulae ad exempla reducuntur. His omnibus u-

titur orator, sed in iudiciali genere exemplorum usus est rarior: in demonstratiuo potissimum utimur amplificationibus, & oratione morata: in genere deliberatiuo exemplis, fabulis moratis, & affectis. & in iudiciali plurimum ualet oratio morata, & affecta. uerum in omnibus, ut diximus, hæc omnia accommodari possunt, aliquibus uerò magis, aliquibus minus; nam præcipuè deliberationibus apta sunt exempla, & fabulæ; quoniam, cum omnis deliberatio sit de futuris, à præteritis per exempla de ipsis dicere est necesse. Iudiciali maximè competunt enthymemata, & sententiæ enthymaticæ. iudicia enim sunt de iam factis, quæ demonstrationem idcirco habent, quoniam & necessitatem habent: præterita enim necessitatem habent ad facta esse. In demonstratiuo magis amplificatione utimur. at uerò per exteriores laudes fit oratio amplior. exteriores uerò laudes sunt nobilitas, patria, educatio, & id generis. In iudiciali uerò habemus plura præcepta, quorum primum est, ut enthymematis alij probationũ modi permisceantur, ueluti sententiæ, orationes moratæ, uel affectæ, & cum narratione misceantur. idque fiat, ne aliud enthymema alij efficiat. secundum est, ut enthymematum numerus sit non infinitus, sed finitus. tertium quòd non enthymematibus res omnes sunt confirmandæ, ut ij efficiunt philosophi, qui syllogismos adhibent ad ea, quæ notiora sunt, ac certiora, quàm ea, quæ sumunt,

hoc

hoc est, propositiones. itaque enthymemata, quæ redarguunt in probatione, magis assumenda sunt, quàm ostensiua, si haberi possint. elencha enim enthymemata, quæ redarguunt, magis desiderantur: quoniam sunt ad hominem: nam quæ arguunt, acrius probant. in Mathematicis quidem ostensiuas magis optamus rationes; eo quòd faciunt scire. rationes uerò ad hominem uincere faciunt. & idcirco magis Rhetoricis, & Dialecticis competunt. Quartum præceptum est, ꝙ cum animos mouere uelis; ne enthymemate utaris: nam alterum excutietur ab altero, uel inane, & frustra dictum erit argumẽtum. Quintum, ne moratam orationem enthymematibus misceamus. Sextum est, quòd sententijs utendum sit & in narratione, & in confirmatione: nam ad mores exprimendos ualent.

Est autem difficilius in deliberatiuo, quàm in iudiciali genere uersari: quia de futuro est deliberatio, iudicium uerò de præterito. deinde leges iudiciali suppõnũtur, ueluti principia enthymematum, initium afferunt. unde inueniendi facultas habetur. postea iudicialis orator non habet multas commorationes: solum enim in aduersarium tendit: per accidens autem aliquando digreditur aut de se ipso, aut in mouendis affectibus.

Oportet autem eum, qui uel in deliberatione, uel in iudicio] Confutatio est argumentorum, uel calumniarum, quas aduersarius intulit,

uel inferre potuit, redargutio. de hac inquit Aristo. cum iam aduersarij locos aggredimur; nō in alia parte, sed in facienda fide uersamur adhuc, & alios obijciendo, alios argumentando dissoluimus. quæ uerba nobis indicant confutationis locum post narrationem esse: deinde confutationem, & solutionem eorum, quæ aduersarius dixit idem esse. præter hæc ordinem dat, dū ait. sunt, & in deliberatione, & in iudicio nostra argumenta primum collocanda, deinde argumenta, & calumniẹ aduersariorum cum contemptione quadam cōfutanda. uerum, si multiplex, & uaria sit aduersariorū oratio; primum confutabimus, deinde nostra ponemus. hęc quidem sunt seruanda, cum defensor primus dicat. quando autem secundus; primum ei confutandum est soluendo, ac contrà arguendo, atque eò magis, si aduersarius persuasisse uideatur: nam quemadmodum improbum hominem animus contemnit; sic orationem negliget quoque, si bene dixisse aduersarius uideatur. quare auditor uel omnium, uel plurium, uel firmissimorum, uel saltem confutatu facilium infirmatione pręparatus aurem nostris dabit, credibilioraque probabit. Pręterea, cum primus defensor dicit; confutatio semper cum confirmatione est ordinanda. at, si defendens secundus sit; confutattio copulata sit cum exordio: nam insinuata intentione, defensor dissoluere debet, postea narrationem aggredi.

Interrogandi tempora quatuor.

QVOD ad interrogationem attinet, maximè opportunum est ea uti, cum alteram partem aduersarius ipse dixerit, ut deinde ex interrogatione sequatur id, quod absurdum est; ut Pericles Lamponem interrogauit de imitatione sacrorum deę Salutaris: & cum ille dixisset nefas esse illa audire, nisi quis esse initiatus; petiuit; num ipse eas ciret: quod cum affirmasset. Et quomodo, inquit, cũ minimè sis initiatus? Secundò tempestiuum est interrogare; cum alterum planum est, alterum non est dubium, quin is, qui interrogatur, sit concessurus. cum autem unam propositionem interrogaueris; non debes iterum id interrogare, quod perspicuum est, sed concludere, quemadmodum Socrates, cum Melitus dixisset, eum nõ putare Deos esse, petiuit ab eo, num existimaret dæmonium aliquid esse. quod cum ille fateretur; dixit. Dæmones uel Deorum filij sunt, uel aliquid in se diuinum habent: quod postquam ille affirmasset. Fieri, ne potest, inquit, ut aliquis putet Deorum filios esse, ipsos autem Deos esse non putet: Tertiò debes interrogare; cum ostendere uis, ipsum aduersarium sibi ipsi contraria dicere, uel quæ sint ab opinione communi aliena. quartò cum nihil habet, quod respondeat nisi fallaciter, & captiosè: nam, si ita respõderit. Est sanè, & Non est: uel partim quidem est, partim non; uel. Ex aliqua parte est, ex aliqua non; perturbantur auditores, ac dubitant. Aliter autem interrogatione uti non debes: nam si tibi occurrerit aduersarius: superatus esse uideberis.

Neque enim multa licet interrogare, propter auditoris infirmitatem. quare etiam argumēta quam maximè fieri potest, contrahenda sunt. Cum autem ad ambigua respondendum est; tunc distinguere opus est, & longa uti oratione, non autem concisa. Ad ea uerò, quæ contraria uidentur, statim in responsione solutio adhibenda est prius, quàm quod reliquum est, interroget aduersarius, & concludat. neque enim difficile est uidere, quanam in parte sit ratio: sed ex Topicis, cum hoc intelligi potest, tum etiam, quæ solutiones adhibendæ sunt. Verum qui concludit, si ex interrogatione concludit, causam debet adiungere: ut Sophocles interrogatus a Pisandro, num ipse sententia sua, sicut alij publici consilij auctores, dominatum Quadringentorum confirmasse, ita respondit. Quid? ait ille, non ne res improba tibi illa uidebatur? Ita, inquit. Ergo tu sponte rem improbam confirmasti? Certè, inquit, neque enim erāt alia meliora. sic etiam Lacon, cum magistratus sui rationem redderet. Ephorus enim fuerat interrogatus, an eius socij, & collegæ iustè condemnati uiderentur; respondit, uideri. Quid? non ne tu eadem Censuisti? Censui, inquit. Ergo etiam tu iustè condemnari debes. Minimè, ait ille: nam collegæ pecunia corrupti illa censuerunt: ego uerò non pecunia, sed quia ita sentiebam. Itaque post conclusionem nihil interrogare oportet, neque etiam ipsam cōclusionē, nisi cū adeò uera, & certa est causa, ut labefactari nō possit.

De ridiculis uerò, quoniam usum aliquem in forensibus causis habere uidentur, & Gorgias dixit, res serias aduersariorum risu discuti debere, contraque

risum rebus serijs, satis dictum est in ijs, quæ de arte Poëtica sunt a nobis tradita: nam ibi, quot ridiculorum species sint, ostendimus. Sunt enim ridicula, quæ libero, atque ingenuo homini conueniant: sunt etiam quæ non conueniant. ita uidendum est, ut apta sibi quisque sumat. Dissimulatio uerò magis ingenuum decet, quàm scurrilitas: nam dissimulator propriæ uoluptatis gratia ridiculis utitur: scurra uerò, ut alterum oblectet.

Quòd ad interrogationem attinet] Quatuor sunt tempora, quibus occasio offertur interrogandi. primum est, quando defensor duarum propositionum alteram concessit, alteram concedere cogetur per interrogationem. & id conficitur enthymema, quod tecmirium Aristo. & Cicero argumentum insolubile appellat. secundum, cum altera propositionum manifesta sit, alteram scimus aduersarios esse cõcessuros. unde, ommissa manifesta, interrogabimus de alia. Tertium, cum contraria, uel præter opinionem dicere aduersarium sumus demonstraturi. hæc optima interrogandi occasio est. Quartum, cum defensor non possit soluere, nisi modo cauillatorio.

Cum autem ad ambigua respondendum est] Quo pacto tete opponas in genere docet Aris. in Topicis: sed huic parti oratoriæ duo dat præcepta, quorum primum est. si ea, quæ accusator, uel defensor interrogat, sint ambigua, non statim

tim soluenda sunt aut interimendo, aut concedendo. sed prius distinguere opus est, & longa uti oratione, non autem concisa. Ad ea uerò, quę contraria uidentur, & falsa; statim in responsione inferenda est solutio interimendo priusquam aduersarius aliud interroget, aut ratiocinetur: ne illa indiscussa permaneant. secundum pręceptum est. esto, quòd defensor concedat aliquid non concedendum, & aduersarius contra eum concludendo, conclusione faciat interrogationem; tunc defensor causam afferat, ob quam conclusionem concesfit: nam sic uidetur quodam modo oppositionem soluere: ut. Sophocles interrogatus, an sibi quoque ut alijs uisum fuit quadringentorum dominatum confirmasse. ita respondit. quid? ait ille, nonne res improba tibi illa uidebatur? ita inquit. tu igitur hãc improbam esse confirmasti? certè, inquit, neque enim erant alia meliora. uide, quo modo errorem euitauit.

Epilogus quid, quando, quomodo, & quot ex partibus constet.

IAM uerò peroratio quatuor ex partibus constat: primum ex ea, quæ efficit, ut auditor nobis benè uelit, aduersarijs malè: deinde ex amplicatione, & diminutione, tum ex animorum commotione, ut afficiatur auditor, postremò ex enumeratione. fit enim hoc

naturæ

naturæ quodam ordine; ut, postquam orator ostenderit, se uera dicere, aduersarium autem falsa, tunc laudet, & uituperet, & causam urgeat, atque expoliat. Alterum autem ex duobus considerare oportet: uel, ut ostendat, se bonum ipsis auditoribus fuisse, uel generaliter bonum: aduersarium uerò vel ipsis auditoribus malum, uel absolute malum. Sed alibi sunt a nobis iam expositi loci, unde bonos aut malos cõformare homines possimus. Postquam autem hoc demonstratum fuerit: tunc naturæ ordine sequitur, vt vel augeamus, vel imminuamus: opus est enim, ut res sint concessæ prius, quàm de earum magnitudine disputari possit: nam etiam corporum auctio, atque incrementum fit ex eis. quæ iam prius aderant. Sed unde uel amplificatio, uel imminutio ducatur, iam supra loci sunt expositi. Postea uerò, cum iam perspicuum est, quæ, & quanta sint ea, quæ tractantur; permiscere motus animorum opus est. Sunt autem hi potissimum; misericordia, indignatio, ira, odium, inuidia, æmulatio, simultas: qui quidem unde sumantur, antea declaratum est. Itaque reliquum est enumerare, quæ sparsim anteà dicta sunt. Hoc autem commodè fit, si id seruetur, quod in procemijs quidam debere seruari non rectè iubent. aiunt enim eadem sæpius in procemio repeti debere, ut facilius percipiantur. Sed ibi rem tantum exponere opus est; ut ne lateat id, de quo futurũ est iudicium, hic uerò summatim ea repetere oportet, quæ demonstrata sunt. Initium autem enumerationis illud erit; cum dicet

orator

orator, ea se præstitisse; quæ pollicitus fuerat. itaque repetere oportet, quæ sunt exposita, & quare: Quin ex aduersariorum contentione dicuntur ea, quæ in peroratione repetuntur. conferre autem oportet vel quæ de eadem re ambo dixerunt, vel quæ non ex aduerso; vt. Iste quidem de hac re sic dixit, ego uerò hæc, atque hac de causa. Vel per ironiam, ut. Iste quidē hęc cōmemorauit. ego uero hęc, &. Quidnam fecisset, si hæc probasset, non autem illa? Per interrogationem: vt. Quid a me non exquisitè probatum est? vel. Iste quid confirmauit: vel igitur hoc modo per collationem, vel ordine naturæ non immutato, sicuti res anteà dictæ sunt, hoc modo; vt si prius ea repetas, quę ipse probasti, deinde si uolueris etiam seorsum quæ dixit aduersarius. In peroratione conuenit illud dicendi genus, quod dissolutum uocatur; ut peroratio, non autem oratio sit. Dixi, audiuistis, rem tenetis, iudicate.

Iam uerò peroratio] Epilogus est orationis pars postrema, quam perorationem latini uocant: fortè quoniam huic parti maximè affectus animi opportuni sunt. Rhetores epilogum in tres diuidunt partes, in numerationem, scilicet amplificationem, & commiserationem. per numerationem fit rerum repetitio, per amplificationem concitantur animi auditorum, per cō miserationem ad misericordiam flectuntur. sed perorationem ex quatuor constare affirmat Aristo. ex his, scilicet, quæ efficiunt, ut bene de no

bis

bis,& malè de aduersarijs auditor sentiat:ex his, quæ amplificant,aut extenuant: ex his,à quibus afficitur auditor : & ex his,quibus in memoriam reducitur,siue ex enumeratione.bene de te sentiet,ac malè de aduersario ; cum te ueracem, ad uersarium uerò mendacem ostenderis.amplificatio, aut extenuatio fieri minimè potest, nisi prius quæ facta sunt pateant. non potest autem quantitas ipsorum patere, nisi ipsa prius pateãt. Commouetur porrò auditor ad iram,inuidiam, & id generis,cum iam qualia,ac quanta sint, patefactum est. prædicta demum in memoriam reducantur.quod fit,ut ea, quibus demonstratum est,per capita repetantur. habet autem repetitio principium,medium, & finem. principium uerò est,ut orator dicat persolui iam,quæ pollicitus eram,uel quæ dicẽda erant, uel de quo est dicendum. deinde repetat omnia. sed repetitio fieri potest & fit,aut per collationẽ, aut per ironiam,aut per interrogationem.per collationem, conferendo sua cum his, quæ ab aduersario dicta sunt.& id dupliciter; uel quia de eodem ambo, uel quia non opposita dixerunt.sed hic quidem dixit hæc de hoc:ego uerò de hoc dixi hęc, & pp hæc. p ironiã,uel ironicè dicẽdo,ꝙ hæc q dẽ dixit, & hæc : ego uerò hęc,atq; hæc semper ironicè loquẽdo. & addi põt ad ironiam hoc pacto. quid nunc faceret is; si hæc, atque hæc demonstrasset,& non illa? atque hæc semper ironicè

nicè dicat. Per interrogationem, dicendo, & interrogando quid à me non demõstratum est; & quid ab aduersario. quasi dicat, nihil à me prętermissum; & ab ipso nihil conclusum. atque hæc de medio repetitionis. de fine autem dicit Arist. quòd ipsi maximè conueniat dictio dissoluta, & per articulos, ut dixi, audistis, habetis, iudicate.






ARISTOTELIS RHETORICA AD ALEXANDRVM,

FRANCISCO PHILELPHO Interprete.

ARISTOTELES ALEXANDRO S.

Eloquentiæ laudes.



VM tuis literis factus certior, nonnullos sæpe ad nos misisse, qui ut ciuilium causarum precepta ad te perscriberem, à me peterent. Ego uero haud negligẽtia quidem ulla in hoc usque tempus rẽ distuli, sed ut quærerem ita diligenter de his ad te scribere, ut alius certe nemo qui hisce in rebus elaborasset, diligentius unquam scripserit. Hæc igitur recte mihi fuerat sententia. Nam, quemadmodum uestium decore, atque magnificentia cæteris hominibus præstare maxime studes, ita etiam dicendi inuentionem, ac uim eam, ut accipias nitendum est: quæ pulcherrima

ſit,apprimeq́ue præclariſſima? longe enim pulchrius eſt,ac regale magnis animo eſſe bene cõſtituto, quam habitum corporis ueſtib.ornatũ pulchris intueri: Abſurdum enim eſt,eum qui rerum geſtarum gloria cæteris antecellat,uidere humillimis quibuſpiam in dicendo cedere:præſertim cum non ſis neſcius eos, qui in populari principatu uerſentur, res omnes ad populum: qui uero ſub vnius imperij ductu conſtituti ſint ad rationem,orationemq́ue referre. Quemadmodum liberas ciuitates communis lex, quæ ad honeſtiſſimum aliquem finem ducat,dirigere conſueuerit, eodem modo & oratio tua queat eos,quos imperio tenes,ad id agere,quod conducibile ſit,& utile:etenim lex(ut ita dixerim)oratio quædam eſt, quæ communi ciuitatis conſenſu definita iubet,quo pacto unumquodq́ue agendum ſit. Accedit ad rem,quod neque tibi obſcurum exiſtimo,ſolere nos laudibus eos perinde,atque honeſtos,& fortes proſequi, qui & ratione utuntur,et omnia ea duce agere pergũt:qui uero abſque ratione,& oratione quicquam faciunt tanquam atroces immanesq́ue odimus. Qua quidem re factum eſt, ut & malos eorum uitium oſtendentes male affecerimus,& bonos eorum uirtutem declarãtes quaſi beatos,admirandos,imitandosq́ue uoluerimus. Sicq́ue & quo futuras calamitates euitaremus, boniſq́ue inſtantibus frueremur,adinuenimus. Proinde & imminentes difficultates effugimus,& abſentes utilitates comparauimus: Nam ueluti uita,quę nulli mœrori ſubiacet,eligenda;ita prudens eſt oratio diligenda. Neque id te prætereat oportebit,quòd hominum

plurimis

plurimis alijs quidem lex ipsa, alijs uerò tua tum uita, tum oratio exemplo datur. Vt cunctis igitur tum Græcis, tum Barbaris antecellas, omni tibi studio annitendum est: quò ijs, qui uersantur in his exemplis, ita horum imitatio est per uirtutis elementa pulchre effingant, ut haud sibi deteriora consulant, sed eius se participes fieri, & cupiant, & exoptent. Rerum est prętere a humanarum augustissimum, consultatione uti. quare nec in superuacaneis, vulgaribusque rebus studium tibi terendum est, sed pro uirili potius parte elaborandum, vt ipsam belle consultandi artem, & perdiscas, & teneas. Quis enim sanæ mentis dubitarit, si quis in consulto quid egerit; amentiæ quidem: sin autem ratione duce; sapientiæ signum esse? Intueri etiam licet eos omnes, qui optima inter Græcos republica utuntur, oratione prius, quàm rebus conuenire, itemque apud eos, qui inter Barbaros dignitate pręstãt orationem rebus anteire: quippe qui probe norint eam, quæ ratione, orationeque perspectio utilitatis cognitioque fit, esse quandam salutis arcem, & eiusmodi certè arcem, quæ non manufacta, uerum & inexpugnabilis quidem sit, in primisque secura opinanda. Sed uereor hac de re pluribus ad te scribere, ne fortassis ostentare meipsum uidear, hisce pręsertim in rebus quæ probatione non indigent, sed planè patet, & in promptu sunt omnibus. Quamobrem hæc omnia missa faciens, illa dixerim solum, de quibus in omnem uitam dicendum est, hoc unum esse, quo cæteris animalibus præstamus, præclarum quoddam ab immortali Deo adepti uideamur. Nam

siquidem & cupiditate, & ira, & alijs huiuscemodi affectionibus utuntur etiam reliqua quæque animalia oratione autem homo duntaxat, absurdum profectò maxime omnium cedat, si qua una re bestijs antecellimus, eam bene uiuendi ducem præ negligentia relinquerimus. Proinde te iampridem tua sponte incitatum etiam atque etiam hortor, ut dicendi philosophiam omni studio complectare: nam ueluti corpus bona ualetudine; ita & animus disciplina, eruditioneque seruatur: huius enim ductu haudquaquam tibi in rebus gerendis aberrare contigerit. quin potius omnia (ut ita dicam) quæ tibi iam parta sunt bona, plane tuebere. Quod si præterea oculis videre iucundum est: animi luminibus cernere, penitusque perspicere; admirabile certe plurimum. Rursus autem que[illegible] modum imperator sui est seruator exercitus; it[illegible] eloquentia, quæ sapientiæ coniuncta sit, huma[illegible] est uitæ gubernatrix. Sed hæc omnia atque his similia operæpretium puto, ut missa hoc tempore faciamus. Monuisti autem tuis literis, ne quis omnino mortalium hunc librum accipiat. quippe qui non scis, nescius, sicuti parentes, quos ex se genuerint, magis quàm ijs quibus suppositi sunt, partus amare solent: eodemque modo ij præclarum aliquid ex se inuenerint, maiore ad id studio afficiuntur, quam quibus eo uti contigerit. Non secus, enim pro inuentis, atque pro liberis emori periclitentur. enim uero ij quos Parios uocant Sophistæ, quoniam nihil ipsi pro inerti quadam negligentia pariunt, ne diligunt quidem, sed acceptis pecunijs ab se dimittunt. Hanc

igitur

igitur ob rem te uehementer moneo, & exhortor, ita hæc dicendi præcepta serues, atque tueare, ut cum, & ipsa adolescunt, nullius, opibus uiolentur, sed honestè tecum, decoreque una uiuant: & cum in adultam ætatem euaserint; immortalem gloriam nanciscantur. Adsumpsimus autem (sicuti nobis Nicanor exposuit) si quid hisce de rebus apud cæteros artis scriptores expolitum, elimatumque inuenimus. Impendens autem operam etiam hisce duobus libris; quorum alter meus est, eas continens artes, quas ad Theodecten scripseram, alter autem est Coracis. Reliqua uerò omnia, quę siue ad ciuilia præcepta, siue ad iudicialia pertinent, separatim hoc in libro scripta sunt, quapropter ex hisce ad te commentariis ad ea consequenda abunde tibi adiumenta suppetent. Vale.

SVMMA LIBRI.

De tribus causarum generibus. Probationibus omnibus. Elocutione, ac Orationis partibus, tum in uniuersum, tũ sigillatim in unquoque causarũ genere.

De genere Deliberatiuo. Cap. I.



RIA sunt genera ciuilium causarum: deliberatiuum demonstratiuum, iudiciale. Horum autem species sunt septem, suasio, dissuasio: laus, uituperatio: accusatio, defensio: & quęstio aut ipsa secundum sese, aut ad aliud. species igitur, in quibus omnis

uersatur oratio, hę sunt numero. His autem utimur, & in consultatione ciuili, & apud iudices, & circa alicuius certę personæ dictionē: de quibus quidem omnibus ita poterimus aptè dicere, si sigillatim uniuscuiusque speciei uim, & usum, & exercitationem numerò comprehenderimus. Et primum quidem de suasionibus, dissuasionibusq; est dicēdum. ipsarum, enim usus in demonstratiuo, deliberatiuoque genere locum in primis habet. Vt igitur summatim dixerim, suasio est ad aliquid eligendum, aut dicendum, agendum ve exhortatio. Dissuasio uero, ne quid eligatur, aut dicatur, agatur ve, dehortatio. His autem ita definitis, suasor ostendat, oportet hæc ad quæ exhortatur, iusta, & legitima, & utilia, & honesta, & iucunda, & facilia factu esse. quod si minus id poterit; demonstrandum erit cum ad laboriosa, & grauia quædam exhortatur, hæc factu, & possibilia esse, & quàm necessaria. dissuasor aūt ex contrarijs dehortari oportet, ut neque iustum, neque legitimum, neque utile, neque honestum, neque iucundum, neque factu possibile hoc sit, uel saltem & laboriossimum id esse, & minimè necessarium. Omnes autem actiones harum utrisque sunt causarum participes. quare dubitandum non est, quin oratio harum alteram contineat. Quæ igitur suadentes, dissuadentesque desiderare conueniat, hęc sunt. Definire autem iam aggrediar unumquodque horum quid sit: demonstrabiturque, unde ea nobis in dicendo suppeditemus.

Iustum igitur est, hominum plurimorum non scripta consuetudo, honesta, turpiaque determinans: id uero,

uero, est honorare parentes, amicis benefacere, & beneficijs gratiam referre. hæc enim & his similia nõ iubẽt scriptæ leges hominib. faciũda, sed cõsuetudine nõ scripta, & cõi quadã lege legitimũ fit. iusta igitur hęc sunt. Lex aũt est cõis ciuitatis consensus, qui scriptis præceperit, quomodo unumquodq; agendum sit.

Vtile uero est præsentium bonorum conseruatio, aut absentium comparatio, aut malorum stantium propulsatio, aut futurorum incommodorũ inhibitio. Hoc autem diuidas, oportet, priuatis quidem hominibus in corpus, & animam, & res extrarias. corpori enim est utile robur, formæ dignitas, bona ualetudo. animo uero fortitudo, sapientia, iustitia. extraria uero sunt amici pecuniæ, possessiones. his autem contraria inutilia sunt. Ciuitati autem utilia talia quædam sunt, concordia, uires ad bellum, pecunię, & prouentuum copiæ, sociorum uirtus, atque multitudo, ac summatim reliqua his similia vtilia esse ducimus: quę verò his contraria, sunt inutilia.

Honesta uerò sunt ex quibus splendor aliquis, atque illustris honos in eos, qui aliquid gesserint, emanaturus sit. Iucunda autem, quę afficiunt gaudio. Facilia verò sunt, quę breui tẽpore, & minimo labore, impensaq; absoluuntur. Possibilia aũt, quęcunq; fieri natura possunt. Necessaria uero, quę ut fiant, arbitrij nostri non est, sed tanquam ex diuina quadã, aut humana necessitate omnino fiunt. Iusta igitur, & legitima, & vtilia, & honesta, & iucunda, & facilia, & possibilia, & necessaria hęc sunt. De his autem dicere abundè poterimus, & ex antedictis, & his similibus,

libus, & ipsis contrarijs, & ab ijs, quæ iudicata sunt, aut a Dijs immortalibus, aut a claris hominibus, aut a iudicibus, aut ab aduersariis nostris. Cuiusmodi igitur iustum esset, declarauimus.

Simile autem iusto est huiusmodi. nam quemadmodum iustum existimamus obtemperare parentibus itidē conuenit filios parētū res gestas imitari: et ueluti beneficijs benefacere iustum est, ita et in ijs, a quibus mali nihil suscepimus; iusto simile est non nocere. Hoc igitur modo simile iusto captiendū est. Ex contrarijs aūt opus est exemplum ipsum perspicuū faciamus. Nam ueluti iustum est in eos anima aduertere, qui aliquid perperam patrauerint, ita ijs, qui nos beneficio fouerint, referre gratiam decet. Id autem iustum, quod ab aliquibus claris uiris iudicatum fuerit, sic erit accipiendum. uerum neque nos soli odio hostes insequimur, maloq; afficimus. sed & Athenienses; & Lacedęmonij iustum esse iudicant inimicos multare. iustum igitur hoc modo crebra exercitatione accipies. Legitimum uero quale etiam ipsum sit, antea nobis definitum est. Oportet antea ubi usui sit, ut is qui sententiam dicit, legem etiam adsumat; deinde simile legi scriptæ, esset uero huiusmodi. Nam sicuti legunlator maximis animaduersionibus fures plectendos uoluit; ita, & seductores maximopere sunt multandi, etenim hi furantur eius, quē deceperint hominis mentem. & ueluti legunlator hæredes eos statuit, qui genere proximi iis essent, qui sine filiis interissent, eodem modo & huius peuuniarum, rerum quæ liberti me nunc dominum fieri decet,

nam


uam cum ijs, qui ipsum liberarint, hac luce orbatis, proximus ipse sim cognitione, iustus certe sum, qui illius res omnes dominio teneam. Legitimo ergo simile adsumitur hoc modo. Contrarium uero sic. Siquidem lex prohibet publica priuatim distribuere; perspicuum est eos, qui illa distribuunt, iniuria omnes afficere a legumlatore iudicatos: nam si eos leges ornari iubent, qui honeste rebus communibus iusteque præfuissent; nequaquam obscurum est, quin & publicarum rerum dissipatores multa dignos existiment. ex contrarijs igitur ita legitimum clarum fit. Ex iudicatis autem hoc modo. Neque ipse solum præsente legem harum causam rerum a legumlatore positam dico, sed etiam antea ipsi iudices authore Lysitida æque atque nunc a me dicitur, sententiam de hac re protulere. Legitimum igitur hoc modo tractantes multipliciter demonstrabimus.

Vtile autem quale sit antea definiuimus. Assumendum est autem in dicendo etiam si quid ex vtile inciderit: eodemque modo tractandum quemadmodum iniusto, legitimoq; tradidimus; & sic crebris in locis ostendendum. Esset autem vtili simile huiusmodi. Sicuti namque in bello conducit eos, qui plurima valent animi magnitudine, primos in acie ordinare; eodem modo in rebuspu. per magnæ vtilitati est prudentissimos multitudini, iustissimosque præ esse, & quemadmodum hominibus in bona valetudine cauere, ne in aduersam incidant, vtile est, ita etiã pacatis vrbibus. concordiaque vtentibus conducibile est sese ab omni seditione custodiant. Similia ergo vtili hoc

modo

modo crebro tractanda sunt. Ex contrarijs autem vtile sic perspicuum fit. Nam, si conducit eos ciues qui æqui, & boni sunt, honoribus prosequi, ita punire improbos, vtilitatis plurimum adfert: & siquidem inutile est nos solos aduersus Thebanos bellum gerere, vtile erit, ut Lacedemonios socios nobis adsciscamus; itaq; aduersum illos belligeremus. Ex cõtrarijs igitur sic utile clarum efficies. Vtile uero à claris uiris iudicatum hoc pacto adsumes. Nam & Lacedemonij, ubi Athenienses bellos superassent, usui sibi fore existimarunt, ne eorum urbem in prædam uerterent: & Athenienses rursum cum possent Spartam funditus euertere, conducere sibi arbitrati sunt, si Lacedæmonij superessent. Et iustum quidem & legitimum, & utile sic tibi tractandum est. Honestum uero, & facile, & iucundum, & possibile, & necessarium quomodo & hæc superiora te tractare conueniet, & de his quidem, & hisce dicere commode poterimus.





IOAN. MARINELLI IN RHETORICAM ARISTOTELIS AD ALEXANDRVM Expositio.



RIA sunt genera ciuilium causarum] In primo lib. Rhet. ad Theod. disierit Aristot. tantummodo tria esse causarum ciuilium genera: quoniam tria sunt genera auditorũ, quos necesse est, aut spectatores esse, aut senatores, aut iudices. iudex est præteritorum, & hæc ad iudiciale genus pertinẽt: senator futurorum, & ea ad deliberatiuum: spectator præsentium, quæ ad demonstratiuum: nam de preteritis lis fit, de futuris consilium habetur, & præsentia demonstrantur.

Horum autem species sunt septem, suasio, dissuasio: laus, uituperatio: accusatio, defensio: & quæstio] In primo lib. & loco citato sex tantum

tum numerat, dum ait. Deliberationis duæ sunt partes: altera suasio, altera dissuasio: iudicij accusatio, & defensio: demonstratiui, siue exornationis laus, & uituperatio. de quæstione uerò ne uerbum quidem facit. sed, ut ipse subdit, quemadmodum finis proprius propriam respicit genus, ut honestum, & turpe demonstratiuum: & alia duo, ueluti qui deliberat aliquem laudat; dum asserit eum, utilitate propria neglecta, honestum aliquid effecisse: sic quæstio præcipua generis iudicialis pars uidetur: cum omnis argumẽtatio huiusce generis propria sit: attamen ad singula genera referri potest.

Suasor ostendat, oportet hæc, ad quæ exhortatur, iusta, & legitima, & utilia, & honesta, & iucunda, & facilia factu] Cuique generi finis est unus, qui est locus uniuersalis, atque genericus probationum, quæ ad genus illud attinent. exempli gratia finis generis deliberatiui est utilitas, & damnum: siquidem consulendum sit, ut utilitatem eligamus, damnum uerò fugiamus. si quis igitur dicat, Mouendum est bellum: ex eo enim utilitatem capiemus, uel damnum saltem uitabimus. Vtilitas, & damnum est medium, siue probatio quæ nos ad bellum gerendum suadet. ea quoque est locus, siue elementum, & genus, à quo species utilitatis, coniunctaque sumamus. species uerò utilitatis plures recenset Aristo. in lib. primo ad Theodec. & quæ utiliora sint, & quæ utilitati annexa sint: nam aliquod utile est hone-

honeſtum, uel iuſtum, uel legitimum, uel iucundum, uel facile, uel poſsibile, uel neceſſarium. finis uerò utilitatis eſt fęlicitas. & idcirco ab uno quoque horum ſumere licet propoſitiones huic generi idoneas. Nec exiſtimes uelim, quanquam plurimę ſunt, probationes tantum ab his colligi. infinitæ enim ferè à perſonis, & à rebus, quæ circunſtant probationes accipimus, quemadmodum aliàs dicemus. Præterea illud ſciendum eſt loca generica, quæ explicauit Ariſto. hoc eſt utile, iuſtum, honeſtum, & alia non propria eſſe generis deliberatiui; ſed annexa utilitati, quemadmodum etiam præter honeſtum cętera ſunt demonſtratiuo coniuncta, & minimè propria.

De his autem dicere abundè poterimus & ex antedictis, & his ſimilibus] Cùm propoſitiones, ſiue probationes inuenire uolueris, primum loca inſpice generica, ueluti utile. deinde ſpecies, ut quæ utilia ſint, & quot. in his enim exiſtunt ſpecies. poſtea quæ ſint ſimilia utilitati, quæq; contraria. præter ea hæc auctoritate, iudicio, ſententia, arbitrio, uoluntateque deorum immortalium, aut clariſſ. hominum, aut iudicum, aliorũque ſunt comprobanda. ſit igitur ordo in probationibus eligendis is, ut primum conſideremus propoſitum, de quo oratio habenda eſt, atque uideamus in quo cauſarum genere collocetur. Eſto propoſitum. Mouendum eſt Turcis bellum. id ſub genus deliberatiuum, ut paulò poſt

dicet Aristo. cadit. hoc cognito, finem huius generis respice, & is est utilitas, & eius cõtrarium. hæc est generica ratio, siue fides, siue probatio propositi. quapropter tale effice enthymema. Mouendum est Turcis bellum: quoniam utile erit. deinde species utilitatis considera, siue ea, quæ utilia sunt, de quibus antea egit Arist. & in libro primo ad Theod. copiosè. atque his comproba utilitatem, & dices. Nam præsentia bona conseruabimus, absentia comparabimus, dignitatemque tuebimur. postea quæ, & quot bona, & huiusmodi alia sint explicabimus: etenim utile reperitur & in persona, & in his, quæ sunt extra personam. præterea contraria utilitati considera, ex quibus tales accipies probationes. Instantia mala propulsabimus, futuraque incommoda uitabimus. postea quæ, & quot mala instent, recitabimus: eaque docet Aristo. in libro primo Rhetor. ad Theod. ea nanque sunt bono opposita. igitur ab oppositis sumas, addesque similia. omniaque, si opus fuerit, corroborabis testimonio clarissimorum uirorum, sententijs, atque alijs. dices quidem à maioribus nostris id gestum fuisse, à pluribus regibus, à Romanis, ab Athenienf. à Lacedemo. Præter hæc quę cum utilitate coniuncta, atque annexa sunt, singula eodem ordine, quo utilitatem, explica: nempè quòd honestum sit bellum, iustum, iucundum, facile, possibile, & necessarium: nam honesti species explanabis, atque aliorum, de

quibus

quibus diffusè disseruit Aristo. in libro primo Rhetor. ad Theod. dicesque exempli gratia ex hoc bello splendorem, ac summum honorem fore, ut consequantur, & maiorem gloriam augeant, & præsentem defendant dignitatem. deinde à contrarijs argues, dum ais. Ignominiam, turpitudinemque hanc, & illam delebunt, & præsentem uindicabunt. turpitudines, ac uituperationes ex eisdem per contraria locis accipies, à quibus honesta. Adde postea similitudines, & testimonia. atque hoc pacto agendum est de singulis coniunctis, & annexis: etenim plurimis abundabis argumentationibus. uerum, si maiora optas, lege Rhetoricę artis Aristo. explicationes, atq; lucubrationes in orationem Cice. Pro lege Manilia: nam totam Rheto. artem Aristo. comperies.

Quæ sint confutanda.

RVRSVS autem definiemus quantum, & quale, & quid, tum incuria, tum in concione consultabimus: nam si horum singula plane tenuerimus; res ipsæ pro vnaquaque nobis consultatione verba suppeditabunt. Communes autem species, quas diu ante nouerimus, facile in vnamquamque causam inducere poterimus. quapropter ea sunt nobis diuidenda, de quibus vulgo consultant omnes. Vt summatim ergo dixerimus, eæ, de quibus orationem habemus, propositiones septem sunt numero: necesse enim est nos & consultare, & orare tum in senatu, tum apud populum

lum, aut de sacrificijs, aut de legibus, aut de apparatu ciuili, aut de societatibus, ac fœderibus aduersus alias vrbes, aut de bellis, aut de pace, aut de pecuniarum prouentibus. hæ igitur propositiones sunt, de quibus omnis est nobis & consultatio, & oratio. Harum autem vnamquamque diuidamus, consideremusque quibus modis oratione in his vtẽdũ fuerit.

De sacrificijs autem abunde dicere necesse est: Aut, enim dicimus præsenti in statu ea seruanda esse, aut vt magnificentius, aut vt in his humilius quodammodo agendum sit. Cum igitur dixerimus in præsenti statu ea seruanda esse, causas inueniemus, ex iusto quidẽ dicentes, iniustum apud oẽs esse; præter cõsuetudines patrias quicquã agere quòdq; omnia vaticinia hominibus iubent patrio more sacrificia esse faciunda: & quòd eorum, qui vrbes primo condiderunt, & templa dijs immortalibus erexere, diuini cultus maximè sunt, diuque obseruandi. Et vtili autem dicemus, quòd ad rei pecuniariæ impensam, aut priuatim aut publice conducet, vbi pro patrio more sacrificijs sit indultum: & quòd ad ciuium audentiam ea res confert non mediocriter, quippe quòd grauioris armaturæ peditibus, æquitibusque, ac velitibus ludos celebrantibus ciues ea ambitione delectati audentiores fient. Ab honesto autem dicemus, si hoc modo celebritates pulchras spectari contigerit. A iucunditate uero, si & uarietas quædam circa Deorum sacrificia ad spectandum accesserit. A possibili autem, si in eiusmodi ludis nihil fiat neque parum, neque nimis. Cum igitur in rebus diu constitutis

stitutis consultatio nobis habetur, cum hæc tractamus. operæpretium est de antedictis, aut de horum similibus consideremus, & ea pro rei natura edoceamus. Cum vero consultemus, vt ad splendidiorem quendam apparatum sacrificia traducantur, eę sunt causæ nobis adferendæ, quibus merito consuetudines patrias mouere videamur, dictitantes, addere præsentibus quicquam, id haud esse soluere, sed augere potius res antea constitutas, ac firmatas: deinde quòd & consentanum sit Deos immortales beneuolentiore in eos esse, a quibus magis uenerentur. Item quod neque maiores ipsi eundem semper modum in sacrificijs obseruabant, sed pro tempore, proque secundis rebus & priuatim, & publicè Deorum cultum legibus sanciebant, postea vero quòd ueluti in cæteris rebus omnibus consueuimus, ita & respublicas, atque priuatas domos administramus. Dicas, enim opus est, si qua his ita constitutis vtilitas ciuitati, aut splendor, aut uoluptas futura est, quæ quidem omnia ita tractabis, veluti in superioribus dictum est. Cum ad humilius exhortamur, primum quidem temporibus est accommodanda oratio, dicendumque quibus in rebus deterius nunc habeant, quam antea habuissent. deinde uerò quòd ne consentaneum quidem sit Deos sacrificantium sumptibus, sed pietate potius gaudere. item quòd eos, qui supra uires quicquam faciunt, & Dij & homines quam stultissimos iudicant demum uero quòd nec in hominum arbitris publici sumptus modo, uerum & in secundis, aduersisque rebus existunt. Has igitur causas & harum similes in

sacrificiorum propositionibus habebimus. Vt autem & quæ ad optimum sacrificium pertinent, sciamus & exponere, & sancire hoc etiam definiam. Est enim id unum omnium quidem optimum sacrificium quod aduersus Deos piè, ac diuinè, ad sumptus verò moderate, ad bellum autem vtiliter, ad spectacula vero splendide habuerit. Aduersus autem Deos habebit piè, si patriæ consuetudines, institutaque nō soluantur: moderate vero ad sumptus, si non quæcunque ad pōpam missa fuerint, consumantur. Ad bellum autem vtiliter, si equites, & milites vna composite ludos agant, ad spectacula vero splendide; si & auro, & ijs huiusmodi rebus quę haud consumuntur, magnifice quis utitur. Quæ igitur aduersus Deos seruanda sunt, perpulchre ex his constituemus. Ex ijs verò, quæ antea dixerimus, planè scire poterimus quibus modis oratio de unoquoque sacrificandi genere haberi possit.

De legibus, aut deque constitutione ciuili rursus eodem modo tractemus. Etenim leges sunt, vt summatim dixerim, ciuitatis publici consensus, qui scriptis terminant, atque imperant quid unumquodque agendum sit. Eę vero leges colendæ sunt, quibus magistratus parui quidem, ac multi ex sortitione, id quod seditione uacat, maxime autem ex totius multitudinis suffragijs in popularibus principatibus designentur, ita, enim & ipse populus, quoniam in ipsos sit eos donare honoribus quos uoluerit haud quaquam accipientibus inuidebit, & clariores magis, magisque probitati studebunt, utpote, qui intelligant

usui sibi futurũ apud ciues se probari. Quæ igitur circa comitia in populari dominatu sanciri oportebat, hæc sunt. Quæ vero ad reliquam administrationem pertinent, sigillatim exponere operosum admodum fuerit. Verum, ut breuiter dixerim, id obseruari oportet, vt multitudini leges impedimẽto sint, ne locupletum rei insidientur: diuites ãt inducant, vt ultro ad publica ministeria munificentissimi sint. Hoc autem assequi poterunt si locupletes pro ea, quam in publicum munificentiam exhibent, statutis quibusdam honoribus, ab ipsis legibus donentur, sique & agricolas pauperibus, & nauium gubernatores vectoribus anteponant: sic enim & locupletes non inuiti reipub. inseruient, & plebes non calumniæ, sed ministerijs studebunt. Opus est præterea in cõditis legibus seueritatem inesse, qua neque agrum ad egestatem redigere, neque morientium substantias publicare fas sit: & magnos iis cruciatus inscribere, qui hæc obseruare neglexerint. Decet autem aliquem ijs honestum sepulturæ locum ante urbem dari, qui pro patria bellando perissent, & eorum filios ad pubertatem usque publicis alimentis enutriri. huiuscemodi igitur leges in populari principatu ferendæ sunt. In oligarchijs uerò quæ paucorum damnatu administrantur, magistratus eique fiunt in oẽs illius ordinis uiros distribuendi legibus. Horum autem plurimi quidem ex sortitione, maximi uerò magistratus occulto suffragio, & iureiurando & magna cum diligentia, atque studio decernendi sunt: in eos autem qui ulla in ciues vti contumelia perrexerint, maximæ sunt pœnæ constituendæ.

dæ. plebs nanque non ita ægre patitur quòd magistratibus caret, quam grauiter, & molestè fert, quòd afficitur contumelia. Ciuium autem controuersias per breui dissoluere, neque in tempus trahere conuenit. Neque vulgus in vrbem ex agro est congregandum: nam ex huiusmodi conuentibus plebes turbantur, paucorumque principatus rescindunt. Vt paucis igitur dixerim, dicunt in popularibus principatibus leges cohibere plebem, ne locupletiorum bonis inhient, insidienturque: in paucorum vero principatibus auertere illos, qui rempubli. gerunt, & ab imbecillorum contumelijs, & a calumnijs, insimulationibusque in ciues. Quę igitur, & in legibus, & in omni constitutione ciuili desideranda obseruandaque sunt, ex his cognoscens. Is autem orator, qui quicquam lege suadere voluerit, hāc ostendat oportet æqualem esse ciuibus, & reliquis legibus consentaneam, ciuitatique conducibilem ad quietem, & concordiam maxime, uel ad ciuium probitatem, aut ad publica tributa, aut ad ipsius reip. gloriam, aut ad vrbis potentiam, aut ad aliud huiusmodi aliquid vsui cedere. Aduersarius verò primum considerabit, an minus lex illa communis sit omnibus, deindè an reliquis legibus nō consentiat, sed aduersetur potius quodammodo: præterea an ad horum, quæ ante dicta sunt, conductura sit nihil, sed contra nocitura potius. De legibus igitur, deque constitutione ciuili ex his et contendendo, & orando nobis facilius aditus fiet.

De socijs autem, deque aduers-alias vrbes Fœderibus dicere incipiemus. Fœdera igitur, atque eorum

ordines necesse est publicis conuentionibus fiant. socij vero pro ea temporum sunt conditione faciundi, cum aliqui suis viribus infirmi sunt, aut bellum aliquod uideatur impendere, aut eo est cum aliquibus ineunda societas, quod bello quosdam a se defecturos putent. Hæ igitur sunt causæ, hisque consimiles, quibus plures nobis adscimus socios. Necesse est autem cum ineundam societatem persuadere uolueris, eam maxime tempestiuam ostendas, declaresque eo socios apprime iustitiam colere, & bene antea rempublicam affecisse, esseque potentissimos, & in proximo residere. quòd si minus hæc omnia potueris; quę suberunt, oratione complectere. Cum autem societatem dissuaseris; primum ostendas oportet haud nunc eam facere opus esse: deinde quod neque hi iusti sunt, postea vero quòd & male nos prius affecerint. sin id minus poterimus; dicemus eos a nobis porro habitare, neque facultatem his esse: quo nobis opportune, ad sint auxilio. Ex his igitur, hisque similibus circa faciundas, aut non faciundas societates, & dissuadendi, suadendique vsum facile cognoscemus.

Rursus autem, & pacis, & belli faciundi maxima nobis argumenta capiantur. Causę itaque bellandi aduersus aliquos sunt huiusmodi. Par autē est de ijs tempestiue nunc ultionem capiamus, qui nos antea iniuria lacessiuerunt: ut nunc iniuria prouocati pro nobis ipsis, aut pro cognatis, aut pro ijs qui benefici erga nos fuerint, aut quo auxilio simus iniuste affectis socijs, aut publica pro vtilitate aut ad gloriam, aut ad opes, aut ad uires, aut ad aliud quippiam huiusmodi

modi bellum suscipiamus. Cum igitur ad bellum voluerimus auditores exhortari: debemus ex his causis quamplurimas dicendo complecti, ac demum demonstrare eorum plurima, quibus bellantes superiores fiant, ipsis auditoribus adesse. Superiores etenim omnis fiunt, aut Deorum beneuolentia, quam bonam fortunam appellauerimus, aut corporum multitudine, atque robore, aut pecuniarum affluentia, atque imperatoris prudentia, aut uirtute sociorum, aut opportunitate locorum. Ex his igitur, & similibus quæ maxime rei congruant, bellum sumi oportere exhortabimur, aduersariorum partes deprimendo, nostras autem augendo, atque amplificando. quod, si futurum bellum impedire studuerimus; primum eæ causæ inueniendę sunt, quibus demonstretur aut omnino nullam, aut paruas, humilesque molestias afferri, quibus ad bellum rapiamur. Deinde quòd bellum minime conducit: eritque; percurrendum quę omnibus bello soleant accidere calamitates. Ad hoc item ostendendum, quæ uictoriam solent in bellando efficere, ea hostibus magis adesse. hæc autem sunt, quæ paulo ante commemorauimus. Futurum itaque bellum ex ijs rebus dissuademus. Quod si ab instanti bello quiescendum esse cohortabimur, si quidem consultores superiores fuerint; hoc ipsum primum dicendum erit, decere eos, qui mente valent, haud operiri quo ad casum eant, sed cum uincunt, pacem faciundam ijs esse. deinde quoniam ea belli natura sit, ut plerosque ex eis, qui secunda in eo fortuna primum vsi sunt ad postremum perdant:

dant:pacis uerò contra,ut & uictos seruet, & victo ribus rerum bello adeptatum fructum adferat. exponendum etiam erit eas,quæ in bello cum multę, tum varię mutationes fieri solent. Qui ergo superiores in bello fuerint,ex huiusmodi rationibus ad pacem exhortabimur: eos autem quibus aduersæ in bello res extiterint;tum ex ipsis casibus exhortabimur: tum verò a quibus iniuriam ante susceperint, suis calami tatibus admoniti irritare eos ne pergant: tum ex ijs periculis,quæ antea quam pacem noluissent, perpessi fuerint: tum denique quòd satius partem aliquam suarum fortunarum potioribus ipsis cedere quam bel lo periculose decernere, quò ipsi vna cum sua re pereant. Summatim autem id sciamus oportet, tum solere omnes homines bellum inuicem soluere, cum aut iusta hostes rogare arbitrentur,aut cum aduersus socios vlla fuerit exorta contẽtio, aut bello defatiga ti sint, aut aduersarios timuerint, aut ipsi inter sese diffideant. Quamobrẽ quæ ex his omnib. atq; horũ si milibus cõmodatissima in rem fuerint colligẽs,quam facillime & de bello poteris,& de pace differere.

Reliquum est, vt de pecunijs comparandis iam loquamur. Primum igitur considerandum erit,si quid ex urbis possessionibus neglectum est, quod neque redditum afferat, neque Diis immortalibus dedicatum sit: ueluti sunt quidam publici loci iam neglecti, ex quibus aliquis prouentus,ubi ii priuatis hominibus, aut uenditi, aut mercede exculti fuerint,ciuita ti fiat: huiusmodi namque census omnium maxime communis est, semper. Quod si nihil sit huiusmodi,

necesse erit pro singulorum copiis tributa inferantur: vt pauperibus quidem indictum sit corpora, locupletibus autem pecuniam, opificibus uerò arma præstent aduersam pericula. Summatim autem oportet eum, qui de huiusmodi prouentibus narret, dicere eos æquales ciuibus, & diuturnos, ac magnos esse: hostibus autem secus. Propositiones igitur, de quibus in deliberatiuo verba faciemus, & harum partes, de quibus orationem, & suadendo, & dissuadendo constituemus, ex antedictis cognoscemus. Rursus autem propositiones delaudatiua, vituperatiuaque specie deinceps dicere aggrediemur.

Rursus autem definiemus, quantum, & quale, & quid] Diximus antea plurima assumi loca, & rationes ab utilitate, & ab his, quæ utilitati adiuncta sunt: atque enthymematum formas duci à speciebus utilitatis, ab adiunctis utilitati, & à speciebus adiunctorum, & à contrarijs, & à similibus, & ab auctoritate. si igitur à specie; & à genere, à differentia, à forma, à materia, siue à re, in qua utilitas existit, à toto, à partibus, ab indiuiduis, à coniugatis percipiuntur rationes. Nunc hoc loco explicat Aristo. in quot, & quibus rebus utilitas reperiatur non priuata, sed publica: atque quot sint, de singulis consultare, ac deliberare contingit tum in senatu, tum apud populũ: eas uerò asserit septem esse, circa quas genus deliberatiuum uersatur sacrificia, scilicet, leges, apparatũ ciuilem, societates ac foedera aduersus alias urbes, bellum, pacem, & pecuniarum prouentus

uentus. hæc ſunt propoſita uniuerſalia, de quibus eſt nobis, & conſultatio, & oratio. In lib. autem primo Rheto. ad Theodectea quinque numero eſſe affirmat, de quibus, deliberantes ſententiã in concione dicunt, hoc eſt, de uectigalib. de bello, & pace, de cuſtodia regionis, de ijs, quę importantur, & exportãtur, ac de ferendis legibus. deinde, ſi quis de horum aliquo bene conſulturus ſit, quot, & qualia ſingula ſint, noſſe oportet. ea quidem exponit Ariſt. Nec dicendum eſt eum a ſeipſo diſſentire; cum modò quinq; modò ſeptem eſſe generis deliberatiui propoſita, ſiue ſubiecta ſcribat: nã & multò plura ſunt, ſed maxima quinque, uel ſex. ſumpto igitur horum aliquo propoſito, ad confirmandum eligas, quæ antea ſunt deſcripta, eaque ſunt, utile, honeſtum, iuſtum, legitimum, iucundum, facile, poſſibile, & neceſſarium: atque ſingulorum definitionẽ, genus, ſpecies, differentias, totũ, partes, formas, materias, indiuidua, coniugata, atq; propria accidentia animaduertas: deinde cauſas cuiuſque efficientes, fines actus, antecedentia, comitantia, ac conſequentia, nomẽ rei, locum tempus, & cętera circunſtantia: poſtea comparata, ueluti ſimilia, exempla, imagines: præterea oppoſita, ut contraria, relatiua, priuatiua, enuntiatiua, ſiue affirmatiua, & negatiua: demumq; pronuntiata, in quibus comprehendimus leges, quęſtiones, teſtes, pacta, iuſiurandum. Sunt autem pronuntiata omnia aut diuina, aut humana. diui-

na

na sunt quæcunque Dei, uel numinis uoce perferuntur: ut quæ per quietem, & quæ locis, sacris, aut uiris flagrantiore diuinorum amore afflatis, aut postremorum etiam scelerum nonnunquam obnoxijs territamenta solent reddi: & quę item diuinarum rerum ministri, sacerdotes, uatesque, uelut, interpretes, & cęlestium arcanorum conscij prædicant. Humana sunt, quorum prima est à nobis, origo. hæc uel in scriptis sunt posita, ut chirographa, instrumenta, epistolæ, libri: uel in oratione, eaque uel libera, ut laudationes, res iudicatæ, dicta testium, pacta, conuenta: & doctorum, clarorum uirorum, magnorúque sententiæ, rumor, & fama populi, uel in oratione expressa: aut religione, ut iurata: aut tormentis, ut quæsita. Hæc particularia loca accepimus ex lib. 2. Rheto. ad Theod. ubi de locis enthymematum agitur.

De genere demonstratiuo. Cap. III.

LAVDATIVA igitur species (vt compendio utar) est & voluntatum, & rerum gestarum, & verborum illustrium amplificatio, & eorum, quæ absint accommodatio: vituperatiua autem contra illustrum horum extenuatio, obscurorum uerò exaggeratio. Et digna quidem laude ea sunt, quæ iusta, quæ legitima, quę vtilia, quę honesta, quæ iucunda, quæ facilia facta sunt; quæ quidem omnia cuiusmodi sunt, & quo pacto ijs abundæ vtamur, in superioribus dictum est.

Oportet

Oportet autem eum, qui laudat, oratione ostendat in hoc, seu homine, seu in rebus huius aliquid inesse, quid aut ipse gesserit: aut per ipsum manarit, aut ex hoc contigerit, aut huiusmodi gratia factum fuerit, aut quod sine hoc patratum non sit. Eodem uero modo & uituperator ostendat oportet horum contraria inesse in illo, quem vituperatum velit. Quod ex hoc contigerit, hoc modo. Ex studiosa corporis exercitatione uictoriæ contingunt; & ex otio in ægrotationem inciditur. item ex philosophiæ studio homines circa prudentiam sunt acriores; & ex negligentia sunt rerum necessariarum indigentes. Quod huiusmodi gratia factum fuerit, hoc modo: Vt a ciuibus coronentur, permultos labores, permultaque pericula mortales perferunt, & vt iis, quos diligunt gratificentur, aliud curant nihil. Quod autem sine hoc patratum non sit, hoc modo. Neque sine nautis nauilium pugnarum uictoriæ, neque sine potu ebrietates fiunt. Hæc autem, atque iis similia perinde vt superiora percurrens & laudare, & uituperare abunde poteris. Amplificationes uero, extenuationesque ac talia simul quoque hoc modo tractabis. Primum quidem ostendes (veluti modo docebamus) ab hoc multa, vel bona effecta esse. Vnus igitur amplificandi modus hic est. Secundus autem modus, est, cum iudicatum aliquid transfers, si quid laudes: bonum: sin autem uituperes; malum, deinde conferas oportet quod abs te dictum sit, & ad inuicem compares, ex tuis maxima, ex aduersarii uero dictis minima enarrando & hoc modo magnum illud iudi-

catum

catum ostendas. Tertius modus est, ut ad illud, quod abs te dictum est, minimum quid ex iis, quę sub eandem speciem cadunt, compares. sic enim quod abs te dicitur, maius apparebit; ueluti mediocri statura homines maiores apparent, cum ad minores comparantur. Amplificare autem poteris hoc modo. Si magnum sit hoc bonum iudicatum, magnum appareat malum necesse est, ubi contrarium huic aliquid narraueris. Eodem uero modo si magnum malum existimatur, ubi huic contrarium dixeris, magnum bonum apparebit. Amplificabis autem, & hoc pacto vel bona, vel mala, si eum gradatim ostenderis, quòd præmeditatus iamdiu fuerit, quod de industria multa gerere aggressus sit, quod per multum tempus gesserit. quibus cum nemo alius, quod post hos post quos alius nemo, quod sponte, quod ex sententia, quod si omnes pariter, atque hic fecerimus, profecto bone, beateque, aut contra male, misereque vixerimus. Oportet autem, & consequenti continuatione, uti, & rem alteram tanquam in alteram properando amplificare, hoc modo. Cuius uerò amici curæ sunt hunc recte consentaneum est suos etiam colere parentes: qui autem suos parentes colit, hic profecto uolet etiam patriæ benefacere. Summatim autem si multarum siue bonarum, siue malarum rerum eum causam ostenderis, eæ magnæ uideantur necesse est. Considerandum est etiam qualis res ipsa uidebitur, eam suis partibus diuidendo, sigillatimque narrando, quæque maior uisa fuerit, eam hoc modo explicare conueniet. Amplificando igitur

tur ubi hoc pacto tractaueris, & plurimas facies, & maximas.

Extrema bis autem in dicendo, & bona, & mala, si contrario modo tractaueris, sicuti in magnis dixeramus, & tum maxime. cum nullius enim rei authorem demonstraris, uel si id minus quod minimarum, & paruissimarum. Quomodo igitur & laudando, & uituperando amplificabimus, atque extenuabimus quæcunque voluerimus, scire ex ijs poterimus. Amplificationum autem causæ in alijs quoque speciebus vtiles sunt: sed plurima ipsarum vis in laudationibus, uituperationibusque consistit, de quibus quidem ex antè dictis planè adiumenta nobis suppeditabimus.

Laudatiua igitur species] Nunc ad secundum causarum genus accidit Aristo. quod est genus demonstratiuum. Illud igitur, quod tribuitur in alicuius certæ personæ laudem, uel uituperationem, genus causæ demonstratiuum appellatur. personam autem uoco non corpus hominis solum; sed animum, & facultates utriusque, nempè prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam: robur, pulchritudinem, formam, sanitatem, & huiusmodi: sic sexum, ætatem cognationem, nationem, patriam, consuetudinem uiuendi, pręceptores, bona fortunæ, filios, studia, dicta, facta, orationes, nomen, & id generis: nam omnes, ac singulæ hæ partes sunt personæ, quæ laudari, uituperarique possunt. Laudantur etiã res inanimatæ, quemadmodum hæ, quæ uel ad perso-

perſonam referuntur, uel ipſam imitantur. hæc igitur ſunt, quæ laudantur, aut uituperantur.

Cauſas uerò, quæ efficiunt rem laude dignã, aut indignam, narrat Ariſtò. dum inquit. Digna laude ea ſunt, quæ iuſta, quæ legitima, quæ utilia, quæ honeſta, quæ iucunda, quæ factu facilia. Cum igitur aliquem laudare uolueris, aut res ipſius geſtas celebrare; honeſtum hominem, iuſtum, iucundum eſſe: atque eius facta legitima, utilia, factu facilia, poſſibilia, ac tandem neceſſaria egiſſe demonſtra.

Ac quonam pacto id oratione conſequi poſſis, quinque præcipit loca Ariſt. generica, à quibus particularia duces, cum ait. Oportet eum, qui laudat, oratione oſtendat in hoc ſeu homine, ſeu in rebus huius aliquid ineſſe, quod aut ipſe geſſerit, aut per ipſum manarit, aut ex hoc contigerit, aut huiuſmodi gratia factum fuerit, aut quod ſine hoc patratum non ſit. Nam primus locus ſunt res ipſius geſtæ, ſecundus quę harum cauſa facta ſunt, tertius quæ ab his contigerunt, quartus eſt finis, cuius gratia ſunt facta quã plurima, quintus ſunt cauſæ, ſine quibus effici minimè potuerunt. hæc quoq; comperies & in lib. primo & in ſecundo Rhet. ad Theod.

Finis autem generis demonſtratiui ſunt uirtus, & uitium: ſiue honeſtas & turpitudo; qui enim laudant, & uituperant, hos ſibi proponunt ſcopos. iuſta legitima, utilia, & alia ſunt finibus adiuncta. quapropter, ſi quempiam laudare, aut

uitu-

uituperare uolueris; primum tibi ſit uirtus, aut uitium, quod in ipſius perſona hæret, aut extra. In perſona uerò conſiderantur actiones quæ à tota perſona, uel à partibus proueniunt: quoniam laus in actionibus conſiſtit. Et, quia boni uiri eſt proprium in rebus gerendis delectum adhibere; danda eſt opera, ut oſtendas eum, quem laudas, delectu adhibito, res ſuas geſsiſſe: ad quod probādum utile erit oſtendere ſæpius illum rectè feciſſe. itaque illa etiam, quæ caſu, ſortuitoque contingunt, tanquam conſilio, & ratione facta ſint, laudare debes: nam, ſi multa, & ſimilia prolata fuerint; ea uirtutis, & conſilij ſignum eſſe uidebuntur. laus enim eſt oratio, quę uirtutis magnitudinem explicat. quare res eius geſtas, quem laudas, ita tractare oportet, quaſi à uirtute profectæ ſint. qua de re ij ſunt laudandi, qui iam præclarè aliquid geſſerunt. actiones enim & opera ſunt habitus animi ſigna. & certè illum quoque laudabis, qui nihil adhuc laude dignum geſſerit; ſi certum habeas eum talem futurum. Quæ uerò extrinſecus aſſumuntur, ad fidem faciendam ualent; ut nobilitas, atque educatio. credibile eſt enim è bonis parentibus bonos naſci filios, & eum, qui bene fuerit educatus, bonum futurum. Verum de uirtute, & honeſto: ac contrà de uitio, & turpi lege in lib. primo Rhet. ad Theod. etenim plurima ſunt ibi laudis, & uituperationis loca, quæ omnia ad quinq; generica reduces.

Copia

Copia igitur locorum inuenta, audi Ariſto. prçceptum in lib. primo citato ſcriptum, & illud eſt. Cum omnes qui laudant, & uituperant: qui ſuadent, & diſſuadent: qui accuſant, & defen dunt, non ſolum prædicta demonſtrare conen-tur; ſed etiam rem uel magnam, uel paruam eſ ſe, uel bonam, uel malam, uel honeſtam, uel tur pem, uel ęquam, uel iniquam, aut per ſe conſide ratam, aut aliarum comparatione; perſpicuum eſt eos etiam oportere de magnitudine, & par-uitate rerum, & de maiori, & minori propoſitio nes habere, atq; illas & generatim, & ſigillatim: ut quod maius bonum, aut minus: quod maius peccatum, aut meritum, & de alijs eodem mo-do. hæc Ariſto. quæ nobis indicant in omni cau ſarum genere, ſed præſertim in demonſtratiuo, poſtquam deelectum propoſitionū habuerimus, earum ſcilicet propoſitionum, ſiue probationū, ſiue mediorū magnitudinē & paruitatem inueſti gandam oportere, ac præterea maius, atque mi-nus bonum, hoc eſt, amplificationem, atque ex tenuationem perquirendam eſſe. quod autem hoc ſentiat Ariſto. confirmat in lib. ſecundo Rhe tor. ubi de his agit, quæ cuique cauſarum gene-ri annexa ſint, cum ait. Neceſſe eſt, ut in omni dicendi genere quæratur, quid fieri, aut non fie ri poſſit: & hi quidem demonſtrare conentur ali quid futurum, illi uerò factum eſſe. Quinetiam de magnitudine rei diſſerere commune eſt om-nium generum. omnes enim & amplificare, &

imminue-

imminuere solent & suadentes,& dissuadentes: & laudantes,& uituperantes:& accusantes,& defendentes. Et subdit. Ex locis autem communibus amplificatio demonstratiui generis est maximè propria. Itaque palàm fit honesto, & turpi,quæ sunt generis demonstratiui fines annexum esse magnum,& paruum,quo ea amplificamus,uel extenuamus,quæ honestè, uel turpiter acta sunt. Quot uerò loca,& quæ tribuat magnũ,& paruũ:aut maius,&minus honestũ,& turpe,explicauimus in lib.2.Rhe. ubi scribit Arist. de locis,fini demonstratiuis generis annexis.

Cum igitur amplificatio maximè generi cõpetat demonstratiuo; illud animaduertendum est eum,qui laudat,uel uituperat, non probare: nam res ipsæ,per quas laudamus, credi debent, raròque demonstrari solent, nisi fortè essent incredibiles.& propterea aut loca,& elementa laudum proferimus: aut quòd honestè,uel uiriliter gesserit, maxima ex parte amplificamus. Locus quidem primus est honestum; si laudamus: & turpe; si uituperamus.at uirtus est honestum, bonum,& laudabile: uitium autem contrà. Est autem uirtus uis quędam productiua,atque conseruatiua rerũ bonarum. partes uerò ipsius sunt prudẽtia,iustitia,fortitudo,modestia,magnificẽtia,magnanimitas,liberalitas,mãsuetudo, sapiẽtia.hæ quidẽ oẽs honestæ sunt,& quę has indicãt & quæ ab his proficiscuntur.manifestũ igitur fit honesta,ac laudabilia esse,quæ aut uirtutum ef-

fectiua, aut à uirtutibus proficiſcuntur, aut uirtu tum indicia ſunt. ſic & corporis commoda, & incommoda, ut diximus antea, laudamus.

Sed quoniam ſœpe accidit, ut duo laudabilia, aut uituperabilia inter ſe comparentur; hinc ma gis, & minus laudabile, aut uituperabile oritur, atque alterum altero laudabilius eſſe uiginti col ligitur elementis, ſiue locis, quorum propoſitio prima eſt. Ea magis ſunt laudabilia, quorum ho nor eſt, quàm quorum pecunia. ſecundus locus eſt ab eligibilibus, & prop. eſt. Quæcunque eli gibilium non ſui gratia quiſpiam gerit, ſed alijs utilitati ſunt, laudabiliora ſunt. Tertius à bene-factoribus, & prop. eſt. laudabilius eſt quod be nefactorib. fit, quàm his, qui aut malè fecerunt, aut non benefecerunt. Quartus ab his, quæ ſunt ſimpliciter bona & non ſibi. & prop. eſt. Quæ-cunque ſimpliciter bona ſunt, laudabiliora ſunt his, quę bona ſunt ſecundum quid ut ſibi, uel hoc in loco, uel hoc tempore, uel hoc pacto. Quin tus à patria, & prop. eſt. laudabiliora ſunt quæ-cunque quis pro patria facit ſua contemnens, quàm quæ facit pro ſeipſo. Sextus ab his, quæ natura bona ſunt, & prop. eſt. Quæ natura bona ſunt laudabiliora ſunt his, quæ aut ui, aut acci-dente, aut arte bona ſunt. Septimus à mor-tuis, & prop. eſt. Laudabiliora ſunt ea, quæ mor tuum conſequuntur, quàm uiuum. Octauus ab his, quæ laudis gratia fiunt, & prop. eſt. quęcun-que opera laudis gratia fiunt, magis laudabilia

ſunt,quàm quæ lucri gratia. Nonus ab oppoſitis hoc modo. Oppoſita eorum,quibus aut dicentes,aut facientes,aut dicturi, aut facturi erubeſcimus ſunt ualde laudabilia: nam contraria eorum,quæ ſunt magis uerecunda, magis ſunt pulchra, & laudabilia. Decimus ab his,de quibus trepidant,quamquam non timent, & prop. eſt.Ea,de quibus trepidant,etſi nõ timent,laudabiliora ſunt: nam in his bonis maximè afficiuntur, quæ ad gloriam ducunt. Vndecimus à uirtutibus natura excellẽtibus,& prop. eſt. Virtutes,ac opera eorum,quę natura excellunt, laudaliores ſunt. Duodecimus ab his, quib.alij magis fruuntur,quàm nos,& prop.eſt.quibus alii magis fruuntur,quàm nos, laudabiliora ſunt, & ob hanc cauſam iuſtum,& iuſtitia laudantur magis: quoniam multi fruuntur magis. Decimus tertius ab eo,quòd eſt inimicos ulciſci, cuius prop. eſt. Inimicos ulciſci laudabilius eſt, quàm reconciliari: nam malum pro malo reddere iuſtũ eſt.Decimusquartus a memorabilibus, & prop. eſt.quę magis ad honorem uita functi fiunt,magis laudabilia ſunt. Decimus quintus a ſuperuacaneis,& prop. eſt. quæ ſuperuacanea ſunt, ac pręter uitę neceſsitatem,magis ſunt laudabilia, quàm quæ ſunt pro uitæ neceſsitate: ob excellentiam enim illa fiunt. Decimus ſextus ab his, quæ ſoli inſunt.& prop.eſt.quæ ſolis inſunt,laudabiliora ſunt, quàm quæ multis: hæc enim memoratu digniora ſunt. Decimus ſeptimus, a non

frugiferis:huius prop.est. non frugifera prædia; & in uniuersum omne minus frugiferum laudabilius: quoniam id magis est liberum. Decimus octauus à singulorum proprijs, & propo.est. quæ sunt singulis propria laudabiliora sunt,quam quę omnibus communia. Decimus nonus ab indicijs,cuius prop.est. quæcunque indicia eorum sunt, quæ apud eos, quibus cum ui uis laudantur, laudabiliora sunt,ueluti apud Laconas comam nutrire est laudabile: libertatis .n. id apud eos indicium est. Vigesimus a carentibus artium mechanicarum,& prop.est.nulla uti arte mechanica,laudabilius est: nam liberum est non uiuere ad alium. Hæc de locis maioris laudis. his uerò contraria a teipso percipias.

Ad uerò quoniam nobis quandoque desunt uera laudum loca;ui coacti propositiones ab his sumimus,quæ sunt honestis propinqua. Verum loca huiusmodi sunt octo. Primus ducitur ab his, quæ deficiunt: attamen medijs propinqua uidentur: ueluti,si eum, q timidus est, ac stolidus,bonum,ac frugi appellemus. Secundus a cō comitantibus, quæ quamquam uitia sunt; semper tamen ad optimum ducenda sunt: ueluti, quoniam magnificantiam comitari solet iracundia,& furor; idcirco iracundum, & furiosum tanquam magnificum, uel magnanimum laudabimus: etenim iracundia & furor est apparēs quædā magnanimitas. Tertius ab excedentibus: nā qui medium excedunt,quasi uirtute præditi uidentur,

dentur,ut ferox fortis eſt laudandus,& prodigus liberalis; ſi enim prodigus in qualibet re conſumit diuitias; quãtò magis in amicos. Quartus ab his,q̃ apud gẽtes laudabilia habentur,ut Atheniẽſes apud Athen. laudare nõ eſt difficile:q̃a apud eos quę ſunt laudabilia, ſunt iure honeſta. ſed apud quoſdam aliqua ſunt laudabilia, quæ turpitudinem habent. Quintus ab his, quæ accipiuntur, ut conuenientia: utputa ſiquis honoris cauſa dignum aliquod inchoatum opus, imperfectum relinquet, id pro honeſto accipi debet: nã honoris acceſſio ad honeſtatem pertinere uidetur. Sextus ab his,quę etiam ſi minimè ſint conuenientia,ad melius tamen, & honeſtius ſunt reducẽda, quemadmodũ ſiquis ſecunda utatur fortuna,& nõnunquam ſit moderatus, quamquam id raro accidat; tamen laudari debet ut moderatus. Septimus ab his,quę caſu, uel fortuna facta ſunt, ueluti conſilio,ac prudentia factis. Octauus ab his,quę ſunt externa, ut parentes, præceptoresq́ue: ueriſimile namque eſt bonum eſſe ex bonis.laude igitur dignus eſt,qui bonis ortus eſt parẽtibus, boniſq́; præceptoribus educatus.

Amplificationes uerò extenuationesq́ue, ac talia ſimul] Amplificatio,ut ſcribit Ariſt. in lib. ſecundo Rhetor.& diminutio ſunt argumentationes ad aliquid oſtendendum, quod ſit magnum,aut paruum,quemadmodum etiam,quòd ſit bonum,aut malum:quod iuſtum,aut iniuſtũ, & in cęteris eodem modo hæc autem omnia

ſunt,in quibus ſyllogiſmi,atq; enthymemata uerſantur.quòd ſi nullum eſt locus enthymematis; neque amplificatio,aut diminutio erit locus.quare ex his uerbis facilè perſpicitur amplificationem in genere demonſtratiuo idem præſtare, quod in iudiciali enthymema:atque primum circa magnum,ac paruum,deinde circa bonum, ac malum,& alios fines uerſari. Cæterum magnũ, & paruũ,bonũ,& malũ & huiuſ.alia conſiſtunt, aut in perſona,aut in re .in perſona quidẽ;cũ nomen amplifices,naturam,modum uiuendi,& cęteras partes. In re uerò, cum ſingulas res enumeres, ſingulaque,quæ rem circunſtant, explices: aut diuidas, aut repetas, aut deſcribas.atq; hoc loco mirè confert ordo, qui deſideratur per diuiſionem rerum, & actionum naturalem, aut compoſitionem. Amplificationis aũt ſpecies hoc tempore quatuor, ac fortaſſe plures recenſet Ariſto.uerum tot ſunt, quot argumentorum genera.attamen,ſi rem, aut perſonam reſpexerimus; octo in lib.Rhetor.ad Theodect. comperiemus. prima autem ſpecies a perſona deſumitur: amplificamus enim ſi ſolus, aut cum paucis: nam qui aliquid præclarè geſſit, ſi id ſolus, aut cum paucis geſſit, maiori laude eſt dignus. Secunda,ſi eo geſſit modo,quo maximè fieri potuit: minima namque res nonnunquam maximam ſe præfert, ſi eo facta eſt modo, quo maximè potuit. Tertia, ſi primus fecit: uilis enim abiectaque res magnum quid uidetur; cum pri

mò

mò fit. poſtquam uerò factum eſt; aliquando le uiter ab alijs fit: omnia profectò hæc laudabilio ra ſunt. hanc ob rem rerum inuentores maiori quidem laude digni cenſentur ijs, qui res inuentas exornant, amplificantque. Quarta à tempore, atque occaſione ducitur. tempore, ſi quid eximij, præclarique ab adoleſcénti geſtum fuerit; is maiori laude dignus habebitur. Ab occaſione uerò, quoniam qui per occaſionē aliquid effecerit, quamquam paruum quid; tamen, cum pro occaſione actum ſit; maximam conſequitur laudem: nam, quia id inſperatò, ſed tempeſtiuè euenit, arduum uidetur. Quinta, ſi ſœpius magnum, aut bonum perficit, magnum geſſiſſe uidetur. Sexta, ſi non à fortuna, ſed à ſeipſo id proficiſcatur: etenim prudentia factum eſſe uidetur. Septima fit, cum amplificando laudamus, ſi ea inuēta ſunt ab aliquo, quibus ad uirtutes accendimur, & quibus honoramur. & propterea ſculptores maximè celebrandi ſunt: nam, ut nobis erigātur ſtatuæ; uirtuti maximè inſeruimus. Octaua, ſi primus omnium laudatus ſit.

Sed, quoniam aliquando loca ex ipſo inuenire, quem laudamus, eſt nobis difficile; idcirco præcipit Ariſto. ut hunc laudandum alijs compares, ac præſertim clariſsimis uiris, ſi id fieri posſit. ſin minus; comparandus eſt alijs: nullus enim adeo parua effecit, quin alius minora egerit. hæc de amplificatione. de extenuatione uerò ſi tractare uelis à contrario aſſumas.

De genere iudiciali.

1 RVRSVM *autem simili modo accusandi defendendiq́ue spẽm, quæ circa iudicialem versatur causam, quibusq́ue rebus constat, & quomodo ijs vti conueniat diuidamus. Accusatio quidem est (vt breuiter dixerim) iniuriarum delictorumq; expositio. Defensio autem est delictorum, & iniuriarum, quæ vel in accusationem, vel in suspitionem venerint, dissolutio. Cum vtraque uero species hanc vim habeat: accusatori quidem dicendum, est quandoquidem improbitatis aduersarios criminetur, eorum facinora & iniusta, & iniqua esse, ac ciuium multitudini perniciosa: cum verò stultitię criminetur, quòd & ipsi agenti inutilia ea sunt, & turpia, & iniucunda, & quæ perfici nullo pacto queant, hæ, & iis similes aduersus improbos, vanosq́ue argumentationes sunt. Est prętereа & hoc accusatori obseruandum, uersus cuiusmodi crimina supplicia sunt a legibus constituta, & circa quæ ipsi iudices, mulctas definiunt. Cum lex itaq́ue pœnam definierit, hoc est duntaxat accusatori considerandum, ut demonstret facinus patratum esse. cum iudices autem crimen admissum sciunt crimina illa quæque, aduersariorumq́ue delicta augeri conuenit, ac maximè quidem demonstrari sponte illum & de industria, non forte quadam, sed dedita uehementer opera iniuriam intulisse. quòd, si minus hoc fieri abs te potuerit, putasq́ue potius ab aduersario demonstratum iri. se modo quodam deliquisse, aut quod hæc agere*

gere probe meditate sibi, minus prospere successerit; debes veniæ apud auditores aditum intercludere, inquiens nequaquam aduersarios decere, vt post gestum negotium se imprudenter errauisse dicant, sed ante potius uereri, quam gerant. Deinde quod quamuis ille imprudēter gesserit, aut ei aduerse successerit, oportet ipsum tā ob casus, atq; imprudētiam longe multari magis, quam qui horum neutrum perpetrasset. Præterea quod etiam legumlator eos, qui imprudenter deliquißent, non pœnę immunes, sed iudicio obnoxios fecit, ne omnibus errando noceant. Dicendum est etiam, quod si talia respondentem ad miserint nonnullos sunt habituri ad iniuriam quam promptissimos. nacti nanque occasionem, quæcunque uoluerint, efficient. si uerò aberrauerint, rem in fortunam reiicientes, supplicio se liberabunt. Accusatori igitur ex huiusmodi rebus venię locus auferendus est, sicuti antea dictum est. Multorum malorum causæ, aduersariorum facinora per exaggerationes demonstranda sunt. Species igitur accusandi perficitur ex his partibus.

Defendendi autem species tribus præceptis constat. Aut, enim defensori ostendendum est se nihil eorum, quorum accusatur patrauisse. aut si cogatur fateri, enitendum est, ut gestum a se negotium & legitimum, & iustum, & honestum, & publicæ utilitati vsui esse ostendat, si hoc autem ostendere nequiuerit, aut in imprudentiam, aut in fortunam gesta negotia conferens, & iacturas ab his profectas, quam minimas ostendens; ut sibi ignoscatur operam dabit.

Iniuriam

Ingiuriam autem, & prudentiam, & casum ita de finias, quod ex meditatione mali fit quippiam, id in iuriam ponere inquiens oportere pœnas maximas in huiusmodi rebus capere, quod uerò per ignorantiam detrimenti quid agitur imprudentiam esse dicendum est, quod autem non sponte, sed aliena potius vi, aut fortuna quadam nihil eorum, quæ rectis consiliis administrata sunt, perficit casum esse ponendum est. dicitoque iniuriam inferre, malorum eße hominum proprium, imprudenter verò delinquere, & circa rem gerendam aduersam fortunam pati, non esse sibi priuatim modo, sed cõe & ipsorum iudicum, & aliorum quorumque hominum. Coactus autem ex huiusmodi causis quid fateri, vt tibi ignoscatur prçcabere, & vt per imprudentiam, casumque delinquere tibi cum auditoribus ipsis cõe eße ostendas, studebis. Oportet autem defensorem vndique intueri quibus in criminibus leges supplica iussere. Iudices uerò ipsi pecuniis puniũt. Et cum lex supplicia iußerit, demonstrandum erit aut omnino nihil patrauisse, aut legitime, iusteque fecisse. cum iudices verò constituti fuerint punitiones æstimatores rursus eodem modo haud dicendum est, quòd hæc non egerit, sed elaborandum est potius, & ostendat se paruo detrimento aduersarium affecisse, & inuitum deliquisse. Ex his igitur, atque similibus accusando, defendendoq; uerba suppeditabimus, reliquum est, vt iam quæstioni speciem pertractemus.

Rursum autem simili modo accusandi, defendendique speciem.] Tertium causarum genus

est iudiciale, cuius partes sunt duæ, accusatio, uidelicet, & defensio: qui enim in iudicio uersantur, horum alterum facere oportet, & de rebus iam factis semper hic quidem accusat, ille autem defendit. unde iudicio prteritum tēpus est propositum. Finis uerò huius generis est iustum, & iniustum. huic antecedit quæstio, utrum aliquid factum sit, aut non factum. à fine igitur, & ab eo, quod factum, aut non factum est, ducuntur loca, & probationes, tum quæ accusanti idonea sunt, tum quæ defendenti utilia. atque hæ sunt causæ propriæ: non propriæ sed communes, cum ab utili, honesto, facili, possibili, iucundo sumantur.

Ad uerò si loca à facto, uel non facto inuestiges, ut tibi copiam probationum suppeditent, hæc tibi sunt consideranda, quòd quęcunque homines agunt, necesse est eos septem causis agere, fortuna, scilicet ui, natura, consuetudine, ratione, cupiditate, & ira. quæ uerò per seipsos agunt bona sunt, aut apparentia bona: iucunda, uel apparentia iucunda. Fortuna uerò sunt quęcunque ita fiunt, ut, cum eorum causa sit indeterminabilis; nec huius gratia, nec semper, nec ut plurimum, nec ordine fiunt. Natura autem sunt, quæ causam habent ordinatā in seipsis: cum aut semper, aut plerunq; fiant. Vi porrò fiunt quæcunque coactè, & nulla cupiditate, nullaq; ratione fiunt. Consuetudine uerò aliquid faciunt ij, qui id sæpe efficere consueuerunt. Ratione quidem

fiunt,quæ cum sint ex bonis, conferreq; uidean tur,uel ut finis, uel ut ad finem propter bonum fiunt; & utile: nam, quanquam intemperantes bona, atque utilia agunt: tamen ea non propter utilitatem,nec bonitatem faciunt, sed ob uoluptatem. Ira uerò fiunt,quibus ulciscimur: differt enim ultio a pœna, etenim pœna eius, qui patitur gratia fit,ut aut fiat melior, aut puniatur: ultio autem eius,qui facit, ut animus expleatur. Cupiditate autem aguntur quæcunque uidentur iucunda.uerum consuetudo,& ea, in quibus assueti sumus, iucunda sunt: cum uoluptate enim agunt,qui assueti sunt.sed non omnia, quæ natura fiunt iucunda sunt: assuescimus enim quandoque contra naturalem dispositionem. Sed,quoniam homo dum agit, aut à seipso agit, aut alia causa promotus,quæcunque per se efficit,ea aut consuetudine,aut cupiditate, aut ratione,aut ira facit.& omnia hæc, aut bona sunt,aut bona uidentur,uel iucunda: siquidem malorum reiectio,& minoris mali assumptio: deinde doloris abiectio, & minoris doloris assumptio in bonorum, uel iucundorum numero collocantur: sunt enim quodammodo eligibilia.hæ quidem sunt causæ,quæ hominem ad bene, maleve agendum inducunt: finis uerò est iustum, bonum,uel iucundum uerum,aut apparens:& quæ sub hoc boni genus cadunt,uel uti honestum,utile, possibile, facile factu, & necessarium: nam quæcunque fiunt, alicuius horum gratia aguntur.

tur. Sed, quemadmodum duplex eſt finis, ultimus ſcilicet; & is, qui inter ultimum finem, & agens interponitur primum; ſic inter actiones, quæ ad iudiciale attinent genus, aliæ reſpiciunt ultimum finem, & nuncupantur iuſtæ, aliæ finem, qui ad ultimum facit, atque uel honeſtæ, uel utiles, uel iucundæ, & huiuſmodi aliæ dicuntur. Iuſta uerò efficit, dicitq́; , qui tum leges naturæ ſeruat, tum proprias: iniuſta autem, qui cõtra utraſq; leges peccat: ſic honeſta, ſic utilia, ſic cætera iuſto adiuncta, de quibus in lib. primo Rheto. ad Theod. abundè locuti fuimus. Ab his igitur probationes ducẽdæ ſunt artificioſæ, quæ huic conducant generi: expertes uerò artis ſunt quinque, leges, teſtimonia, tabulæ, quęſtiones, & iuſiurandum.

Verum, cum quæuis cauſa iudicialis accuſatorem requirat, & defenſorem, accuſator primum conſideret, an factum conſtet. quod ſi conſtet; ab iniuſtitiæ locis deſumat probationes. loca quidem iniuſtitiæ ſunt locis iuſtitiæ oppoſita. unde ab iuſto ducuntur. quid autem ſit iuſtum, & quæ iuſta dicantur, copioſe Ariſto. in primo huius libri capite egit: itidemque in lib. primo Rhet. ad Theod. Si uerò factum minime conſtet, habes in libro ſecundo Rheto. decem loca, à quibus factum comprobes. Itaque, ſi conſtet factum, inquit Ariſt. Accuſatori dicendum, quandoquidem improbitatis aduerſarios criminetur, eorum facinora, & iniuſta, & iniqua eſſe,

ac ciuium multitudini perniciosa.] sed horum causa efficiens est cupiditas, & non ratio: quoniam quæ ratione perciti agimus, bona sunt: finalis uero causa est apparens bonum. Deinde subdit. Cum uerò stultitiæ criminetur, quòd & ipsi agenti inutilia ea sunt, & turpia, & iniucunda, & quę perfici nullo modo queant] Et hæc alia ex causis prædictis efficientibus, quæ est rationi opposita: nam, sicut ea, quæ à nobis ratione, ac prudentia ducti fiunt, sunt bona per se, itidemque honesta, utilia, iucunda, ac facilia; sic contrà quæ stultè, imprudenter facimus, his cõtrario modo opponuntur. his igitur argumentis tum proprijs, tum communibus utetur accusator, postea ea corroborabit artificiosa fide: sic enim inquit Aristo. Est pręterea accusatori ob seruandum aduersus cuiusmodi crimina supplicia sunt à legibus constituta, & circa quæ iudices mulctas definiunt] diximus antea probationes artificiosas quinque esse: easque ad ueritatem extorquendam, si factum constet: aut ad pęnam dandam, si palam sit, in medium accusator proferet: tuncq; amplificatione utetur: nam dicit Aristo. Cùm iudices crimen admissum sciãt; crimina illa quæque, aduersariorumque delicta augeri conuenit, ac maximè quidem demonstrari sponte illum, & de industria, non sorte quadã, sed dedita uehemẽter opera iniuriam intulisse.] A quibus locis amplificationes ducamus, ea satis in superiori docuimus capite, sed omnium

potissi-

potissimum cum comprobat locum Aristo.hoc tempore,qui non à fortuna,sed à seipso est. Præ terea addit. Debes ueniç apud auditores aditum intercludere] pluribus argumentis,amplificatio nibusque utetur accusator, si dubitabit, ne reo ignoscant iudices, dummodo eum deliquisse in pendenter,& fortunæ causa probet.horum autē unum erit Ante potius uerendum est;antequam delictum committatur. secundum, Imprudentes longè magis mulctandi sunt, quam qui horum neutrum perpetrasset. tertium, legum lato res eos qui imprudendenter,deliquerunt, iudicio obnoxios fecerunt. quartū,si huic ignoscēt, euadunt alij ad iniuriam quam promptissimi. ac demum multorum malorum causæ aduersariorum facinora per exaggerationes demonstranda sunt: nam plurimę sunt causæ recensendę, atque explicandæ.

Defendendi autem species tribus præceptis constat] primum præceptum est, ut defensor ostendat se nihil eorum,quorum accusatur,cōmisisse.loca uerò,ex quibus facile percipere possit,probationes factum negantes, scribuntur decem in libro secundo Rhetor. ubi differit Arist. quæ,& quot sint loca fini generis iudicialis annexa. Verum,si cogatur reus fateri se deliquisse; secundum aggrediatur præceptum,idq; est. Enitendum est,ut gestum à se negotium, & legitimum,& iustum, & honestum, & Reipublicæ usui esse ostendat] quid uerò sit iustum, quid legitimum,

gitimum, quæ, & quot singulæ hæ partes; copiosæ antea Aristo. explicauit; cum de genere deliberatiuo tractasset. ibi enim quot loca præbeant, ac propositiones tradidimus. Attamen si negotium gestum, defensor nec iustum, nec legitimum, nec honestum ostendere minimè poterit; ad tertium præceptum confugiat, quod est. Aut in imprudentiam, aut in fortunam gesta negotia conferens, & iacturas ab his profectas quàm minimas ostendens, ut sibi ignoscatur, operam dabit.] Veniam petet reus, quod est tertium preceptum, &, quemadmodum accusator amplificatione usus fuit; sic defensor extenuabit delictum. atque loca habebit ab imprudentia, à fortuna à legibus, quæ cum supplicia iusserint; tamen nihil passus est. hæc pars profectò ad confutationem pertinet. itaque, sicuti diximus in libro secundo Rheto. ubi docet Aristo. duobus modis argumentationes dissolui uel contrà argumentando, uel reprehendendo, confutationes quatuor ducuntur genericis locis, aut ab ipsa re, aut à simili, aut a contrario, aut a rebus iudicatis, de quibus in superioribus libris satis disputatũ est. hæc porrò quatuor insunt in probabili, exemplo, indicio, & signo; idcirco hæc quatuor sunt confutanda.

De Quæstione Cap. 5.

Vt igitur summatim dixerim, quomodo est voluntatum vel rerum, verborum ve adinuicem, aut

ad

ad aliam dißentientem vitam demonstratio, Oportet autem quærentem quærere, ſicubi aut verbum eius, quem quæret, aut actiones, aut voluntates inter ſe diſcrepant, præceptum vero hoc ſit. Conſiderandum erit in præterito tempore, ſi cui quis antea amicus cum eſſet, rurſum inimicus, & iterum huic ipſi amicus effectus fuerit, aut aliud quid contrarium; aut quod petulãtiam, & flagitium ferat, geſſerit, geſturus ve ſit, ſi quando ipſi detur occaſio, quod anteactis rebus eius contrarium ſit. indentidem quoque intuere, ſi quid dicendo contrarium nunc iis dicit, quæ prius ab eo dicta fuerint: aut ſi quid iis quæ dicuntur, aut quæ antea dicta ſunt, contrarium dixerit. Eodemque modo ſi quid dicere voluit ijs contrarium, quę ab ipſo ante dicta ſunt, aut velit opportunitate oblatam identidem uerò aſſumendę ſunt etiam ad alia præclara ſtudia eius, qui quęrit vitę contrarietates: Quærendi ergò ſpeciem ſi hoc pacto tractaris, nullum relinques quæſtionis modum. Harum autem omnium ſpecierum, quas ſuperius partiti ſumus, oportet etiam diuiſim qualibet pro commodo vti, & vnà ipſarum proprietates commiſcere: hæ nanque differentias habent maximas: enimuero communis earum eſt adinuicem vſus, & idem quod & hominum ſpecies patiuntur: hi nanque partim ſimiles ſunt, partim uerò diſſimiles, tum aſpectibus, tum etiam ſenſibus: Sic aut determinatis ſpeciebus, rurſum quibus indigent, communiter enumerabimus, & quomodo his vti conueniant, quæremus.

Quæ communia ſunt omnibus generibus. Cap. 6

PRIMVM igitur, & iuſtum, & legitimum, et utile, & honeſtum, & iucundum, reliquaq; deinceps, quemadmodum ab initio ſim partitus, ſpeciebus omnibus ſunt cōmunia, veruntamē inſuadendo maxime his utimur. Secūdo aūt loco amplificationes extenuationesq; prę cęteris oībus utiles ſunt. harū uerò uſus in laudem, ac vituperationem maxime cadunt. Demum autem probationes ſunt, quibus etſi circa omnes cauſarum partes vtendum eſt, in accuſationibus tamen defenſionibusque quam utiliſſimę ſunt: his nanque plurimę controuerſiæ indigent. Sunt pręterea & præoccupationes, & poſtulata, & iterationes, & orationis prolixitas, & prolixitatis modus, & breuitas, & interpretatio. hæc enim & his ſimilia ſpeciebus omnibus ſunt communia. Quoniam igitur de iuſtis, & legitimis, ac de his ſimilibus prius determinauimus, & eorū uſum enarrauimus, & de amplificationibus quoq; extenuationibusque diximus, iam de alijs declarabimus.

Primum igitur, & iuſtum, & legitimum, &c.] hæc profectò ſunt cuique generi communia loca: tamen deliberatiuo maximè competunt. Deinde amplificationes, & extenuationes omnibus utiles ſunt: omnes .n. ut inquit Ariſt. in libro ſecundo Rheto. ubi de his, quæ cuique generi cauſarum annexa ſunt, differit, & amplificare, & imminuere ſolent, & ſuadentes, & diſſuadentes: & laudantes, & uituperantes: & accuſantes;

tes, & defendentes. & subdit. Ex locis autem communibus amplificatio demonstratiui generis est maximè propria. Postea quamquam probationibus in singulis generibus utimur: tamen iudiciali,& in eodem lib.asserit Aristo. per opportunæ sunt.

De probationibus Cap. 7.

VT igitur a probationibus primum incipiamus duo sunt earum genera: sunt enim aliæ quidem ex ipsis verbis, & negocijs, & hominibus, alia uerò appositæ sunt ijs quæque dicuntur,& quæ geruntur, nam icota, & exempla, & coniecturæ, & commentationes, & sententiæ, & signa, & argumenta, & probationes ex ipsis verbis, & hominibus, & negotijs sunt appositæ autem probationes, testes iuramenta, & quæstiones existunt. Opus est autem harum vnamquamque probationum intelligere qualis sit,& vnde idonea in ea uerba abunde nobis suppetent, & quod demum eæ inuicem differunt Icos igitur quod probabilem propositionem dicimus,illud est,quod cum dixeris auditoribus, in mentibus eius exempla tenent. Dico autem, veluti si quis inquiat uelle patriam magnam esse, & necessarios rebus secundis vti,aduersis autem inimicos,atque his similia summatim probabilia uideantur. Quilibet, enim auditorum qui huiusmodi desideriis teneantur, ipse sibi de hisce,deque similibus rebus conscius est. quam obrem hoc nobis in dicendo semper suadendum est,si rei,de qua loquimur conscios auditores perceperi-

mus: hisce, enim rebus par est credere eos maxime. Vis ergo probabilis est huiusmodi, ipsum vero ĩ tres distribuemus species. una quidẽ est, quæ eas perturbationes accusando, aut defendendo uerbis comprehendit, quibus homines natura afficiuntur: ueluti si quem aliqui floccipenderint, aut timuerint, aut eandem rem sępissimæ fecerint, aut iterum voluptate, vel dolore, vel libidine affecti fuerint, aut cupiditate vacarint, aut diuitijs abundarint, aut aliam huiusmodi perturbationem siue aĩs, siue corporibus, siue aliquo illorum sensuum, quibus homines afficiuntur, passim fuerint. hæc nanque, & his similia, quæ communes sunt humani ingenij perturbationes, auditoribus nota sunt. Quę igitur secundum naturam hominibus fieri consueuere, quæque dicendo comprehendenda dicimus, sunt huiusmodi. Altera vero probabilis pars est mos, quem pro consuetudine singuli faciamus. Tertia vero species lucrum est: nam sæpe lucrandi gratia naturæ vim adferentes, consulto mores inducimus. His autem ita determinatis in suadendo quidem, ac dissuadendo demonstrare pro quęsitis oportet, vt hoc negocium, ad quod ipsi exhortamur, vel cui aduersamur, ita sit sicuti a nobis dicitur, vel vt ea, quæ huic negotio similia sunt, hoc modo fiant, quos nos diximus, aut plurima, aut omnia. Contra res igitur hoc pacto probabile est capiendum. Contra homines uero, in accusationibus quidem, si potuerit. demonstrabis aduersarium hoc idẽ negotium sæpe antea patrauisse. sin id minus poteris huic similia demonstratio. ostendere autem elabora,

quod

quod hæc facere conducibile ei fuerat, hominum autem plurimi quoniam ipsi utile omnibus rebus anteponunt, itidem etiam alios omnia genere huius genera facile putant. si quidem igitur ab ipsis aduersarijs probabile capere potueris; ita illud inducito. sin id minus quiueris; à similibus tibi, quę homines consueuere, inferenda sunt. Dico aūt, vt huiusmodi: iuuenis est, quē accusas, quæ ij, qui id ætatis sunt, agūt, hæc ipsum fecisse dicito. Nam pro similitudine etiam, quę aduersus hunc ducuntur, facillime credentur. Eodemque modo si eius socios tales ostenderis, qualem hunc esse dicis: etenim ob eam, quę huic cum illis consuetuduo est, uidebitur ijsdem rebus indulgere, quibus amici solent. Itaque probabile accusatoribus hoc pacto tractandum est. Defensores autem maxime ostendant, oportet, vt minime prorsus omnium quidquam antea earum rerum, quarum insimulantur, neque ipsi, neque amicorum aliquis, neque ipsorum similium quis unquam egerit, vtque nihil in ijs utilitatis consequi potuisset. Quòd, si liquidum sit hoc idem te antea patrauisse; causam in ætatem reiicies, & aliquam huiusmodi aliam afferes causam, qua tunc non absurdè erraueris. Dic autem, nec ea tempestate, dum hæc gesseras; conduxisse tibi, nec etiam nunc conducere potuisse. Sin autem nihil huiusmodi abs te patratum sit: sed ex tuis amicis aliqui talia quædam fecerint; dicendum est, haud quaquam iustum esse te ab illis calumnia affici: eritque demonstrandum, eorum socios, qui tibi consuetudine iuncti sint, & moderatos, & honestos esse: sic,

 enim

enim in simulationem ambiguam reddes. Quod, si similium aliquos demonstrarint eadem patrauisse; absurdum esse inquiens, si, propterea quod alii quidam deliquisse appareant, creditum ea, ut te eorum aliquid quibus in iudicium arcesseris, factitasse. Siquidem igitur inficiatus fueris haud ea fecisse, quorum accusaris, sic te per probabilia respōdere oportet: ita nanque accusationis uerisimilitudinem infirmabis. Si uero fateri compellaris; ex multorum consuetudine similitudinē negotiis tuis uindica, quā maxime inquiens, ut plurimi, vel potius oēs, & hoc, & similia agant, sicuti etiam abs te factitatum sit. Quod, si hoc demonstrari nequeat, confugiendum est ad casum, & ad imprudentiam, & vt tibi ignoscatur enitendum, omnesque hominum perturbationes, quibus ratione, deficimur, complectendæ: hæ autem sunt amor, ira, vinolentia, ambitio, & iis similia. Itaq; iis prę ceptis probabile pulcherrime tractabimus.

Vt igitur à probationibus primum incipiamus] probationum duo sunt genera: aliæ nanque, ut dicit Aristo. in lib. primo Rheto. expertes ártis, aliæ uerò artificiosæ sunt. artificiosæ in ipsa re inhęrent, & nostra reperiuntur industria: atque harum tres sunt species: nam aliæ in uita, ac moribus oratoris positæ sunt, aliæ in promouendo, atque afficiendo, prout opus fuerit, auditore: alię denique in ipsa oratione; cum aut probatur aliquid, aut probari uidetur. A re quidem, cuius imago est oratio, tria in genere sumuntur loca, ut legitur in eodem libro primo Rheto. ubi

Aristo.

Aristo.exponit quænam uerisimilia sint,atque si gna,eaque sunt tecmirium icos,& signum. Cęterum artificiosarum probationum duplex est genus: alterum causam,siue rem,de qua agitur,respicit: atq; harũ loca ea sunt,quæ diximus.alterũ extra causam uersatur: & id ad efficiendos iudices pertinet. Hanc profectò collegimus diuisionem ex lib. primo & secundo Rheto.ad Theod. sed in hoc capite ea describitur diuisio. Probationum duo sunt genera: aliæ sumuntur a negotijs,& ab hominibus, & a uerbis: aliæ ducuntur ab his,quæ negotijs,& uerbis apposita sunt. A negotijs autem, & hominibus, & uerbis assumitur icota,exempla,coniecturæ, commentationes,sententiæ,signa,& argumẽta: quorum quid unumquodque sit, proprijs definietur locis. Appositæ uerò his,quæ geruntur,& dicuntur, hoc est, negotijs,& uerbis, probationes sunt testes, iuramenta,& quæstiones, de quibus etiam postea dicemus. Negotia siue res,ut nobis Rhetoricas exhibeāt probationes,sint probabiles.probabiles autem nuncupantur hæ, quæ hoc fiant modo,quo nos dicimus,aut plurimę,aut omnes: aut tales uideantur plurimis, ac præsertim uiris clarissimis. At probabilis uis in tres diuiditur species: prima quarum animi ꝑturbationes,atq; corporis amplectitur.secunda est mos,quem singuli pro cõsuetudine facimus.tertia est lucrum. atque hinc icota,siue probabiles ducuntur propositiones.

De exemplis Cap. 8.

Exempla *autem sunt res his, quæ facta sunt, similes, & his, de quibus nunc loquimur, contrariæ. Is uero utendum est, cum quod ipse affirmas ubi minus uerisimile sit, id re perspicuum facturum dicas: nam si minus fidei per probabilem prętetur, ubi didicerint rẽ aliam ei similẽ, de qua loqueris, ita habuisse, ut a te dicitur, magis crediderint verbis tuis. Sunt autem exemplorum duo genera: res nanque partim ratione, partim pręter rationem fiunt. Quæ uero ratione fiunt facile creduntur: quæ autem præter rationem, non creduntur. Dico autem, sicuti si quis ait diuites esse pauperibus iustiores adducitque iustas aliquas uirorum diuitum actiones; huiuscemodi exempla secundum rationem videntur esse. plurimi. enim putant diuites pauperibus iustiores. Quod, si quis rursus enuntiet diuitum quosdam ob pecunias iniuriam intulisse, eo usus exemplo, quod præter rationem sit; planè efficiat, quo locupletibus fidei minus adhibeatur. Identidem etiam, si quis earum rerum exemplum afferat, quæ rationi similes sunt. Quoniam Lacedęmonij quandoque, aut Athenienses freti essent magna sociorum manu, hostes expugnauere; & sic auditoribus suadet socios multos esse faciundos. Huiusmodi ergo exempla secundum rationem sunt, omnes enim existimant in bellis multitudinem non parum momenti ad uictoriam ferre. Si quis autem ostendere uoluerit non hanc esse viuendi causam; earum rerum utatur*

exemplis,

exemplis, quæ præter rationem facta fuerint, inquiens, vt Athenarum exules cum quinquaginta primum uiris duntaxat, & tribu assumpta etiam adversus eos, qui admodum plures in urbe fuerant, quā quam Lacedæmonijs socijs vtebantur bello in urbem rediere. Thebani autem Lacedæmoniis, atque omnibus prope Peloponnesiis in Boœtiam impetum facientibus, hi soli ad Leuctra commisso prælio, Lacedæmoniorum uires perfregere Dionuero Syracusanus cum militibus tribus millibus Syracusas nauigans. Dionysium longe maiore ui fretum debellauit. Itidem autem & Corinthij cum in Syracusanorum auxilium nouem triremibus issent, Carthaginenses, qui centum, & quinquaginta nauibus in Syracusanorum portus applicuissent, atque urbem omnem præterea esse haberent nihilo tamen minus expugnauere. Summatim uero hæc, atque iis similia, quæ præter rationem sint gesta, eam in consultatione improbare consueuere, quæ pro ratione sunt. Exemplorum igitur natura huiuscemodi. Iis uero utroque modo utendo est: nam, cum res, qua ratione fiunt, dixerimus, ostendemus vt plurimum hoc pacto negotia perfici. Cum autem quę præter rationem fiunt, loquimur, afferemus quæcunque temeritate uidentur factu, rectissimo fine cō clusa. Cum aduersa autem hæc dixerint, oportet ostē dere hæc perinde ac fortunato casu aliquod accidisse: eritque dicendum eiusmodi res quam rarissime contigisse: quæ uerò a te narrarentur, quam sæpissime. Exemplis igitur ita uti conuenit. Enimuero cum ea, quæ nulla ratione sunt facta in medium attulerimus

opus est eorum quamplurima complectamur, dicamusque nihil ea magis, quã hęc fieri consueuisse. Exemplis uerò nõ ex iis solum, uerumetiã ex contrariis est utendum; sicuti si ostenderis auarè quosdam usos sociis; & propterea ipsorum solutam amicitiam & asseras. Nos uerò si æqualiter, ac pro commodis erga ipsos rem gesserimus; societatem multum temporis conseruabimus. & iterum si quos alios, quoniam imparari descendissent in bellum, deuictos, supe peratosque ostendas, ita dixeris, si instructi bellum aggredi uoluerimus; meliores certe spes de uictori habuerimus. Multa uero assumes exempla, tum ex præteritis, tum etiam ex instantibus negociis: plurimæ nanque res partim similes, partim dissimiles inuicem sunt. quamobrem ob id causæ exemplis abundabimus, & quæ ab aliis dicuntur, haud difficile re fellimus. Exemplorum ergo genera, & quomodo iys uti oporteat, & unde multa capienda sunt, ex ante dictis cognoscere poßumus.

Exempla autem sunt res his, quę factæ sunt similes] si per probationes, quæ à rebus probabilibus sumuntur, minus fidei præstetur; exemplis utare: nam ubi auditores perceperint rem aliam ei similem, de qua loqueris, ita habuisse, quemadmodum dicis, magis tuis uerbis credide rint. Quot uerò sint exemplorum speciés, quibus conficiantur modis, quando eorum usus sit necessarius, in libris superioribus copiosè disse ruimus.

Sunt autem exẽplorum duo genera] hoc est, uti

uti debemus exemplis duobus temporibus, partim ſcilicet cum res, ſiue probationes, quæ à rebus ducuntur, ratione fiunt, partim præter rationem geruntur.

De Coniecturis. Cap. 9.

CONIECTVRAE *autem ſunt, quęcunque hiſce rebus, de quibus omnis habetur dictio, repugnarint, & quibus ipſa ſibi oratio aduerſatur: auditorum enim plurimi ijs contrarietatibus, quæ dicendo, agendove cōtingunt, coniectant ſani ineſſe nihil neq; in dictis, neque in factis quidem. Multas autem capies coniecturas, intuens ſiue ipſa, ſiue aduerſarii contradicit oratio, ſiue res ipſa eſt dictioni contraria. Coniecturę igitur huiuſmodi ſunt, & ita uti ubertim poteris.*

Coniecturæ autem ſunt] Coniectura autem eſt illa contrarietas, quæ ſolum modo circa dictionem, actionemque uerſatur: nam eam non eſt in nobis aſſumere, niſi circa res, & uerba repugnantia quædam fuerit.

De Commentationibus Cap. 10.

COMMENTATIONES *uero ſunt non eæ modo quæ orationi, atque negotio aduerſantur, ſed et alijs rebus omnibus. Aſſumes autem multas, easque tractabis, quemadmodum in quærendi ſpecie dictum eſt. Conſiderabis etiam ſicubi ipſa ſibi diſſentit oratio, aut ſi geſta negotia iuſtis, aut legi, aut vti*

li

li, aut honesto, aut possibili, aut facili, aut probabili, aut mori dicentis, aut rerum consuetudini aduersatur. huiusmodi igitur commentationes sunt contra aduersarios assumendæ. His uerò contrariæ pro nobis dicendæ sunt: quippe qui ostendamus & negotia, & uerba nostra iniustis, & ex legibus, & inutilibus, & improborum hominum moribus, & summatim ijs, qui nequam censentur, maxime aduersari. Oportet autem harum singulas breuiter, & nominibus quam paucissimis eloqui. Commentationibus igitur hoc modo copiosissime uti, optimeque poterimus.

Commentationes uerò sunt] hoc interest inter commentationem & coniecturam, quòd, uti diximus, coniectura circa dictionem, atq; actionem contrarietas quædam est: commentatio uerò, & circa reliquas species contrarietates excipit. deinde coniectura non licet in nobis assumere, nisi in rebus, & uerbis repugnantia aliqua fuerit: commentatio autem è multis locis trahere possumus. quapropter tum coniecturæ, tum commentationes ex contrarijs constant: sed altera ex rebus, & dictis, altera ex omnibus, quæ repugnantiam habent.

De sententia Cap. II.

SENTENTIA *uerò (ut summatim dicam) est aduersus res omnes opinionis propriæ declaratio. Sententiarum autem duo genera sunt: alterum quidem*

dem

dem credibile, alterum uero incredibile. Cum ergò credibile dixeris; nullæ sunt reddendæ causæ: nam neque quod dicitur, ignoratur, neque non creditur quidem. Cum uerò incredibile dixeris, causæ paucis sunt dicendæ, ut & dicacitatē, & incredulitatem effugias. Sententię autem eæ super afferendæ sunt, quæ sint rebus pręsentibus quam consentaneę: nè quod dicitur inconcinnum, violentumve appareat. Eas aũt multas faciemus, aut ex propria natura, aut ex superlatione, aut ex similitudine. Sententiæ autem ex propria natura huiusmodi sunt. Nemo mea sententia rerum imperitus grauis imperator esse potest. Altera autem talis est. Prudentium uirorum certe est ex rerum præteritarum exemplis operam dare, ut inconsulta effugiant errata. Ex propria igitur natura huiusmodi sententias faciemus. Ex superlatione uerò tales. Acerbiora mihi utuntur fures, quam latrones admittere: nam hi clanculum, hi uerò palam pecunias eripiunt. Sententias igitur ex superlatione hoc modo multas faciemus. Ex similitudine autem sunt huiusmodi. Qui pecunias auferunt, idem faciunt mea sententia, quod hi solent, qui urbes produnt; vtrique enim crediti iniuriam credentes afficiunt. Alia uerò huiusmodi est. Videntur mihi aduersarij tyrannos planè imitari: nam etiam illi, quarum ipsi rerum iniurias aliis faciunt, pœnas dare indignum putant: quæ autem alijs crimini dant, uehementissime horum causa illos cruciant. & hi si quidem ipsi aliquid mihi debent, haud reddunt: si quid uerò ijs ego debeo, & id & fœno-

ra

ra restitui sibi decere arbitrantur. Sententijs igitur ita tractanda affatim abundabimus.

Sententia uerò] In libro secundo Rhetor. hanc tradit Aristo. sententiæ definitionem. Sententia est enuntiatio non quidem singularum rerum, aut hominum, ut qualis sit Iphicrates: uerum generis uniuersi: neque tamen omnium rerum absolutè, generatimque: ut, siquis rectum curuo cōtrarium esse dixerit: sed earum rerum omnium, quæ ad humanas actiones pertinent, & quas in agendo uel expetimus, uel declinamus. Sententiarum autem duo sunt genera, alterum quidem credibile, alterum uerò incredibile] sententia autem duplex est, altera cum ratione, altera absque ratione. hæc quidem credibilis est: illa uerò incredibilis. siue ratione. Nullus homo liber est. Cum ratione, Nullus homo liber est: quoniam aut pecuniæ, aut fortunæ seruit. Verum, quando sententia probationi adiungitur; enthymema appellatur. Cum uerò adeo occultè altera alteri coniungitur, ut sententia tantum uideatur; sententia enthymematica nuncupatur: ueluti illa est. Ne immortale odium mortali in pectore serues. Hæc quidem sententia uim continet enthymematis: si quidem ea sit, perinde atque si dixisses. Cum mortalis sis; ne immortale odium in pectore serues. Sententiæ autem eę semper afferendę sunt, quæ sint rebus præsentibus, quam cō sentaneæ] sententiarum usus est, ut hę rebus no

uis, ambiguisque accomodentur. si uerò huiusmodi res nouæ, & ambiguæ sint præter opinionem; possumus tunc rationem, siue probationẽ adiungere. sed, si plura optas, lege librum secundum Rheto. loco citato.

De Signo Cap. 12.

SIGNVM *uerò est alterius aliud, non quod vis cuiusuis, neque omnis omne, sed quod aut antę fuerit, aut in ipso negotio, aut post fieri consueuerit. Est autem signum, & factum, non facti solum, sed & non facti: identidem uerò, & non factum non solum non facti, uerum, & facti. Signa uerò efficiunt alia quidem opinionem, alia uero scientiam. Id autem pulcherrimum est, quod scientiam efficit: secundo autem loco quod opinionem maxime uerisimilem operatur. Signorum autem copia nobis vbertim erit (ut summatim dicam) ex eorum singuli, quę dicuntur, quæ gerentur, quę uidentur pro vnoquoque assumendo, tum ex magnitudine, tum ex paruitate, eorum quæ nobis mala, bonave contingunt, item ex testimonijs ex testificatis, ex nostris, ex aduersariorum fautoribus, ex ipsis illis ex prouocationibus, ex temporibus, ex aliis multis. Hinc igitur signorum multitudine abundabimus.*

Signum uerò est alterius aliud,] Probatio, qua conclusio probanda est, perquirere oportet. loca uerò generatim huic inueniẽdæ idonea sunt tria. primum quorum est accidens, quod est effectus ad causam; ueluti, hæc mulier lac habet;

het; peperit igitur. & hoc est signum alterius, non cuiusque, sed propriæ rei signatæ. unde quęcunque ex huiusmodi signis conficiuntur enthymemata, necessaria ab oratoribus appellantur: itaque dicuntur Tecmirium, quasi insolubilis cõiectura. secundum est, cum probatio ab aliquo ducuntur accidente, & postea aliud accidens cõcludatur: sicut, Cacus noctu uagatur; igitur fur est. hoc uerò enthymema fit ex signo, quod Icos dicitur. Tertium est ab accidente, quod in substantia existit, ad accidens in accidente: ueluti, Pittacus est studiosus: igitur studiosus est sapiẽs. & hoc enthymema appellatur digma, siue signum.

De Argumento Cap. 13.

ARGVMENTVM autem est (sic enim Elencon interpretamur) quod aliter habere non potest, atque ipsi dicimus. Assumitur aũt ex natura necessarii, vt nos dicimus, aut aduersarius, & ex iis quæ natura fieri, aut possunt, aut non possunt, sicuti aduersari dicunt. Natura igitur necessarium est, sicuti viuos cibis indigere, & iis similia. Vt uerò nos dicimus, necessarium est affectos verberibus ea confiteri, quæ cædentes iusserint. Natura autem fieri non potest puellum argenti tantum furto subripuisse, quantum ferre nequeat, & id ferentem abiisse. Vt autem aduersarius dicat, fieri non poterit, siquidem dixerit quibus temporibus Athenis debiti tabellas non fecisse, ipsi autem possumus auditoribus demon-

strare,

strare, ut ea tempestate ad aliam quandam urbem aberamus. Argumenta igitur ex iis, atque similibus faciemus. Prorsus uero & ex ipsa conditione, & ex negotiis, & ex aliis probationes omnes transegimus. Consideremus etiam quid inuicē eę differūt.

Argumentum autem] de hoc agit Arist. in libro tertio Rheto. & dicitur Elenchus. fit ex signo illo, quod tecmirium appellatur, quasi insolubile argumentū; eo ꝙ ex his constet, quę uera, ac necessaria uidetur. unde ab alijs differt, ꝙ solū oēm ueritatē iudices edocet: alia uerò signa opinionem duntaxat, faciunt apud auditores.

De probabilis, fitie Icoton, atque aliorum supra dictorum differentijs Cap. 14.

PROBABILE *igitur ab exemplo, hoc differt, quòd probabilis ipsi auditores notionem habent: exempla uerò ex contrariis, & ex similibus fieri possunt. coniecturę autem solum ex dictionibus actionibusque contrariis constant. Verum commentatio a coniectura hanc habet differentiam, quòd coniectura quidem circa dictionem, actionemque contraietas quędam est: commentatio uerò & circa reliquas species contrarietates excipit: aut quod & coniecturam non est in nobis assumere, nisi circa res, & uerba repugnantia quędam fuerit, commentatio uerò è multis locis trahi dicendo potest. Sententiæ autem a commentationibus, differūt, quod eæ solum ex contrariis constant: sententias uerò, & cum repugnantiis, & simpliciter ipsas secun-*

Cc dum

dum ſeſe oſtendere poſſumus. Signa autem a ſenten tiis, & ab omnibus antedictis hanc habent differen tiam. quod reliqua quidem omnia opinionem faciunt apud auditores: ſignorum autem quædam, ut etiam perſpicue hi cognoſcant, efficiunt: item quod ex reliquis nequaquam contigerit, vt ipſi plurima ſupedi tare poſſimus: ſigna uerò plurima facile queunt fieri. Item & argumentum à ſigno hanc habet differentiam, quod ſignorum quidem aliqua opinionem dun taxat, faciunt apud auditores argumentum autẽ om nem ueritatem iudices edocet. Verborum igitur, rerum que probationes eiuſmodi ſunt: & vnde his abundemus, quidque inter ſe differunt, poſſumus ex antedictis cognoſcere; quæ autem opponuntur eis, ſigillatim percurramus.

Opinio ergo dicentis eſt ſuam aduerſus negocia de clarare ſententiam. Opus autem eſt earum ſe rerum de quibus orationem habuerit, peritum eſſe oſtẽ dat, demonſtretque ſibi conducere non mediocriter vt veritatem de his loquatur: aduerſarium uero de monſtret nullam prorſus de quibus contra enuntiet, tenere peritiam, opinionemque identidem oſtendat. Sin hoc fieri nequiuerit; dicendum erit ſolere etiam rerum peritos errare non nunquam. Si hoc autem dici nequeat, dicetur pernicioſum aduerſariis eſſe de hiſce rebus ueritatem loqui. Itaque hoc modo dicentis opinionibus vtemur. & noſtra aſſerendo, & aduerſariis contradicendo.

De

De Testimonio, & Testibus Cap. 15

Testimonium verò est rei cognitæ voluntaria confessio. Necesse autem est, aut verisimile testificatum esse, aut non verisimile, aut ad credendum ambiguum. Eodem quoque modo testem aut probabilem, aut inprobabilem, aut ambiguum esse. cum ergo testificatum verisimile fuerit, & testis verax: testimonia epilogis minimè indigent, ni fortasse decoris gratia, uel sententia, vel commentatione, vti paucis nolueris. Cum testis autem suspectus fuerit; demonstrandum erit, vt neque gratia, neque cruciatu, neque lucro aliquo hic mendacii quicquam testificaretur. Docendum est etiam neque conducere quidem mendosum testimonium: nam & vtilitates paruas esse, & argui difficillimum: præsertim cum deprehensum non solum argento, verum & gloriæ, & perfidię pœna leges plectendum volunt. De testium igitur fide ita loquemur.

Ii autem, qui testimonio contradicunt, oportet testis moribus detrahant, si improbus fuerit, aut testificatum quærendum esse dicant si minus probabilitatis habuerit, aut horum vtrique contradicant, & in vnum omnia aduersariorum vitia, flagitiaque congerant. Considerandum est etiam, an testis, ei, cui testimonium dicit, amicus est, aut si secum negotii alicunde est particeps, aut si ei, quem contra testificatur, inimicus est, aut pauper: hi etenim alii gratia, alii cruciatu, alii lucro mendacii suspicioni obnoxii testificando existunt, & falsorum testium legem de his legumlatorem tulisse inquiemus.

Proinde absurdum esse dicemus, quibus legumlator non crediderit, iudices, qui secundum leges iudicare iurati sunt, testibus ipsis credant. Hoc igitur modo testium fidem infirmabimus. Poterimus autem & testimonium imprudentibus aduersariis nostris subducere, hoc pacto: Dic mihi Callicle testimonium. Per Deos immortales nullo modo sim dicturus: nam me prohibente hæc gesta ab hoc sunt. & ob id inferenda sententia falsus testis falsi testimonii pœnæ non erit obnoxius. Cum igitur testimonium subducere nobis conduxerit; sit eo vtemur. quod, si aduersarii tale quid fecerint, demonstrabimus eorum versutiam, & scriptis testimonium dicere iubebimus. Quomodo igitur & testibus, & testimoniis uti conueniat, ex his sciemus.

Testimonium uerò est rei cognitæ uoluntaria confesſio] Nunc aggreditur Aristo. propositiones artis expertes, quas quinque esse affirmat in libro primo Rheto. hoc est, leges, testimonia, tabulas, quæstiones, & iusiurandum: Testimonium autem asserit esse rei cognitæ uoluntariam confesſionem: idque esse uerisimile, aut non uerisimile, aut ambiguum: itemque testem aut probabilem, aut improbabilem, aut aut ambiguum. Cum testis autem suspectus fuerit] Testes aut antiqui sunt, ueluti poetæ, alijque illustres uiri quorum sententiæ approbantur: aut noui, atque ij aut clari, aut periculi participes: & ij fidem non faciunt: quia mentiri uidentur. si uerò noui sint, & non clari; huius tantum testes

sunt,

ſunt,factum,ne ſit,an non: & utrum ſit, an non: de qualitate autem minimè, ueluti ſi iuſtum, an iniuſtum: ſi utile,an iniutile.uerum quia antiqui corrumpi non poſſunt; omnium maximè fide digni habentur. Cum igitur ſuſpectus ſit teſtis; demonſtrandum,erit neque alicuius gratia,neq; cruciatu,neque lucro quicquam teſtificatum eſſe.addendum eſt quoque iniuſtum fore, difficillimumque argui, inutile, atque contra leges. Ij autem, qui teſtimonio contradicunt] de his quoque locutus eſt in libro ſecundo ubi de teſtibus egit.

De Queſtione. Cap. 16.

QVAESTIO uerò eſt in uita conſcij hominis confeſſio. Cum nobis igitur vtile fuerit eam uehementem efficere; dicendum erit, ut priuatim quidem homines de ualde neceſſarijs, ciuitates autem de maximis rebus ex quæſtionibus probationes capiunt, quodque certior teſtibus eſt quæſtio; nam teſtibus mentiri conducit ſæpe: quibus autem quæſtiones admotæ ſint, veritatem loqui plurimum vtilitatis affert: ſic, enim cruciatur celerrime liberantur. Cum uerò quæſtiones improbare uolueris; primum quidem dicendum, vt quæſtionibus cruciati ijs, a quibus traditi ſunt, hoſtes fiunt, & propterea nonnihil in heros mentientur: deinde quod quærentibus plerunque non uera confitentur, quo maturius doloribus ſeſe exiſtimant. Erit etiam demonſtrandum nonnullos liberos homines; quo celerius ſupplicium

effugerent, aduersum semetipsos tormentis affectos ementitos. Quamobrem magis consentaneum esse seruos aduersus dominos, quo suum effugiant crucia tum, ementiri quam multos dolores & corporibus, & animis tolerare, quo cæteri nihil mali patiantur, vbi mentiri ipsi uoluerint. Quæstiones igitur ex his, atque horum similibus probabiles, & improba biles constituemus.

Quæstio autem est inuita conscij hominis cõ fessio] Inuita confessio hominis conscij fit, si tortura, alijsque cruciatibus afficiatur reus, siue testis, ut ueritas excutiatur. quæstiones autem sunt testimonia quædam, quæ uidentur fidem fa cere. Cum nobis igitur utile fuerit eam uehe menter efficere] Quæstio si pro nostra erunt causa; amplificabimus, asserentes ex testimonijs hæc sola uera esse, quæ ex quæstione extorquen tur: nam testibus mentiri licet sæpe: contrà ue rò ijs, quibus quæstiones admotæ sint. Cum uerò quæstiones improbare uolueris] si uerò quæstiones contra nos prolatæ fuerint; deprimemus, affirmabimusque tormenta cogere homines ad falsa dicenda. his proderit exempla in medium afferre.

De iureiurando. Cap. 17.

IVSIVRANDVM est cum diuina ueneratio ne dictio probationis expers. Cum igitur augere ipsum voluerimus; ita dicendum erit. Nemo certe peiarare, uellet, cum diuini supplicij metu, tum de-

coris

coris homines .eritque ſubdēdum latere homines poſſe. Deos autem non poſſe. Cum aduerſarij uerò ad iuſiurandum confugerint, ſi extenuare id voluerimus, demonſtrandum erit eorundem eſſe hominum, vt male agant; & peierare non curent: nam qui facinoroſus Deos latere putat, hic neque peierans ſupplicium ſe ire ſortitum putat. Et iuſiurandum quidem eodem modo, quo etiam reliqua antedicta tractauimus, plane dicendo nobis ſuppetere. Summatim autem omnes probationes quemadmodum propoſuimus, iam percurrimus dedimusque non eam vim ſolum, quam earum quælibet haberet, verum etiam quid inter ſe differunt, & quo pacto his vti conueniat, oſtendimus. Nunc autem edocebimus de reliquis partibus, quæ & trium ſpecierum, ſunt & in omnem orationem plurimum decoris, & vtilitatis adferunt.

Iuſiurandum eſt cum diuina ueneratione dictio probationis expers] Inquit Ariſto. in libro ſecundo Rhetor. Iuriſiurandi ratio quadripartita eſt: aut enim dat, & ipſe quoque capit iuſiurādum: aut dat, & non capit: aut non dat, & capit: aut nec dat, nec capit. quo autem modo amplificatio, extenuatioque huic loco opportuna fiat, explicat.

De prǫoccupatione Cap. 18.

PRAEOCCVPATIO *igitur eſt, qua & auditorum exiſtimationes, & eorum qui contradicturi ſunt verba præuenientes, obuias difficultates*

remouebimus. Auditorum autem existimationes hoc sunt modo præoccupandæ. Admirantur autem aliqui fortasse uestrum, quod ipse iuuenis ita de rebus magnis verba facere aggressus fuerim, & rursum. Nemo sese mihi difficilem obuiam offerat, quod de his sim uobis rebus consultaturus, de quibus alii quidam audacter apud uos eloqui cunctantur. Quæ igitur molestè auditores laturi sunt, sic præoccupando, causas feras oportet, quibus recte facere consultando uideare: utpote qui demonstres oratorum inopiam, periculorum magnitudinem, aut publicam vtilitatem, aut aliam huiusmodi causam, qua auditorum indignationem soluturus sis. Quod, si nihilominus auditores turbentur, breuiter dicendum est, vel tanquam in sententiæ, vel, vt in commentationis figura, quarum omnium absurdissimum venire quidam tanquam ea hisce de rebus consulturos, quæ optima sint. nunc autem quando quidem volunt eos audire, qui sententiam dicunt arbitrari pulchre consulere posse: & rursum honestum est. aut ipso assurgentes sententiam dicere, aut dicentes audire quæcunque ex suffragiis facere ipsi censuerint. Deliberatiuo igitur in genere sic est, & præoccupationibus vtendum, & tumultibus occurrendum.

In iudiciali autem præoccupationibus vtemur, quemadmodum etiam in prędictis. Occurremus autem tumultibus, si quidem in orationum principijs fiant: hoc modo. Nonne igitur absurdum est legumlatorem quidem iussisse duas orationes aduersariorum

riorum cuique reddendas. vos autem iudices ex lege iudicare iureiurando adstringi, deinde ne unam quidem orationem audire velle, & eam quidem orationem quæ tantum consilij vim habet, vt in ea audienda rectissimè sitis sententiam laturi: vos autem in his adeo negligentes esse, ut, cum neque ipsa dictionum initia pertuleritis; iam omnia accuratissime didicisse existimetis? & alio modo, qui non absurdus est. Legumlatorem quidem in pari sententiarum numero imperare reo victoriam dari: vos autem vsque adeo contra de ijs sentire, vt neque insimulationi reos respondentes audiatis. & illum quidem ob maius reorum periculum hanc ipsis prærogatiuam, atque priuilegium inferendis sententijs impartiri: vos autem contra ijs, qui vllo sine periculo accusatum veniunt, neque contentiosos neque pertinaces esse: eos vero qui cum metu, periculoque criminibus respondent clamoribus corripere, atque perterrere? Siquidem igitur in orationum initiis turbæ fiant, hoc pacto erit iis occurrendum. Quod si quid in dictionis progressu dicentem turbauerit, si quidem pauci quidem id agant, erunt hic corripiendi, dicendumque ipsorum profectu esse iustitiæ, vt se se nunc ad audiendum præstent: ne aliis recte iudicandi impedimento sint: cum verò audierint, vt tunc quicquid libuerit faciant. Sin multitudo omnis tumultuetur, non ipsos iudices, sed ipsum te corripias, oportet: nam, si illis molestus fueris; iram in te contrahes: si te uerò accusaris, ac dixeris deliquisse: vt veniam consequare facile præstabis.

Opus

Opus est etiam iudices deprecemur, vt nos dicentes benignè audiant, & quarum rerum clam sententiam sint laturi, iam perspicuam mentem ponant. Vt ante breuiter complectamur, turbis summatim occurremus vel sententiis, vel commentationibus, ostendemusque perturbantes aut iusto, aut legitimo, aut publico vtili, aut honesto repugnare. ex hisce namque maxima fit, vt auditores a tumultibus acquiescant. Quomodo igitur præoccupationibus apud auditores vtendum sit, & quo pacto turbis occurrendum ex antedictis cognoscemus. Quæ autem ab aduersariis uerisimiliter dici poterunt, rursum quomodo præuenienda sunt, demonstrabo. Forteque suam deflebit in inopiam, cuius non ego quidem, sed huius mos erit causa. Et rursus. Audio ipsum & hoc illudque dicturum. In superiore ergo oratione, quæ aduersarii dicturi videantur, sic præoccupando & soluere, & infirmare oportet: etenim tamesi firmissima sunt quorum insimulamur, non itidem magna iis, qui iam antea audierint, uidentur. Quod si secundæ in dicendo partes nobis datæ fuerint, & aduersarii, quæ dicturi sumus, præoccuparint; ea rursum contra anticipando, ita a nobis soluenda sunt. Hic aũt nedum multa de me mentitus apud nos fuerit, sed certo sciens sese a me redargutum iri, meam orationem occupando calumniæ dedit, ne ea quam orati sibi præstiteratis, in me audiendo attentione sitis: vel ne ipse orationem habeam apud vos ob eam, quam hic de me prius calumniam habuerit. sed plane puto oportere vos

meam

meam dictionem ex me ipso potius, quam ex aduersario meo cognoscere: & si hęc ab eo sunt prius dicendo insimulata, quas non mediocres dixerim esse coniecturas, eum nihil nunc sani dictitare. Vtitur aūt, & Euripides in Philoctete pulcherrime hac specie hoc modo. Dicemus ipsi, licet, & hic nostram putet iam perdi disse dictionem, suggerens iniuriam fecisse. virum ex me meas res disce, sese pandet hic de se loquens. Quemadmodum igitur pręoccupationibus, & erga iudices, & erga aduersarios sit utendum, ex his sciemus.

Præoccupatio igitur est] Est præoccupatio eorum locorum, qui contra tuam dictionem dici possent, reprehensio præoccupans.& quæ dici possent,ea uel ab auditoribus, uel ab aduersarijs dicerentur. Vt igitur obuias difficultates remoueas, primum auditorum existimationes quonam modo præoccupandæ sint,declarat his uerbis. Admirantur autem aliqui fortasse uestrum. Deinde quæ aduersarij dicere possent, demonstrat quo pacto præueniamus ibi. Forteque suam deflebit inopiam. Necesse est præter hęc ea extenuare,quæ ab aduersarijs, dicuntur: tua uerò amplificare. præterea oportet, unum uni ut conferas; cum tuū scilicet maius sit: & plura pluribus,& unū multis,& multa uni, nostra augendo, aduersariorum autem argumenta deprimendo.

De

De Postulatis. Cap. 19.

POSTVLATA verò in orationibus sunt, quę ab auditoribus oratores postulant. horum autem alia sunt iusta, alia vero iniusta. Iustum quidem postulatum est, per quod iis, quæ loquimur, attentionem pręstari, ac benigne audiri petimus. Iniustum vero quo secundum leges nos iuuari, ac nihil præter leges in nos decerni, & casibus ignoscendum postulamus. Si quidem postulatum pręter leges fuerit; iniustum, si uerò secundum leges fuerit, iustum dicitur. Postulata igitur sunt huiuscemodi. ipsorum autem differentias diuisimus, quo, & iustum, & iniustum postulatum dignoscentes, non inepte iis vti possimus, & ne nos aduersarii lateant, cum iniustum quicquam a iudicibus flagitant. Et de iis quidem, & ex antedictis scire poterimus.

De Iteratione. Cap. 20.

ITERATIO autem est breuis admonitio. Ea verò vtendum est, tum circa partium, tum circa totius orationis exitum. Iterabimus autem summatim, uel ratiocinando, uel interrogando, vel enumerando, uel eligendo. Ipsorum autem vnumquodque quale sit demonstrabo.

Ratiocinari igitur est huiusmodi. Ambiguo autem ipse quidem, quid hi fecerint, nisi nos plane antea reliquissent: arguebatur autem aduersus hanc urbem nostram cum exercitu processisse: nihil uerò eo

rum

rum unquam, quæ spopondissent, factitarunt. Itaque ratiocinari est huiusmodi.

Enumerare autem tale est. Demonstraui autem ipsos, qui priores societatem soluere, qui proprium nos sunt adorti, quo tẽpore aduersus Lacedæmonios bellum gerebamus, quiq; maxime studere urbem nostram in prędam uertere: enumerare igitur est huiusmodi.

Ex electione autem admonere est huiusmodi. Recordare oportet contigisse nobis, vt, posteaquam societatem cum iis iniuimus; nihil vnquam mali ab hostibus passi sumus: nam sæpenumero nobis auxilio venissent: Lacedæmonios, qui nostrum agrum demonstrarent, propulsarunt. multas etiam pecunias etiam hoc tempore ad nos deferunt. ex electione igitur hoc modo admonebimus.

Ex interrogatione uerò hoc modo. Libenter autem ex istis quærerem, quid vobis pro conuentis haud soluunt. neque enim indigentes se discere audeant quippe qui tantum pecuniarum ex hoc solo quotannis accepissem demonstrentur. Neque dixerint quidem multum æris circa rempubl. consumpsisse: prorsus, enim minores impensas, qui reliqui omnes insulani pertulere; ex interrogationibus igitur hoc pacto tractabimus.

Ex ironia uerò, quam tum simulandi, tum dissimulandi cauillationem vocamus, est, cum aliud dicimus, & aliud dicere simulamus. Eius autem forma sit huiusmodi, vt in antedictis breuiter commorando persistam. Nequaquam uerò dicere oportet,

mea

mea sententia, vt hi, qui multa se bona factitasse prædicant, malis plurimis ciuitatem affecerint: nos verò, qui ab iis ingratitudinis carpimur, & iis auxilio sæpe fuerimus, & iniuriam nemini intulerimus. Cum igitur aliquid simulamus omittere, eo quod breuiter dicimus; hoc pacto admonemus. Res verò contrariis nominibus appellare ita fit. Hi quid em probi viri multorum malorum socii extitere, nos autem ignaui plurimorum fuimus bonorum authores. Ex iis igitur breuiter admonētes iterationibus vtemur, & circa singularum partium, & circa totius orationis exitum.

Iteratio autem est breuis admonitio] Iteratio omni tempore opportuna est, & itidem cuique causarum generi utilis. uerum in accusationibus, & defensionibus maximè competit: item que in suasionibus, dissuasionibusque. hanc uerò iterationem in orationis partibus postremam constituit Arist. siquidem ea efficiat, ut summatim reminiscaris quæ dicta sint, aut enumerando, aut ratiocinando, aut interrogando, tua quidem quæ optima sunt: aduersariorum autem quæ nequissima.

De Facetijs, prolixitate orationis, breuitateque, ac earum medio. Cap. 21.

Vnde autem facere dicendum, & pro arbitrio orationis prolixitate vtendum sit rursus exponemus. Hic igitur facere dicendi locus est; si quidem commentationes totas mediasve dixerimus: ita

vt

vt quod reliquum est, medium auditores ipsi comprehendant, quo locis, & sententijs vti conuenit. Opus est autem in totam orationem facetias hasce dispartiamus, verbaque commutemus, neque easdem semper, in eandemque sententiam frequentes afferamus; & hoc pacto nostra comis apparebit oratio.

Qui uero prolixitate vti voluerit, opus est rem diuidat, & quæ qualibet in parte insint, quamque naturam sapiant, edoceat, eorumque vsum omnem tum proprium, tum communem, & ipsas causas enarret. Quod si longiorem quoque uoluerimus orationem efficere, pluribus nominibus circa singula vtendum est eritque singulis in orationis partibus iterandum, & iterationem ipsam paucis absoluendum: in fine uerò orationis hæc omnia, de quibus sigillatim dixeras, congestim ponas, ac de rebus omnibus dicas, conuenit. Hoc igitur modo prolixiores reddi orationes poterunt.

Qui autem dicendi voluerit breuitate vti, oportet totum negotio vno vocabulo complectatur, & hoc maxime quod in ipsa re breuissimum insit. Opus est etiam paucis vti copulis, plurima verò coniungere: nominibus ita vti, vt vna dictio duabus seruiat rebus: eritque frequens illa iteratio è partibus amonenda, & in orationum duntaxat finibus iterandum. Et hoc quidem modo breues poterimus orationes efficere.

Quod, si mediocritate vti in dicendo volueris, partium maximas diligens, de hisce verba facias oportet

portet. Est etiam medijs vtendum nominibus, quæ scilicet, neque longissima, neque breuissima, neque multa de aliqua vna re sint, sed mediocria potius. Oportet & epilogos ex intermedijs partibus neque omnino auferri neque ubique rursum inferri: sed quę maxime auditoribus nota esse uolueris, in iis maxime ad finem iterationibus uti conuenit. Ex hiscę igitur quandocunque libuerit prolixitate vti in dicē do quibimus.

Quod, si facetam volueris orationem scribere; permaxime tibi obseruandum est, vt verborum mores hominibus similes queas reddere. Id autem efficies, si qui magni, qui curiosi, qui mediocres sunt mores, consideraris. De iis igitur poteris hac uia cognoscere. De nominum uerò compositione iā declarabimus. est enim etiam hoc apprime necessarium.

De Nominum compositione. Cap. 22

PRIMVM *igitur figuræ nominum sunt tres simplex, composita, & translata. Eodem etiam modo propositiones sunt; tres una quidem, quæ in vocalem connexionibus terminat, & a vocali incipit. secunda uerò, quæ a muta incipiens, in mutam desinit. tertia autem, quæ mutas vocalibus iungit. Item ordines sunt quatuor, quorum uno similia nomina aut inuicem collocat, aut dispergit: alius uerò, qui eisdem rationibus utitur, aut inuicem mutat; tertius verò, qui vno multisue nominibus rem appellat. quartus autem ordo est, quo gesta negotia no-*

mina

minamus, aut preterimus. Quo aut pacto pulcherrimæ orationis filum texendum sit; nunc edocebimus.

De filo orationis tex endo. Cap.23.

PRIMVM *quidem interpretationem ipsam in duas partes distribuere: deinde conuenit dilucidè dicere. In duas uerò partes interpretationem distribuimus hisce modis, uno quod ipse potest & hoc, & aliud. secundo quòd hic quidem haud potest, alius autem potest. tertio quod hic, & hoc, & aliud potest. quarto quod neque ipse, neque alius potest. quinto quod ipse quidem potest, alter verò non potest. sexto quod ipse quidem alterum potest, alius verò non potest alterum. horum autem unumquodque ex hisce perspicies. Quod etenim ipse potest, & hoc, & aliud, huiusmodi est. Ego autem non harum duntaxat rerum autor vobis extiti, verum & Timotheo qui aduersus uos esset expeditiones ducturus, impedimento fui. Quòd uero hic non potest, alter autem potest, tale est. Ipse quidem non potis est, qui pro vobis legatione fungatur: hic uerò, qui Spartiatarum ciuitati amicus est, facillimè apud eos, quæ vultis, queat efficere. Quod hic autem potest, & hoc, & aliud est huiusmodi. Non autem in bellis solum hic se robustissimum, & fortissimum prestitit, sed & consiliis ciuium cedit nemini. Quod autem neque ipse, neque alius potest, tale est. Neque ipse parua munitus manu hostes queat, neque alius quisquam ciuium expugnare. Quod uerò ille potest, ipse aũtem nequit, est huiusmodi. Nempe hic cor*

poris ualet uiribus: ego uerò sum corpore imbecillus. Quod autem ipse aliud potest, ille uerò non potest aliud, huiusmodi est equidem. Ipse, qui clauo, & gubernaculis præsim valeo, hic autem neque, qui remo utatur, potis est. Figuras igitur interpretandi in duas partes facies, hoc modo omnibus in rebus idem modus seruandus est. Quibus autem rebus dilucida tua reddatur oratio, id rursum est considerandum.

Primũ quidẽ interpretationẽ ipsam in duas partes distribuere] Quonã pacto texenda sit oratio, explicat, atque exempla sumit à duabus enuntiationibus, quarum altera maior sit, altera minor:, atq; ambæ, aut affirmatiuæ, aut negatiuæ: aut altera affirmatiua, altera negatiua existit. ambæ autem affirmatiuæ sunt, ueluti, Ego non harum solum rerum autor extiti: uerum & Timotheo, qui aduersus uos esset expeditiones ducturus, impedimento fui. Negatiuæ uerò ambę; ut, Neque ipse parua munitus manu hostes queat, neque alius quisquam ciuium expugnare. Altera negatiua, & altera affirmatiua: ut. Ipse quidẽ nõ potis est, qui pro uobis legatione fungatur: hic uerò, qui Spartiatarum ciuitati amicus est, facillimè apud eos, quæ uultis queat efficere. Altera affirmatiua, altera negatiua: ut. Hic corporis ualet uiribus: ego uerò sum corpore imbecillus.

De

De oratione dilucida. Cap. 24.

PRIMVM *igitur quodcunque dixeris proprijs suisque nominibus appella: & quicquid ambiguum fuerit, euitato. Caueas etiam oportet, ne vocales deinceps ponas. Aduertendum est prçter ea, vt quos articu!os vocant, opportunè, & apta loces. Item consideres opus est, ne cõfusa sit, neque perturbata nominum compositio. talis enim oratio, & obscura est, & cognitu difficilis. Coniunctionibus uerò quascunque ante dixeris, consequentes redditos copulas. coniunctiones autem coniunctionibus reddere ita fit. Ego quidem ad quid temporis dixeram affui; tu autem, quando te uenturum dixeras, non venisti. Item cum eadem coniunctio consequens sit, tu etenim, & illorum author extitisti, & horum author ipse tu. De coniunctionibus igitur dictum est, ex quibus licet, & reliqua quæque coniectari. Ipsa uerò nominum structura, neque confusa, neque perturbata fieri debet. & confusa quidem est huiusmodi; sicuti cum dixeris. Graue est hunc verberibus afficere: nam obscurum esset, qui esset cçdens. quod si ita dixeris, graue est hũc verberibus ab hoc affici; ꝑspicuam redes orationem. structura igitur nominum confundere tale est. Vt autem aduertas, quo pacto articuli ipsi tẽpestiue, apteq; addantur, ex hisce tibi liquidũ fiet, hic ipse homo hũc ipsum hominem iniuria afficit. nunc enim interiecti articuli dilucidã faciunt dictionem: exempti uerò obscuram apud Græcos efficient. Contingit autem, & aliquando contrarium. Quæ igitur in articulis seruari conuenit, huiusmodi*

sunt. Vocales autem iuxta inuicem ponendæ non sunt, nisi aut alter obscura reddatur oratio, aut repli catio quædam, aliave segregatio fiat. Ambigua uero fugere, ita quibimus. quædam nomina diuersis seruiunt rebus: sicut ludus, quem ludimus, & ludus schola. oportet autem in huiusmodi nominibus semper id complectamur, quod proprium est significatum, & dilucidè quidem in nominibus, si hæc fecerimus, loquemur: ex superioribus uerò pręceptis in duas partes interpretationes distribuemus.

Primum igitur quodcunque dixeris proprijs, suisque nominibus appella] In lib. tertio Rhet. propria nomina, ac uerba appellat Aristo. quæ non inusitata, non ficta, nisi raro, paucisque in locis: quæque non ęquiuoca, nec synonima. Inusitata non conueniunt: quia grauiorem orationem reddunt. Non ficta, sed innata: etenim innata uerisimilem eam efficiunt. ficta dicuntur ea, quæ ex alienis tum locis, tum temporibus originem trahunt. Ambigua autem sunt synonima, & ęquiuoca, sed potius æquiuoca. ab his enim oratio fit obscura, atque multiplex. quod uerò dictum est de nominibus, & uerbis, idem intelligẽdum est de enuntiatione, siue una, siue pluribus coniunctis, ac tandem de tota oratione.

De contentionibus. Cap. 25.

De contentionibus autem, & comparibus, & similiter cadentibus iam dicere aggrediamur: nam et

his

his quoque nobis opus erit. Est igitur contentio, quæ contrarium nomen simul, & vim oppositis rebus habet, authorum alterum. Quæ igitur contrarium nomen simul, & vim habet, huiusmodi esse poterit: Non enim iuris est hunc meis rebus vsurpando locupletari, me uerò meis priuatum rebus pauperie ita premi. Contentio verò nominibus solis erit huiusmodi. det enim locuplex, ac felix pauperi, & egeno. Vi autem contentio hæc sit. Ego quidem hunc aduersa valetudine laborantem curaui: hic autem mihi maximorum author malorum extitit. nam hoc loco non in nominibus, sed in ipsis rebus contrarietas est. Quæ ergo, & vi, & nomine contentio fuerit, ea erit longe pulcherrima: reliquæ uerò contentiones duæ sunt.

De contentionibus autem, & comparibus] in libro tertio Rheto. inquit Aristo. Hi cum domi essent; nos uendebant: postquam ad nos uenerunt; ipsi empti sunt. Iucunda est huiusmodi locutio: quoniã contraria maximè nota sunt. &, cum inter se conferuntur; fiunt etiam notiora: & quia ratiocinationis formam præ se fert. elenchus enim nihil aliud est, quàm contrariorum collectio, atque hæc quidem exornatio, contentio. uocatur.

De Compari. Cap. 26.

COMPAR aũt est, quando duæ pares enunciantur clausulæ. pares autem esse poterunt multæ etiam paruæ clausulæ paucis magnis, & pares magnitu-

 dine

dine paribus numero. Figuram verò habet compar huiusmodi, aut propter pecuniarum inopiam, aut propter belli magnitudinem. hæ nanque clausulæ neque similes, neq; contrariæ; sed tamen inuicē pares sunt.

De similiter cadente. Cap. 27.

Similiter verò cadens est, quod compari quidem maius est: non enim pares solum clausulas, verum & similes, & similibus efficit verbis. est autem huiusmodi, quantum te docet orationis imitatio, tantum adsit detectationis machinatio. Maxime verò similes fieri oportet exitus dictionum: ijs nanque vel in primis efficitur similiter cadēs. Similes autem dictiones sunt ex similibus syllabis, in quibus plurimæ literæ eædem sunt, sicuti militibus nullis valet, & viribus multis caret, quæque verò extra artem posita sunt, ea vltro idipsum demonstrabunt. Sed de his hactenus satis; etenim iustum, & honestum, & vtile reliquaque & ipsa, quæ sunt, tenemus, & vnde his affluamus, ex antedictis plane cognoscimus. Eodem autem modo quæ sint amplificationes, extenuationesque, & ex quibus hæ locis desumantur, intelligimus: identidem verò & præoccupationes, & postulata ab auditoribus, & iterationes, & facetias, & orationum prolixitates & ipsius interpretationis structuram omnem scimus, quas ob res cōem omnium specierum vim, atque differentiam, ipsarumq; vsum omnem est ex antedictis tenuerimus, assuefecerimus facile nosmetipsos, qui his omnibus pro artis præceptis exercitati abundemus, & adiumenti

ex

ex ipsis plurimum, tum dicendo, tum scribendo consequamur. Igitur precepta causarum hoc pacto accuratissimè per partes distribueris. Vt autē pro vnaquaque specie ad humani corporis effigiem uerba locari conueniat, & quæ sint circa orationis partes obseruanda, & quomodo hisce partibus sit vtendum, rursum ostendam. De exordijs igitur dictum est prius. ea uerò septem speciebus communia sunt, & omnibus in negotiis congrue dici poterunt.

Compar autem est] In eodem libro tertio Rhetor. scribit Arist. hæc. Compar dicitur, cum æqualia membra sunt. Assimilatio, hoc est, similiter cadens uocatur; cum extremæ partes utriusque membri similes sunt. Necesse est autem hoc uel initio, uel in fine fieri. atque initio nomina semper similia sunt; ut, Agrum enim accepit ægrum ab eo. Placati donis, pacatique ore fuerunt. In fine uerò similes sunt extremæ syllabę, uel eiusdem nominis casus, uel nomen ipsum: ut, Non putarunt hoc ipsum sibi peperisse: sed eius causam fuisse. Et, dignum statua ærea, non dignus ęre.

De exordijs in deliberatiuo causarum genere. Cap. 28.

Exordium est (ut compendio dixerim) oratio quędam, quæ rebus ijs de quibus reliqua futura est dictio summatim expositis, auditorum animos ad attētionem idonee, & quo ad fieri dicendo potest, ad beneuolentiam nobis comparat. hæc enim per exordium

præstari conuenit. Quō autem eo utamur, primum quidem deliberatiuo in genere, & in suadendi specie ostendam. Cum rem igitur auditoribus proponere, ac liquidam facere uoluerimus; fieri poterit hoc modo. Surrexi, ut quo pacto Syracusanis bellādum sit cōsu lam: uel hoc modo. Surrexi, ut quid sentiam, dicam; qui non deceat nos Syracusanis auxilium ferre. Hoc igitur mō summatim rem exponemus. Qui uerò ad at tentionē exhortemur, scire ex hisce poterimus, si nos ipsi animaduerterimus, quibus, & uerbis, & rebus ad audiendam sententiam attenti sumus: nempe his sumus attenti, cum de magnis, uel terribilibus, uel ad nos pertinentibus rebus consultamus, aut cum orātes ipsi demonstraturos se dixerint iusta illa esse, & hone sta, & utilia, & facilia, & uera, ad quæ nos gerenda exhortantur, aut cum nos rogauerint attente audia mus. Quemadmodum igitur ipsi alijs solemus; ita & nos, si quæ ex præmissis commodissima in præsentem rem fuerint de legerimus, eaque auditoribus perspi cua reddiderimus, eos nobis attentos faciemus. Ad attentionem igitur ex his auditores exhortamur. Be neuolentiam uero comparabimus; si considerauerimus primum quo in notatio ipsi sint, beneuolone, an infesto, aut neque bono, neque malo. Si beneuoli ergo fuerint, de beneuolentia dicere superuacaneū cedat. Verum si omnino id facere voluerimus, oportet pau cis cum dissimulatione quadam id fieri, hoc modo. Quanta sit mea in hanc urbem beneuolentia, ut quæ sæpenumero suasu meo quæ factu essent utilia gesseri tis, & qua me prӕterea ad communia commoda præ-

beo

beo iustitia; quippe qui publicarum magis, qui priuatarum mihi rerum habendam rationem censuerim ne quaquam a medici opus existimo: hoc enim vobis perspicuũ est, & cognitũ uerũ qđ & nunc, si fidem adhibere mihi uolueritis; cõsuletis in rem pulcberrime. hac de re, vt vos edoceam, dabo operam. Hoc igitur modo eos, qui bono sunt in nos animo, in consultationibus beneuolentiæ admonebimus: si verò auditores, neque nobis infesti sunt, neque beneuoli, dicendum est, & iustum esse, & conducibile, eos his ciuibus beneuolos fieri, qui nullum sui dederunt experimentum, deinde oportet laude auditores demulcere, quod iuste, & grauiter quæ dicuntur iudicare consueuerint. item & extenuationes afferendę: sicuti si dicatur. Surrexi nõ tam ulla dicendi vi, elegantiave confisus, quam existimans ea a me narrari, quę ad communem vtilitatem, commodumque accedant. Cum igitur auditores neque a nobis alieni, neque beneuoli nobis sunt, ex huiusmodi rebus beneuolentia captabitur. sin autem calumniæ, obnoxij, apud auditores fuerint; necesse est aut ipsos in sese, aut res, de quibus dicunt, aut ipsam demum orationem calumnias continere. Hæ autem calumnię aut ex pręsenti, aut ex pręterito tempore trahuntur. Ex pręterito quidem tẽpore, si qua improbitatis suspicio de aliquo habeatur, primum in auditores præoccupatione vtendum est, atque dicendum ita. Neque ipse quidem ignarus sum me apud uos calumnias affectum esse, sed omnem ego de me insimulationem falsam esse demonstrabo. Postea summatim anumerando in

exordijs dicendum erit, si quid in rem tuam oratione complecti queas, & aut vituperanda iudicia: necesse enim est, siue publice, siue priuatim calumnia de quopiam facta sit, vel esse vel forte iudicium, vel nolle accusatores iudicium sumere, eritque dicendum, vt iudicatum iniuste fuerit, quodque inimice nobis homines nocuerint, aut si minus hoc uerisimile uisum fuerit; dicendum erit satis id esse debere, quod minus tunc ex sententia nobis cesserit: iniustum autem esse, cum res iudicatæ, iam fuerint; rursum easdem calumniari. Si uerò celebre sit iudicium futurum te paratum plane dicito, qui ad insinuationes in hoc ipso pulcherrimo concessu respondeas, & si quid aduersus Rempublicam per iniuriam patrauisse demonstreris, te morte mulctarum iri. Sin autem accusatores minus in causam persistant, eadem oportet uti coniectura; quoniam falsam de nobis calumniam detulissent, desisti: ut causa. non enim consentaneum uidebitur nolle eos iudicium capere, qui veram accusationem detulerint. Vsque uerò in calumnias acerrimè est inuehendum, dicendumque quam trux, & communis, & multorum malorum causa. Ostendatur quoque oportet per multos iam iniuste per calumniam perisse. Idem mouendum, stultum esse eos, qui de republica consultant, non quæ ab omnibus dicuntur audire, & quod utile sit animo voluntate, sed aliquorum insinuationibus commoueri. Commonefacias autem, atque pollicearis oportet, ea te, de quibus consulere sis pollicitus, & iusta, & vtilia, & honesta de-

demonſtraturum. Eos igitur, quorum ex præteri to tempore calumnia delata ſit, conuenit hoc pacto inſimulationes in conſultationibus ſoluere. Ex præſenti uerò tempore oratoribus calumniam ſolet afferre primum quidem ætas ipſa: nam ſiue omnino iuuenis, ſiue ſenior concionator, auditores moleſte ferunt: Huic enim nondum incipere, illi uerò iam quieſcere decorum eſſe putant. Deinde ſi crebro orationem habere conſueuerit. hic enim importunus uidetur eſſe. Et ſi nunquam antea orationem habuerit: nam & hic alicuius priuati commodi gratia præter conſuetudinem uidetur concionari. Ex præſenti igitur tempore huiuſmodi poterunt in illum inſimulationes fieri, qui apud concionem orauerit, ſed cauſa de ijs afferatur neceſſe eſt.. A iuniore quidem ex conſultantium inopia, & ex eo, quod ſuum eſſe potiſſimum uidetur, quemadmodum ſi dixero de ludicro lampadarchiæ, uel de gymnaſio, vel de armis, aut de equis, aut de re bellica. horum enim non minima pars adhęret iuueni. Dicendum eſt autem, quod tametſi nondum iuuenis per ętatem prudens eſſe poteſt: uerum natura, & diligentia quadam certe poteſt. Oſtendendum eſt etiam qui aliquid imprudenter geßerit aduerſum caſum ſibi priuatim dari: aſſecuto uero cõmunem eſſe utilitatem cum reliquis. Iuuenis igitur ex ijs, atque ſimilibus, argumentabitur. Senior autem argumentabitur, & ab inopia conſultantium, & a facultate ſua, præterea, & a magnitudine, & nouitate periculorum, & ab alijs huiuſmodi rebus. Crebro autem dictionem

habere consuetus, ab experientia argumentabitur, & ab eo, quòd turpe sit, non eum sententiam nunc dicere, qui antea consueuerit. Non autem consuetus argumentabitur, tum à periculorum magnitudine, tum ab eo, quod necesse omnino sit eum, qui ciuitatis est particeps, de ijs, quę in præsentia aguntur, sententiam dicere. Eas igitur insimulationes, quæ in concionibus circa hominem fiunt, hoc pacto refellere studebimus. Fiunt autem circa rem, cum quis nihil neque iis, a quibus nulla simus iniuria lacessiti, neque ijs, qui fortiores, potentioresque sunt, pernoscendum esse consultat, aut pacem turpem fieri persuadet, aut circa Deorum immortalium sacrificia quam minimos effici sumptos monet, aut huiusmodi quicquam narrat. Oportet autem in huiusmodi rebus præoccupatione prius ad auditores vti, quarum causam aut in necessitatem aut in fortunam, aut in tempora, aut in aliquod commodum referamus, dicamusque non consultantibus quidem esse, sed rebus potius huiusmodi causam adscribendum. Hoc igitur modo eas, quę circa rem sunt simulationes a consultantibus remouebimus. Oratio uerò ipsa in concionibus solet insimulari, cum aut prolixè, aut nimis priscè, aut minus probabiliter dicatur. Et si quidem longa fuerit, in rerum multitudinem causa est referenda, sin prisca sit, doceatur oportet nunc ipsam tempestiuam esse. Sin autem minus probabilis, sit pollicearis oportet eã te ueram in dicendi progressu demonstraturum. Consultationes igitur ex ijs rebus principio constituemus.

Quo

Quo uerò utamur ordine, animaduerti conuenit. Si quidem nulla prorſus inſimulatio ſit, neque nobis, neque orationi, neque ipſi rei; a propoſitione continuo eſt inchoandum. Attentè autem quæ dicuntur, humaneque audire ad poſtremum exhortabimur. Sin uerò aliqua ſimus ab illis, qui ante dixerunt, inſimulationem præuenti, poſt anticipatam auditorum opinionem eorum, quorum inſimulati fuerimus, & reſponſiones, & cauſas breuiter in medium differentes, ita proponemus, & auditores ad attentionem exhortabimur. Exordia quidem in conſultationibus hoc modo ſunt conſtituenda.

Exordium eſt] de proemij definitione hæc ſcribit Ariſtó. in libro tertio Rheto. Proemium eſt principium orationis, ſicut in poeſi prologus, in tibicinis cantus proaulium: nam hæc omnia principia ſunt, & quaſi uiæ munitio ei, qui pertranſire uelit. proemij uerò maximè neceſſarium, ac proprium munus eſt aperire finem inſtitutæ orationis. quare, ſi cauſa perſpicuua fuerit, aut parua; licebit non uti principio. Proemia autem ſunt demonſtratiui generis, deliberatiui, & iudicialis. Cauſa uerò, de qua agitur, aut honeſta eſt, aut turpis. ſi honeſta exordio utemur, quod proemium dicitur: ſi turpis; exordio, qđ à Cicero. Inſinuatio appellatur. Sic orator, qui dicturus eſt, aut probus habetur, aut calumniæ obnoxius. ſi probis moribus præditus ſit; exordium ei ſit proemium: ſi uerò ſuſpectus ſit; inſinuatio. ſed & oratio quandoque ſuſpe-

cta est; & idcirco insinuet: sin minus; proemiũ dicat. Si igitur calumniæ obnoxios apud auditores fuerit orator, necesse est, aut ipsum in sese, aut res de quibus dicit, aut ipsam demum orationem calumnias continere. atque hæ profectò calumniæ aut ex præsenti tempore trahuntur, aut ex præterito, ex quo si qua improbitatis suspitio de aliquo habeatur; primum in auditores præoccupatione utendum est. quid uerò præoccupatio sit, quotque fiat modis, antea ample tractauit Aristo. Ex præsenti autem tempore oratori calumniam solet afferre ætas: nam si admodum iuuenis sit, aut senex is, qui concionem habet, eum auditores molestè ferunt. itaq; Cicero in Oratione pro lege Manilia, totam proemij uim in iuuenili ætate collocat. Si uerò res suspecta fuerit, uti diximus, insinuatione utemur animos auditorum præoccupando. Oratio tandem ipsa aliquando solet insimulari, ac potissimum cum aut prolixè, aut nimis priscè, aut nimis probabiliter dicatur. quare si fuerit prolixa, causa in rerum multitudinem referat orator: si prisca; hoc quidem tempus sic postulare: si nimis probabilis; uerá esse demonstret.

Quomodo autem eo utamur, primum quidem in genere deliberatiuo] Ait Aristo. in libro tertio Rheto. Deliberationum exordia à iudiciali genere sumuntur. natura enim deliberationes nulla habent exordia: quonaim sciunt auditores, de qua refacienda sint uerba. & res ipsa nul

lo indiget proemio, nisi propter ipsum oratorē, uel aduersarium, uel si res non tāta existimetur; quantam ipse uult; sed uel maior, uel minor: itaque uel criminari necesse est, uel crimina dissoluere, uel amplificare, uel minuere. horum igitur gratia deliberationes proemio indigent: uel ornatus causa: nam nisi proemium habuerit; uidetur temerè, subitoque effutita oratio. Verum proemium magis uidetur iudicialibus orationibus, conuenire, quàm cęteris: etenim huic generi maximè congruit oratio, quæ auditores afficiat. & defendenti magis proemium est opportunum, quàm accusanti, cui epilogus est proprius. defensor autem magis proemio opus habet: qa rarò defendit; nisi calumniæ præcesserint. quāobrem is, qui deliberat, sumit à iudiciali genere exordium, quo uti minimè necesse est, nisi deprauatus sit iudex, aut is sit, qui libenter audiat ea, quæ ad rem nihil faciunt: deinde nisi res, de qua oratio habetur, sit dubia, ac minimè pateat, aut admodum plura contineat, quę orationis prolixitatem pariant: postea nisi sit iudex suspectus: nam opus fuerit, ut animos auditorum purgatos reddat.

Cum rem igitur auditoribus proponere, ac liquidam facere uoluerimus] Defensoris munus est uti exordio, quod quidem, tunc efficiet, cum statim auditorū animos sibi idoneos reddet ad audiendum. id uerò fiet, si attentos, dociles, & beneuolos auditores habere potuerit. Loca

autem

autem quæ hos reddant tales, sunt quatuor generica: orator, scilicet, auditores, causa, & aduersarij. sic Aristo. explicat in libro tertio Rheto. Ex oratore ipso, atque ex aduersarijs ducuntur ea, quæ ad inferendum crimen, & dissoluendum pertinent. sed, ueluti diximus hoc defensoris proprium est, statim criminibus occurrere: accusator uerò debet in peroratione criminari. orator autem dociles habere auditores poterit, si eos attentos faciet: nam docilis is est, qui attentè uult audire. studeat quidem orator, ut uir bonus esse uideatur: nam talibus uiris se præbent attentiores auditores. atque hoc pacto à sua persona attentos, ac dociles reddet. A causa uerò si summam causæ breuiter exponemus, ac pollicebimur nos de rebus magnis, nouis, inusitatis uerba facturos, deque proprijs, ac de iucundis. quare admonere nos oportet de huiusmodi rebus orationem esse. quòd, si eos non attentos esse uolumus; dicemus rem esse pusillam, nihil ad eos pertinentem, molestam, atque odiosam. sed attentos facere, ut inquit Aristo. commune est non proemij solum, sed omnium partium orationis: nam alibi magis, quàm initio remittunt auditores animos. Attentos quoque præbent, iusta, honesta, utilia, uera, facilia, necessaria, quæ illis proponet orator dicenda.

Beneuolentiam uerò comparabimus] primũ orator consideret, quo in eum animo ipsi sint auditores, beneuolone, an infesto: aut neque bo-

no,

no, neque malo. animi enim auditorum in oratorem quandoque malè affecti ſunt, ſi uir improbus ſit, ſi cauſa turpis, ſi modus orandi moleſtus. ſi beneuoli fuerint; ſuperuacaneum eſt beneuolentiam captare. attamen, ſi uoluerit, paucis, ac diſſimulatis uerbis efficere conducit. unde loca quatuor explicata præbent beneuolentiam habendi facultatem: ſiquidem a propria perſona orator beneuolentiam contrahet, ſi eius officiũ ſine arrogantia laudabit, aut qualis in rempub. fuerit, aut in parentes, aut in amicos: aut in ipſos, qui audiunt, aliquid referet: dummodo hæc omnia ad eam ipſam rem, de qua agitur, ſint accommodata. præ terea ſi incommoda proferet, inopiam ſolitudinem, calamitatemque: &, ſi orabit, ut his miſerijs ſuccurrant, atque ſpem in illis ſolis repoſitam eſſe. Ab aduerſariorum uerò locis beneuolentiam captabit orator; ſi in odium adducet eos, in inuidiam, atque in contemptionem. loca uerò particularia percipies in lib. primo Rheto. ubi Ariſt. de iniuria agit: atque in ſecundo quoque, in quo de odio, ac de alijs animi affectibus doctiſſimè diſſeruit. ſed in odium aduerſarios trahet orator, ſi quid eorum ſpurcè, ſuperbè, perfidiosè, crudeliter, confidenter, malitiosè, flagitioſèque factum proferet: in inuidiam uerò, ſi uim eorum, potẽtiam, factionem, diuitias, incontinentiam, nobilitatem, clientelas, hoſpitium, ſodalitatem, affinitates dicet, atque his adiumentis magis, quàm ueritati eos confi-

 dere:

dere: in contemptione tandem, si inertiam, ignauiam, desidiam, luxuriamque aduersariorum: ab auditorũ persona, si eorum res fortiter, sapienter, magnificè, mansuetè, iusteque iudicatas dicet orator: & si, quæ existimatio, quæ iudicij expectatio sit, proferet: à rebus demum ipsis beneuolum reddet auditorem, si eius causam laudãdo extollet, & aduersariorum per contemptionem deprimet.

Fiunt autem circa rem, cum quis nihil &c.] Nunc ad insinuationem accedit, qua tunc utetur orator, cum causam turpem habebit, hoc est, cum ipsa res animum auditoris alienat: aut cum persuasus ab alijs, qui antè dixerunt, esse uidetur: aut cum defessus est audiendo. oportet autem in huiusmodi rebus præoccupatione uti, ac potissimum si causam turpem habebit: & turpitudinis causam aut in necessitatem, aut in fortunam, aut in tẽpora, aut in aliquod incommodũ referet: dicatque non consultantibus quidem esse, sed rebus potius huiusmodi adscribendum. uerum plura de his legas in libris Rheto. Cice. Causam uerò Insinuationẽ aggrediendæ exponit Aristo. in libro tertio Rheto. cum ait. Qui malam causam habẽt, uel habere uidentur; proemijs utuntur: nam in quouis loco potius commorari melius est eis, quàm in ipsa causa. itaque serui etiã ad interrogata non respondent, sed uerborum ambagibus utuntur, & longis exordijs. Verum, ut docet Cicero, si causa turpi-

tudinem

tudinem habebit, exordiri poterimus rem, non hominem: aut hominẽ, non rem spectari oportere: nõ placere nobis ipsis quæ facta dicantur ab aduersarijs, & esse indigna aut nefaria, his uerò cum maxime uti debeat orator in insinuatione; ea longè est petenda.

Quo uerò utamur ordine animaduerti conuenit] scribit Aristo. in libro tertio Rhet. sunt orationis partes duæ: necesse est enim rem primò, de qua agitur, exponere: deinde illam argumentis confirmare. & subdit. si plures fuerint; tunc erit proemium, propositio, probatio, peroratio. uerum, ut aliàs diximus, proemium, & peroratio non sunt orationis partes ueræ: non enim docent, sed tantum in memoriam reducunt. quapropter si nulla insit insimulatio neq; nobis, neque orationi, neque ipsi rei; à propositione cõtinuò est inchoandum. si uerò aliqua simus insimulatione preuenti; primum anticipanda est auditorum opinio: deinde responsiones & alia adiungemus.

De Narratione in eodem genere. Cap. 29.

POSTEA uerò necesse est, aut res gestas a nobis renunciari, referriue, aut res præsentes diuidendo exponi, aut quæ futuræ sunt iam prædici. Cum igitur de legatione sit nobis renuntiandum; omnia, quę dicta fuerint, dilucide narrare oportet. quo primum quidem grauitate oratio prę se ferat: hęc enim re-

nunciatio solum erit, nullaque alia orationis figura incidet. Deinde si quidem nobis ex sententia minus res contigerit, non vlla id negligentia nostra, sed alia quadam causa accidisse auditores existiment. Sin uerò ex sententia contigerit, non casu aliquo, sed nostra diligentia, & industria id factum opinentur. Hæc autem eo facilius credunt, si quoniam gestioni negotiorum nequaquam interfuerint: nostram in oratione negligentiam, proptitudinemque perspexerint, utpote qui nihil omittamus, sed vnumquodque quam accuratissime referimus. Cum igitur legationem renunciemus ijs causis, singula quæque quo pacto gesta fuerint renunciari oportet. Cum uero ipsi concionantes aliquid præteritum narramus, siue etiam præsentia exponamus, siue prædicamus futura, necesse est, vt vnumquodq; horũ. et breuiter, et dilucide, et nõ sine probabilitate faciamus. dilucide quidẽ, vt quæ dicuntur, cõprehendi queant. breuiter aũt quo quę dicta fuerint, memorię auditores teneãt. Probabiliter uerò, ne ipsi auditores priusquam probationibus, atq; iuris partibus nostrã orationẽ cõfirmauerimus; nostra iã narrationes falsas esse reprobẽt. Dilucide igitur exponemus, aut a nominibus, aut a negocijs. A negotijs quidẽ, si non ea perturbare exponamus, sed rerũ, ac temporum ordinẽ seruemus: reliqua uerò deinceps collocemus, & si neque eo de quo dicere cœperimus, relicto negotio, in rem aliam transeamus. A negotijs igitur hoc modo dilucide narremus. A nominibus uerò, si quam maxime idoneis rerum nominibus negotia appellemus, et si non am-

biguis vtamur neque perturbatè ipsa collocemus, sed usque cohærentia deinceps ordinemus. Dilucide igitur exponemus, si hęc diligenter obseruauerimus. Breuiter uerò narrare poterimus, si tum ex negotijs, tum ex nominibus ea remouerimus, quę non sint di ctu necessaria, & ea solum complectemur, siue quibus obscura reddetur oratio. Et breuiter quidem hoc modo exponemus. Probabiliter autem a nobis narrabitur, si ad ea negotia, quæ minus uerisimilia uidentur, causas attulerimus, quibus illa non absurde gesta uideantur: si qua uerò omnino incredi bilia contigerint; ea relinquamus, necesse est. Sin au tē necessaria sunt, quę dicantur; ea te scire ostendas, oportet sed ad confutationis partem, quia cum illa implicata sint dicenda reseruare, orationesque pro gressui id te uerum demonstraturum polliceri, ea vsus argutia, quod quæ prius ab te dicta fuerint, ea prius uera, iustaq; demõstrare, q̃ aliud hmõi quicquã velis. Et hoc quidē modo his, quæ minus verisimilia sunt, medebimur. Vt aũt summatim una omnia cõple ctamur, & renunciando, & exponendo, & prædicen do, ex his omnibus, quæ ante diximus dilucidas, bre ues, & probabiles narrationes faciemus.

Postea uerò necesse est, aut res gestas a nobis renũtiari] Quamuis Cicero dicat narrationem esse rerum gestarum, aut perinde ut gestarum expositio: Aristo. tamen asserit, aut res gestas à nobis renuntiari, aut res præsentes diuidendo exponi, aut quæ futuræ sunt, iam prædici, hoc est, narrationem esse expositionem rerum præ-

teritarum, aut præsentium, aut futurarum. Verum differt: quoniam, si de rebus gestis narratio fiat; appellatur renuntiatio, siue relatio: si de præsentibus; dicitur expositio: si de futuris; prędictio. Hæ quidem res aut uerè gestæ sunt, aut non. Si uerò non; eo tamen narrandæ sunt modo, ac ordine, quo si uerè gestæ essent. Ficta narratio nuncupatur fabula: atque ea est, quæ neque ueras, neque uerisimiles continet res, ut hæ, quæ tragedijs traditæ sunt. Si autem uerè gesta sit res; dicitur historia, quæ res continet gestas, sed ab ætatis nostræ memoria remotas. Ficta quoque res dicitur, quæ fieri potuit, ueluti argumenta comœdiarum. Atque hæc ad rem pertinent: nam narrationis non omnis, sed quæ historica existit, duo sunt genera: unum, quod in negotijs: alterum, quod in personis positum est. atque hæc habent sermonis festiuitatem, feanimorum, dissimilitudinem, misericordiam, rerum uarietates, grauitatem, lenitatem, spem, metum, suspitionem, dissimulationem, desiderium, fortunæ commutationem, insperatum incommodum, subitam lętitiam, iucundumque rerum exitum.

Cum igitur de legatione nobis sit renuntiandum] Narratio autem maximè propria est generis demonstratiui, & iudicialis: deliberatiui uerò æquiuocè: scribit enim Aristo. in lib. tertio Rheto.: Multis in locis narrare opus est, & aliquando non est in principio narrandum. In de

liberatione

liberatione narratio locum non habet: quoniam de rebus futuris nemo narrat. ſed, ſi ulla narratio fuerit; de præteritis erit: ut in memoriam ea reducentes, de futuris melius conſultent. ſed ea, quæ præterita ſunt, uel uituperant, uel laudant: itaque tunc deliberantis munus non exequuntur. Et propterea aduertendum eſt narrationẽ eſſe tantum tum generis demoſtratiui, tum iudicialis: deliberatiui autem eſſe propoſitionem. Eſt enim propoſitio, ut aliàs diximus, An bellũ cum finitimis ſit gerendum. Cęterum hoc deliberatiui generis propriũ eſt exordium, ſi fiat, à propoſitione minime diuiſum eſſe: eadem enim ſunt: ſi quidem propoſitio finem, cuius gratia oratio habetur, inſinuet.

Vnumquodque horum & breuiter, & dilucidè, & non ſine probabilitate faciamus] In libro autem tertio Rhetor. ubi de narratione Ariſtot. diſſerit, inquit. Ridiculè autem faciunt ij, qui dicunt narationem breuem eſſe oportere, atqui quòd quidam piſtori panem ſubigenti, percunctantique, durum ne, an molle ſubigeret. quid? benè, inquit, omnino ſubigere non licet. neque enim prolixa uti narratione oportet, neque prolixo exordio, neque probationibus: ſed neque hac in parte rectè ſe habet breuiter, conciſèque narrare. uerum quod medium eſt, ſeruare decet, hoc eſt dicere, quæ ſatis ſint ad rẽ explanandam, uel quæ in opinionem inducant, rem eſſe factam, uel eum læſiſſe, uel iniuſtè ſe

gesfisse,uel cętera eius generis,quæcunque uo-uerit. Ait autem Cicero in Rheto.lib.Tres cō uenit res habere narrationem : ut breuis, ut dilu cida,ut uerisimilis sit. Deinde quonam pacto breuis fiat, docet,cum ait. Rem breuiter narrare septem modis poterimus : primum si inde incipiemus narrare,unde necesse erit : deinde si non ab ultimo initio repetere uolemus : tertiò si summatim,nō particulatim narrabimus: quartò si non ad extremum , sed usque eo, quò opus erit,persequemur : quintò si transitionibus multis utemur : sextò si non deerrabimus ab eo, qđ cœperimus exponere: septimò si exitus rerum ita exponemus , ut ante quoque quæ facta sint sciri possint; tametsi nos reticuerimus.Rem porrò dilucidè narrabimus , si ut quidque primum gestum erit , ita primum exponemus , & rerum, ac temporum ordinem conseruabimus , ut gestæ res erunt: aut ut potuisse geri uidebuntur.hic erit considerandum,ne quid perturbatè, nec contortè,nec ambiguè,nec nouè dicamus : nec in aliam rem transeamus : nec ab ultimo repetamus: nec longè prosequamur : nec quid qđ ad rem pertineat, prætereamus : & si persequemur ea, quæ de breuitate præcepta sunt: nam quò breuior , eò dilucidior, & cognitu facilior narratio fiet . Probabilis,siue uerisimilis narratio erit,si ut mos,ut opinio, ut natura postulat , dicemus : si spatia temporum , personarum dignitates, consiliorum rationes, locorum oppor

tunitates

tunitates conſtabunt: ne refelli posſit, aut temporis parum fuiſſe, aut cauſam nullam, aut locũ idoneum non fuiſſe, aut homines ipſos facere, aut pati non potuiſſe. In hunc uerò locum referuntur tria præcepta, quæ Ariſtoteles tradit in lib. tertio Rheto. narrationi congrua eſſe. horum primum eſt. inſerere narrationi debes, quæ probitatem tuam ſignificent: ut, Ego quidem nunquam admonere deſtiti, quæ iuſta eſſe ſentiebã, ne filios deſereret. ſecundũ præceptum eſt moratam oportere eſſe narrationem quod facile fit, ſi quid mores efficiat, intellexerimus. atque illud primò, qua mente factum ſit, oſtẽdere, mores indicat: nam qualis eſſe mens oſtenditur, tales etiam mores habentur. mens autem à fine, quem ſibi cõnſtituit, uel bona, uel mala dicitur. atque hac de cauſa mathematicæ locutiones nõ habent mores: quoniam mentem, ac delectum nullum habent: nam actionis fine carent: at uerò Socratici ſermones habent mores; quoniam de rebus eis ſunt, quæ alicuius gratia fiunt. ſed ea quoque morata dicuntur, quæ cuiuſque mores conſequuntur: ut, Hæc dicebat, & eodẽ tempore diſcedebat. tertium præceptum eſt, quod debent in narratione poni, quæ mouere animũ posſint: ut, ſi narrentur ea, quæ commotiones ſequuntur, aut quæ nota ſunt his, qui audiunt: & quæ priuatim, uel ſibi, uel aduerſario propria ſunt: ut, Ille diſcedens, ad me frequenter oculos conuertebat.

De ordine Narrationum. Cap.30.

EAS autem tripliciter ordinabimus: nam si quidem ea, de quibus dicimus, pauca sint auditoribus cognita; exordio narrationem coniungemus, ne pars hæc separatim posita breuis admodum fiat. Cum verò negotio & permulta, & incognita sint; ad vnumquodque coniunctas narrationes faciemus, eas que iustas, & vtiles, & honestas ostendemus: quo non modo in narrandis rebus occupati simplicem, & non uarietate quadam insignem orationem faciamus verũ & auditorũ animos capiamus. sin aũt negotia mediocria, et minime nota sint; opus est vel renunciatione, vel expositionẽ, vel prædictionẽ in exordio et uno & eodẽ quasi corpore collocemus. Hoc aũt faciemus, si a rerũ initio ad extremum usq; narrando prosequamur, & nihil aliud cõplectamur; sed ipsa negotia expedite declaremus. Quẽadmodũ igitur in exordio narrationes ordinandæ sunt, ita scire poterimus.

Eas autem tripliciter ordinabimus] quonam pacto disponendæ sint narrationes docet. His similia sunt præcepta narrationis ordinandæ ea, quæ Cicero in lib. secundo Rheto. tradit.

De confirmatione. Cap.21.

DEINCEPS *aũt confirmatio sequatur necesse est, per quã prænarrata negotia ex probationibus & iustis, et vtilibus, sicuti nos demõstraturos polliciti sumus; cõfirmabimus. Cũ igitur cõiunctas narrationes facere oportet, probationes in cõsultationib. q̃ cõmodissimè dicũtur a rerũ consuetudine, ab exẽplo, a commemoratione, & ab ea, q̃ de oratore sit apud oẽs opi-*

memo-

nione. Vtendum est etiam & si qua ex alijs probationum partibus inciderit. eę uerò sic sunt collocandæ. Primum quidem dicentis opinio. sin id minus poterimus; rerum consuetudines ordinabimus, demonstrabimusque & hæc, quæ dicimus, vel & his similia hoc modo fieri consueuisse. deinde verò exempla adferemus, & si qua est cum his, quę a nobis dicuntur, similitudinem adducemus. ea autem exēpla capiamus oportet, quæ tum rei congruant, tum ipsis auditoribus vel loco, uel tempore sint proxima. si autem secus sint; debemus ex alijs, quæ maxima, & notissima sunt accipere. post hæc uerò sententijs vtendum est. Oportet autem eas partes, quibus probabilia, & exēpla tractata fuerint, in fine commentationibus, et sententijs terminemus. Et probationes quidem hoc modo & negotiorum confirmationem adducemus. Si uerò narratis rebus continuo sit fides adhibita: probationes ipsas relinquemus, & a iusti, & legitimi, & utilis, & honesti, & iucundi, & facilis, & possibilis, & necessarij partibus antedicta negocia confirmabimus. Et si quidem iustum inest, id primum collocabimus & per hoc, perque huic simile, & per contrarium, & per iudicatum iustum enarrabimus, & similia his iustis, de quibus loqueris, exempla sunt afferenda. habebis autem permulta exempla tum ex his, quæ priuatim apud singulos iusta existimantur, tum ēt ex his, quæ in ipsa vrbe vbi orationem habes, tum demum ex his, quæ in alijs vrbibus iusta duci solent. Cum uero hæc omnia hoc modo percurrentes narrauerimus, in ipsiusque iusti

fine

fine sententias, commentationesque moderatas, & sibi inuicem dissimiles attulerimus, si quidem ea pars longa sit, eiusque meminisse uoluerimus: paucis itera bimus. sin autem mediocris sit, commemoreturque; tunc ubi eam finierimus, aliam quoq; partem adiun gemus. est autem id huiusmodi. Quod iustum quidem est auxilium nos ferre Syracusanis: satis ex ijs, quæ dicta sunt, demonstratum existimo, quod autem etiam id nobis conducturum sit, enitar edocere. Et, cum rursus eodem modo, ut de iusto factitaras, utile percurreris, & eius extremam partem uel breuiter iterando, vel finiendo absolueris; itidem aliam partem, quęcunque tibi in manu fuerit, adiunge. Hoc igitur modo aliam alij partem addere, & orationem contexere, opus est. Cum hęc uerò omnia prosecutus fueris, quibus ea, quę persuades, cõfirmare queas, oportet in his de omnibus summatim cum commentantionibus, & sententijs, coloribusque demonstres non ea efficere, & iniustum, & perniciosum, & turpe, et triste admodum fore: contrà uerò summatim ad dendum est, & iustum, & utile, & honestum, voluptuosumque futurum: si hęc, ad quæ eos exhortaris, effecerint: Vbi uerò iam satis, abundeque sententiarum grauitate usus fueris, quæ persuades, conclusiones terminabis, & hoc quidem modo quæ proposita fuerint confirmabimus. Post hanc autem partem de præoccupatione dicere aggrediemur.

Deinceps autem confirmatio sequatur] Primum igitur procmij locus erit, secundus narrationis, tertius confirmationis, quæ est nostro-

rum

rum argumentorum expoſitio cum aſſeueratio ne: aut ea eſt, per quam argumentando noſtræ cauſæ fidem,& auctoritatē, & firmamentum ad iungit oratio.

Probationes in conſultationibus quam com modisſimæ ducuntur à rerum conſuetudine,ab exemplo,à commentatione,& ab ea,quæ de oratore ſit apud omnes opinio.] Argumēta,quę confirmando profert is,qui in genere deliberatiuo dicit,ſumi debent,ut ipſe explicat, à quatuor genericis locis,hoc eſt,à conſuetudine, ab exemplo,à commemoratione, & ab opinione, quæ de oratore habetur apud omnes. Conſuetudo eſt locus,qui probabiles præbet rationes, de hac uerò in ſuperioribus libris egimus. ſed aduertendum eſt præceptum eſſe commune, tū generi deliberatiuo,tum iudiciali, ut ad id probatio applicetur,quod quæretur in iudicio, aut in deliberatione.In iudicijs autem quatuor prin cipes fiunt quæſtiones, de quibus proprio dici tur loco. In deliberatiuo autem genere,in quo quæritur, an ſit faciendum; multæ quæſtiones fiunt. prima uerò eſt,an faciendum ſit, nec ne, ſecunda, ſi ſic faciendum; an ſit futurum, quod deliberatum eſt eſſe faciendum. tertia,ſi ſit futurum; utrum iuſtum ſit,necne.quartum, ſi iuſtum ſit,an utile,ſi uerò ſit utile;an tantum. Ex his quæſtionibus magna tibi argumentorum orietur ſylua. In libro autem primo, atque ſecundo Rheto.declarauimus oratore his perſuadere

dere

dere instrumentis, enthymematibus, scilicet exemplis, amplificationibus, sententijs, fabulis, siue apologis, oratione affecta, & morata. sententiæ ad enthymemata ducuntur, & fabulæ ad exempla. In genere autem deliberatiuo maxime utitur orator exemplis, fabulis moratis, & affectis, sed & alijs quoque, uerum hæc deliberanti sunt præcipua: neq; cum omnis deliberatio sit de futuris; à præteritis per exempla de ipsis dicere est necesse: & idcirco difficilius est in genere deliberatur, quam in iudiciali uersari: ac præterea nec in deliberationes multum sunt commotiones, ut in aduersarium uel de se ipso, uel in mouendis affectibus: hæc enim in hoc genere minimè reperiuntur, nisi quis à causa discesserit, quare debent, ut ait Arist. hæc tantum fieri, cum alia non habet orator, quæ dicat, quemadmodum Athenis oratores faciunt, atq; etiam Isocrates in deliberationibus accusat, ut Lacedęmonios in Panegyrico, & Charetem in oratione sociali.

Primum quidem dictatis opinio] docet argumentorum dispositionem, ac primum uult locũ primarium tenere ea, quæ ab opinione, quæ de oratore habetur, ducuntur. ꝙ si id minimè consequi poterimus; à loco consuetudinis sumũtur argumenta. deinde exẽpla in mediũ adducemus.

Si uerò narratis rebus continuò sit fides adhibita] si fides adhibita fuerit a narratione rerũ; non à prædictis locis percipiemus probationes:

etenim

etenim iam probatum est: ueru͂ confirmabimus antedicta negotia à locis cõmunibus, quæ sunt, ut antea exposuimus, iustum, legitimu͂, utile, honestum, iucundu͂, facile, possibile, & necessariu͂. & qu͂o unumquodq; horum tractandum sit, docet. & id diligentissimè considerandum est: siquidem & loca inueniendi, & inuentaru͂ reru͂ dispositiones exponat doctissimè. In 3. autẽ lib. Rheto. dum de dispositione generi cuiq; idonea disserat, inquit. sunt & in deliberatione, & ĩ iudicio nostra argumenta primu͂ collocanda: deinde argumenta, & calumniæ aduersariorum cum contemptione quadam confutanda. uerum, si multiplex, & uaria sit aduersariorum oratio; primum confutabimus: deinde nostra ponemus.

De preoccupatione. Cap. 32.

Est autem præoccupatio, eorum locorum, qui contra tuam dictionem haberi possent, præoccupans reprehensio. oportet autem quæ ab aduersariis dicuntur extenuare, tua uerò amplificare, vel uti superius in amplificandi tractatu audieras. Opus est etiã conferas unum uni; cum tuum, scilicet maius sit: & plura pluribus, & vnum multis, & multa vni. sic secundum omne speciem varietate debemus vti, nostra quidem augendo, aduersariorum autem infirmando, atque deprimendo. Et hoc quidem modo præoccupationibus vtemur. hęc autem vbi fuerimus prosecuti, iterationibus exitum terminabimus, coloresque antedictos ratiocinationibus, vel enumerationis

bonorum inopes esse, quorum cæteri omnes aut plurimi sint participes, quique nihil unquam boni uel nacti fuerint, vel nanciscantur, nacturive sint, nisi auditores hoc tempore ad misericordiam moueantur. Ex his igitur auditores ad misericordiam inducemus.

Dissuadere autem ex contrarijs locis poterimus, eodemque modo exordiemur, & narrabimus, & probationibus vtemur, auditoribusque ostendemus, quæ facere aggrediuntur, esse, & præter leges, & iniusta, perniciosa, & turpia, & tristitia, & impossibilia, et difficilia, ac minime necessaria. In dissuadendo uerò idem dispositionis modus seruabitur, qui etiam in suadendo. quamobrem qui vltro dissuadent, disponere ita poterunt. Qui uero aliorum suasionibus contradicere voluerint, primum quidem ea in exordio proponere debent, quibus sint contradicturi: in reliquis uerò sigillatim est exordiendum: post singula uerò prædictorum exordia est, secundum vnumquodque propositum maxime demonstrandum, minimè omnium ea esse, ad quę aduersarius exhortetur, neque iusta, neque quę ijs sequuntur, hoc aũt facies, vt ostendas, uel iniusta esse, quæ ille narrat, uel inutilia, uel his similia, aut iustis contraria, aut vtilibus, aut his, quæ talia esse iudicantur. eodem quoque modo & cætera quę inciderint tractare debebis. Optimus igitur dissuadendi modus hic est. Quod, si minus hoc facere commodè potueris, ex eo quod reliqueris genere, dissuadere orando poteris; ut, si quidem aduersarius iustum esse ostenderit; tu vel turpe esse, vel inutile, vel difficile, uel impossibile, vel aliud quiduis huius-

Quòd si ad ferendum aliquibus auxilium sua ferimus]. Suasio, atque dissuasio ferendi, aut non ferendi auxilium est subiectum, siue propositum, quod ad genus pertinet deliberatiuum: de quo cum aliàs ab Aristo. copiosè dissertum sit, atque loca sint particularia, & in ordinem redacta; missa faciemus.

De orationis partibus in Demonstratiuo genere. Cap. 33.

Rvrsvm autem laudandi, uituperandique speciem deinceps consideremus. Cum in hoc genere exordiri voluerimus; propositiones primum ordinamus, insimulationesque dissoluimus, itidem atque in suadendo. Ad attentionem uerò exhortamur, tum ex his, quæ in consultationibus dicta sunt, tum ex eo quod mirabilia, illustriaque dicamus, vt æquitatem nostram, eorumque quos vel laudamus, vel vituperamus, facinora demonstremus: in huiusmodi enim causis vt plurimum non disceptationis, sed ostentationis potius eã orationem habere consueuimus. Primum autem exordia eodem modo constituemus, qui in deliberatiuo a nobis genere demonstratus est. Post exordium uero partiri debemus ex ea, quæ extra uirtutem sunt, & ea, quæ in ipsa virtute bona considerantur, hoc modo: externa quidem bona in bonam ualetudinem, & robur, & formæ dignitatem. & diuitias: uirtutem verò in sapientiam, iustitiam, & fortitudinem, illustresque disciplinas distribuimus. Horum autem, quæ in uirtute posita, loca-

taque sunt, iure laudantur; extraria autem subducuntur. Robustos nanque, & pulchros, & nobiles, atque locupletes nequaquam laudare, sed dicere beatos conuenit. His autem diligenter consideratis, post exordia de genere primum dictionem ordinabimus. Hoc enim primum hominibus, ac reliquis animalibus clarum inest, vel obscurum. Proinde recte quidem aut hominem, aut aliud tale animal ex genere commemorabimus. Cum uero ad effectum, aut rem, aut orationem, possessionemve laudare voluerimus, continuo ex ijs, quæ honesta adsunt, non absurde laudabimus. A genere autem laudare ita conuenit. Si quidem progenitores insignes fuerint, debemus omnes ab initio ad eum usque quem laudatum uolumus resumere, et in singulis progenitoribus clarũ aliquid summatim apponere. Quod, si primi industrij, insignesque fuerint: reliquos uerò nihil oratione dignum gessisse contigerit; primos, quidem illos eodem modo prosequemur, ignauos autem, atque degeneres omittemus, ea vsi cauillatione, ꝙ propter maiorum multitudinem nolimus auditoribus orationis longitudine graues effici; præsertim cum nemini sit obscurum, qui ex bonis clarisque parentibus nati sunt, eos consentanee fieri suis maioribus non dissimiles. Sin autem ueteres progenitores obscuri fuerint, qui uero proxime extiterunt illustres, ab ijs est laus generis capienda, dicendumque, vt de illis quidem longã repetere quandam orationem superuacaneum admodum fuerit. Sed si eo laudes referantur: qui proximi ijs, qui laudantur, extitissent, plane, & hi quoque boni, pro-

bique

bique uiri oſtendentur, quodque perſpicuum ſit, horum, maiores induſtrios, quoſdam inſignesque extitiſſe. Haud namque uerisimile uideri, huiuſmodi homines honeſtos, & bonos eſſe, qui ex improbis progenitoribus nati eſſent. Vbi uerò nullus maiorũ ſit ſplẽdor; dices ipſum in ſe generoſum eſſe, colligesque eos oẽs ingenue natos eſſe, qui ingenitam ſibi virtutem habent, & eos alijs quoque omnibus longe antecellere, qui ſuos progenitores laudant: permultos, enim qui ex claris maioribus nati eſſent, degeneres extitiſſe. addesque quod de huius nunc, & nõ de progenitorum præconiis agatur. Eodem aũt modo in vituperationibus origo generis in improbos maiores referenda eſt. Et ita laudando, ac vituperando quæ ad genus pertinent, ordinabimus. Et ſi quid illi, de quo loquimur, præclarum fortuna conceſſerit, hoc duntaxat tuebimur, vt ea, quæ ętati conueniunt, enarremus, & id quidem haud prolixe: pueri nanque tam ſuo ingenio, quam eorum qui ipſis præfuerint, diligentia, honeſti, pudiciique ſunt. Quare breuis de iis eſt habenda oratio. Cum hunc autem modum percurreris, habita ad poſterum commentatione, atque ſententia; debes hanc partem in adoleſcentis ætatem terminare. Et propoſitione deinde facta, aut eius qui laudatur, res geſtas, aut mores, aut ſtudia amplificabis, quemadmodum ab initio in demonſtratiuo genere prius diximus. Exponesque ab huius, quem ipſe laudas, cum eſſet hac ætate, aut per hunc, aut per ſtudium, aut ex hoc, aut huius gratia, tum hoc, tum illud præclarum facinus

gestum fuisse. Oportet & cæterorum quoque iu uenum præclara facinora colligendo conferre, & huius longe iis maiora esse ostendere: illorum quidem, quæ minima sunt: huius autem, quem tu laudas, quæ maxima sunt enarrando. Conuenit autem & quæ apud alios res illustres parum pro dignitate collatæ fuerint, eas abs te dicendo itidem magnas demonstrari. Et semper res ita cõparando augendæ, & exornandæ sunt: ut, Vbi & quis iuuenis ita Philosophus unquam fuit, qui vel senior magnum adeo incrementum habuerit? Et qui adeo robuste gymnasiorum labores perfert, uehementer is Philosophiæ studium, & industriam adamabit. Et hoc quidem modo similitudine & collatione usi amplificabimus. Cum uerò quæ circa ætatem adolescentis considerantur, absoluerimus; in fine huius partis sententias commentationesque locabimus, aut quæ dicta sunt breuiter iterantes, aut ad postremam partem finientes. Rursus vbi proposuerimus quæ gesta sint ab ipso uiro, quem laudamus; de iustitia primum dicere aggrediemur, quam eodem modo vt in superioribus exornantes, ad prudentiam, si fuerit, descendemus. Et hanc eodem quoque modo absoluentes, fortitudinem si fuerit, proponemus. Quam eadem amplificationis ratione item percurrentes, cum ipsius finem partis attigerimus, & omnia genera prosecuti sumus, summatim quæ ante dicta fuerint iterantes, exitum vel sententia, vel commentatione toti orationi apponemus. Congruet autem laudibus, nominibus etiam multis circa unumquodque vti, & splen

didam

didam facere dictionem, atque magnificam.

Eodem quoque modo cum de nequam hominibus oratio nobis erit, uituperationes constituemus. Oportet autem nullis in eum vtamur cauillis, quem carpimus, sed ipsius duntaxat vitam enarremus: sermones enim longe magis quam iocosæ obiurgationes, atque cauilla, & auditoribus persuadent, & ægritudine quos uituperamus afficiunt; nam huiusmodi quidem sales ad ideam, vel ad substantiam referuntur. Sermones uerò sunt ingeniorum, morumque veluti imagines. Cauendum est etiam ne res turpes nominibus appelles turpibus. Id enim adfert grauitati calumniam. Sed quæ huiusmodi sunt, tanquam per ænigma significabimus, & aliarum rerum nominibus rem ipsam manifestabimus. Debemus autem in vituperationibus ironia vti, & in iis aduersarium deridere, quibus ille maxime exultat & priuatim, quidem paucisque præsentibus eum dehonestare. In vulgus autem & multitudinem communes maxime vituperationes maledicere. Vituperationes uerò eodem modo poterimus, quo etiam & præconia & augere, & extenuare. Itaque harum specierum ex iis, quæ superius dicta sunt, usum omnem intelligemus.

Rursum autem laudandi, uituperandique speciem deinceps considerabimus] Explicat Arist. artem dicendi in genere demonstratiuo, atque initium facit ab exordio, & inquit. Primum propositiones ordinamus, atque insimulationes dissoluimus, perinde atque in genere deliberatiuo.

deinde attentos auditores facimus, atque loca attentionis assumit ab his, quæ in consultationibus dicta sunt, à rebus mirabilibus, atque clarissimis. At uero in libro tertio Rheto. scribit. pro aulium quidem cantus similis est procemio demonstratiui generis: nam tibicines quidquid sibi uidentur bene canere posse, id præcinentes, cũ sequenti cantu copulant. sic ẽt in demonstratiuo genere scribendæ sunt orationes: quicquid enim uoluerit orator, initio dicere potest, deinde progredi, & cum oratione id coniungere. ducuntur autem exordia demonstratiui generis à laude, uel à uituperatione. ducuntur etiam à cõsilio, & deliberatione: quin etiã ab his, quæ propria sunt iudicialis generis. & hæc personam auditoris respiciunt. in hoc autem genere exordia sint ea, quæ efficiant, ut auditores unà laudare putent se, uel genus, uel studia sua, uel aliquo alio modo. in genere autem demonstratiuo, & iudiciali insinuatur finis, & intentio: ut audientes non sint suspensi, sed præsciant quibus de rebus actio fiat.

Post exordium uerò partiri debemus ex ea, quæ in ipsa uirtute bona considerantur] Laudum loca præcipit Aristo. de quibus in superioribus libris amplè tractauimus. dum uerò laudes narramus (etenim narratio proprie competit, tum generi demonstratiuo, tum iudiciali) primum narratio non sit sermo continuus: imo in tot partes dissectus esse dẽt, quot seorsum pro-

bari

bari posſint,ac demonſtrari:ut in hac fortis, in illa prudens, in iſta parte iuſtus eſſe oſtendatur. uerum illud maximè eſt in oratione demonſtratiua obſeruandum, ut cum res geſtæ notæ fuerint;in memoriam tantum eas breuiter reducas, deinde cum laus ſit oratio magnitudinem uirtutis exponens; laudandus eſt unuſquiſque eas res geſtas explicans,quæ uirtutis magnitudinem oſtendāt. propria enim rerum geſtarum eſt laus. quæ uerò extra ſumuntur,ſicut à nobilitate,educatione,& patria ad fidem faciendam adhibentur: uериſimile namq; eſt probum uirum ex probis,& benè educatum probum euadere hominē.præterea & hoc ſit præceptum laudantis, atque uituperantis,ut ne nimis longę, nec breues ſint orationis partes. cęterum cum res geſtę,quibus laudamus credi debeant: rarò enim demonſtrari ſolent niſi incredibiles uideantur: itaque probationibus rarò utetur orator, ſed res geſtas amplificabit: amplificatio enim ſic ſe habet in genere demonſtratiuo; ut probatio in iudiciali,& deliberatiuo: ſimili ratione ſi uituperauerimus,ſupponendo uitia,res geſtas laudabiles extenuemus.& ſicuti amplificatio eſt generi demonſtratiuo propria,ſic & oratio morata: attamen & huic generi non inconueniunt enthymemata exempla, ſententiæ, fabulæ ſiue apologi, & oratio affecta.

Accu-

Accusationis Quæstionisque præcepta quæ ad Iudiciale genus spectant. Cap. 35.

RELIQVVM est, ut accusandi, querendiq; præcepta peragamus, quæ rursus quemadmodum in iudiciali genere dictum est, componemus, ordinabimus percurremus. Primum igitur in exordiis rem, de qua fit accusatio, uel defensio, proponemus, vt etiam in aliis præmissis speciebus. Ad attentionem autem ab iisdem locis exhortabimur, quos in suadendo, dißuadendoque docuimus. Item etiam de beneuolentia idem quoque modus seruandus erit, qui in deliberatiuo genere præmissus est. Nam is, cui auditores beneuoli sunt, ex præterito, aut præsenti tempore; & is, ne calumnia affectus sit, ad eos irritandos vel in se, vel in rem ipsam, vel in orationem, beneuolentiam captabit eodem modo, vt illic docuimus. Is uero, in quem neque beneuoli auditores, neque infensi fuerint; beneuolentiam captare poterit ex præterito præsenti tempore, uel per se ipsum, vel per rem, vel per orationem. Ille autem, qui apud auditores calumniæ obnoxius factus fuerit: partim mixtum, partim priuatim beneuolentiam captabit. Hic igitur modus erit, per quem beneuolentia cōparabitur: enimuerò hi, aduersus quos neq; bono, neque malo animo auditores fuerint, pauci sunt laudandi, & aduersarij uituperandi. Oportet autem eos ab ijs laudare, quæ videntur maxime auditorum interesse: (dico autem ciuitatis studiosum, amicorum obseruatorem, gratum, misericordem, & similia)

milia) aduersarios autem ab ijs vituperare, quibus auditores ad iram irritantur. Hæc autem sunt ciuitatis inimicus amicorum hostis, ingratus, immitis, & huiusmodi. Opus est etiam laude indices delinire, quod iusti iudices, grauesque sunt. Aduersariorum præterea defectus, sicubi tibi minores extiterint siue ad dicendum, siue ad agendum, seu ad aliud quicquam, quod in disceptatione uersetur; erunt orationem complectendi, & iustum præterea, & legitimum, & vtile, quę et deinceps sequuntur, inducēda. Cum iudices igitur neque bono, neque malo animos in nos fuerint, ex ijs beneuolentiam, captabimus. Si quis verò in calumnia sit, idque ex præterito tempore, & circa orationem, scire ex antedictis poterimus, quo pacto insimulationes soluere oporteat. Quod, si ex præsenti tēpore calūnia fuerit; necesse est circa ipsum hominem eam fieri: aut si ineptus præsenti controuersiæ, aut si criminibus subcontrarius, aut si pro confesso accusationi obnoxius uideatur ineptus quidem fuerit, si aut iunior, aut senior pro alio disceptet. Subcōtrarius uerò esse, si quis robustus imbecillum verberationis accuset, aut si quis contumeliosus contumeli ę temperantem insimulet, aut si quis admodum pauper hominem ditissimum pecuniarum agens in iudiciū deuocet. itaque huiusmodi subcontrarij criminibus sunt. Pro confesso autem erit, si quis fortis robustusque existens, ab infirmo, & imbecillo uerberationis accusetur: aut, si quis fur existimatus; furti reus in iudicium arcessatur. Vt autem omnia vno complectamur verbo; hi, quorum moribus

similis

similis est hominũ opinio, videbũtur criminibus esse obnoxij. Circa ipsum igitur hominẽ ex instãti tempore calumniæ huiusmodi fieri poterunt. Circa rem autem eæ contingent, si quid aduersus domesticos, amicos, aut aduersus hospites, aut in suos, uel de prauis, vel de turpibus rebus negotia adferat. hæc enim infamiam disceptantibus afferunt. Quemadmodum igitur eas insimulationes simus dissoluturi, deinceps ostendam. Duo esse communia in omnibus elementa existimo; alterum quidem, vt quibus rebus correpturos iudices aduersarios putes, his eos præueniens corripias. alterum verò est, si res in aduersarios quidem maxime: sin id minus; in alios quosdam transferas ea vsus cauillatione, quod non ex sententia tua, sed ab aduersarijs coactus in certamen descenderis. In vnamquamque verò calumnia hæc argumentari conuenit. Iunior quidem causabitur aut seniorum, aut amicorum, qui pro se disceptent, solitudinem, aut criminum magnitudinem, aut temporis præscriptionem, aut rerum multitudinem, aut aliud quid huiusmodi. Si uero habueris pro alio dictionem, dicendum erit te amicitiæ gratia aduocatum fieri, aut aduersarij motum inimicitijs, aut quia negotijs interfueris, aut ob vtilitatem publicam, aut quia is, cui patronus uenis, & ab omnibus est desertus, & iniuria præmitur. Quod, si crimini pro confesso obnoxius, uel subcontrarius accusationi effici videatur, cum præoccupatione vtendum est, tum etiam dicendum, vt neque iustum, neque legitimum, neque vtile sit ex opinione, ac suspitione ferre prius sententiam

tiam

tiam, quam res fuerit audita. Quæ igitur circa ipsum hominem sunt, hoc pacto insimulationes diluemus. Eas verò, quæ circa rem sunt, ita repellemus. Caussam in aduersarium reiiciemus, uel si male dictum ei crimini demus vel si iniuram, aut cupiditatem, aut pertinaciam, aut iram prætendamus, quod nullo alio modo ius consequi possibile sit. Priuatas igitur calumnias apud iudices ita diluemus, communes vero omnibus speciebus soluere poterimus, quemadmodum in superioribus dictũ est. Exordia uero in genere iudiciali eodem modo collocabimus, sicuti etiam in deliberatiuo. Eadem etiam ratione narrationes exordio coniũgemus, quas vel particulatim probabiles esse, iustasque ostendimus, aut ipsas separatim tanquam in vnum corpus ordinabimus. Deinde uerò erit confirmatio, quam si quidem rebus ipsi aduersarij contradixerint ex probationibus: sin autem cõsenserint; ex iustis, & vtilibus, & his simlibus confirmare debemus. Collocanda sunt ex probationibus primum quidem testimonia, & si quę nobis ex quæstionibus confessiones fuerint. Demum uerò si nullo modo uerisimilia ea fuerint; sententiis, & commentationibus: sin autem non omnino verisimilia, probabili, demum exemplis, & coniecturis, & signis, & argumentis, demum uerò commentationibus, & sententiis confirmare debemus. quod si verisimilia fuerint probationes quidem omittemus, iustis autem quemadmodum in antedictis vtemur. Et hoc quidẽ modo confirmabimus. Post confirmationem autem vbi, ea quæ in aduersarios sunt, collocauerimus; prǫoccupabimus

bimus eas res, quas verisimile fuerit aduersarios dicturos, & si quidem aduersarii rem negarint, probationes illas a nobis dictas amplificabimus. quas uero illi dicturi sunt, reprehendemus, & extenuabimus. Si uerò fateantur & legitima, & iusta esse, quæ secundum scriptas leges a nobis inductas ostenderimus; enitendum est, vt his simul leges, quas & iustas, & honestas, & conducibiles uniuersæ Reipubl. plures iudicarint, tales etiam eas esse ostenda mus. quas autem aduersarii induxerunt, eas cōtra ha bere, demonstremus. Quod si minus commode hæc di ci quiuerint; iudices commonefaciendi sunt, eos non de lege, sed de re iudicare, quodque iurati sint secundum leges latas sententiam latum ire, & doceas in haud hoc tempore decere leges, sed constitutis diebus eas ferre. sed, si contigerit rem his legibus agitari, quæ iniquæ esse videantur; dicendum erit non legem rem huiusmodi: uerum iniquitatem esse: cum lex quidem ad utilitatem feratur, hæc autem afferat ciuitati perniciem. Dicendum etiam erit haud contra leges facturos, si huic legi contrariam sententiam tulerint, leges potius laturos; ne sit improbis, iniquisque decretis utendum. Oportet autem ad id collectionem afferre, quod nulla lex prohi bet Reipub. benefacere: sed improbas leges authoritate priuare, aliud nihil esse, quam ciuitatem beneficio donare. Quascunque igitur ex his legibus, quæ nul lam ambiguitatem continent, habuerimus ex talibus preuenientes, abunde contradicere poterimus. De ambiguis verò legibus iudices ita senserint, vt tibi

expedit, oportet hęc demonstrare. quòd, si iudex dicat quemadmodum aduersarii, condocefaciendus est, legumlatorē nō hoc sensisse qđ ab illo dicitur quodq; conducit ipsis iudicibus legem ita dicere. Verum, si nullo modo possis in contrariam sententiam commutare; ostende aliud nihil posse contrariam legem dicere, atq; ipse dicas. Et quo quidem pacto oporteat uti legibus ex his, quæ diximus, abundabis. Summatim uero ii peccasse omnino fateantur, et ex iusti tamē, & legitimi partibus defensionem parent; ex his ea sunt confutatione præuenienda, quę dicturi illi uideātur. sin autem peccasse fateantur, & sibi tamen ignosci postularint, sic talia oportet confutare. Primum quidem dicendum erit deterioris esse moris, quodque tunc illi crimen in prudentiam reiiciunt, cùm se deprehēsos intuētur. proinde sic, huic ignoscitis, alios item omnes suppliciis, atque cruciatibus liberabitis. Dic etiam & illud, si eos, qui peccasse confitentur absolueritis, quo pacto inficiantes condemnabitis? Dicendum etiam erit, etsi imprudenter errauit, non tamen decet me ob huius imprudentim detrimento affici. Præterea dicetur, cum neque legumlator imprudenter delinquentibus ignoscit: eo neque a iudicibus, qui secundum leges iudicant, ignosci iure potest. Ex his igitur atque similibus eos, qui sibi secundum postulant, confutare poterimus: sicuti etiam ab initio exposuimus. Vt compendio autem utar, quæcunque sint aduersarii dicturi & ad probationem, & ad iuris sui partes afferendas, & ad ueniam postulandam, ex antedictis præoccupabimus. Post hanc

aũt causam tota est oratio per enumerationẽ summa tim repetenda, & breuiter (fieri potest) iudicium ani mi in aduersarios quidem, vel odium, vel ad iram, uel ad inuidiam, in nos autem ad beneuolentiam, vel gratiam, vel misericordiam commouendi. Quibus autem rebus hoc fiat, in deliberatiuo genere, in suasionibus, & dissuasionibus diximus, ac rursum in defensionis specie ad finem percurremus. Orationis igitur principium in iudiciali genere, si quidem accusemus. ita componemus; & ordinabimus.

Si uero defendamus exordium, quemadmodum, & in accusando constituemus. Eas autem res, qua rum accusamur, quibusque accusator scientiam auditoribus fecerit, relinquemus, quibus uerò opinionem relinquerit, hasce ubi post exordium proposuerimus, dissoluimus: testesque, & quęstiones, & iuramenta refellemus, quemadmodum ante audisti. Et siquidem res credibiles fuerint: poterimus ipsarum responsionem in eius, quod relictum sit, locum transferre. Quod, si testes per quæstiones fidem fecerint, aut in orationem, aut in negotium, aut in quodcunque aliud fuerint in aduersariis, maxime verisimile ipsorum est responsio transferenda. Si uerò autem con tra vtilitatem publicam, aut contra consuetudinem accusator te fecisse criminetur; debes defendere id ma xime esse vtile, quod ab eo crimini datur: uel, si id mi nus potueris, dices, ut neque abs te, neque ab his, qui tibi sint similes, aut quòd nõ hoc modo huiusmodi res geri consueuerit. Probabile igitur ita solues. Exem-

plum

plum verò debes primum, si potes, demonstrare id, haud quaquam esse criminationi similę vel aliud tibi ex contrarijs præter verisimilitudinē exemplum ferendum esse. Coniecturam autem potest confutare; si dicas quibus causis contraria significare continge rit. Sententias verò, atque commentationes, aut im probabiles, aut ambiguas ostēdas oportet. Signa aut nō eius solū, cuius ipse sis accusatus, sed rerum plurimarū signa esse ostendes, & ea quidē quasi aduersarijs dicta fuerint, in contrariū, aut ambiguū conuertē tes; poterimus hoc mō improbare. Si uerò quorū nos accusator criminatur, ea fecisse fateamur, idq; ex iusti, & legitimi partibus defendere pergamus; magis legitimas res nostras, iustioresq; demōstrare elaborabimus. Quod, si minus cōmode fieri potuerit, ad imprudentiam, casumq; defugiemus, iacturasq; paruas esse ostendemus, & ignoscendū nobis eße argumentabimur, demonstrantes, quam omnium quidem hominum per imprudētiam delinquere commune sit, sed afficere iniuria improborum esse proprium. Dices etiam, & æquum, & bonum esse, & iustum, & condu cibile his ignoscere, qui per imprudentiam delinque rint: neminem, enim omnium scire, si quid aliquan do sibi huiusmodi euenturum sit. Ostendendum est etiam si quid aduersarius. ipse aquæ errauerit; & ue niam tamen consecutus sit. Post, hęc eę præoccupationes sequuntur, quæ ab aduersarijs dictæ sunt: harum igitur alias satis, superque a rebus ipsis soluere poterimus. Sed si calumnietur scriptas nos oratio nes recitate, aut quo eas recitemus meditari, aut mer

cede conductos patronos fieri; ad hæc talia contraue niamus oportet, dissimulandoque dicamus minime omnium lege prohiberi aut se scripta, aut illum modo scripta loqui; lege nanque talia patrare non permitti: loqui verò vt quisque velit, facile sini. Dicendum quoque erit vsque adeo aduersarij delicta, uel ipsius eius sententia per magna esse, vt existimet me nunquam digne in se accusando satisfacere posse, nisi quæ dicturus essem, antea scriberem, ac multum temporis meditatus sim. Ad scriptarum igitur orationum calumnias sic occurrere poterimus. Si uerò dixerint nos discere, meditarique dicendi facultatem: confitebimur id quidem, dicemusque, nos quidem, quos ais dicere, neque calumniatores, neque contentiosi certe sumus. tu verò, qui oratoriam tenes, cum hoc tempore, tum sæpe aliàs nos calumnijs circumuenire deprehensus es. Quare conducere ciuibus videtur, vt, & ille oratoriam discat: non enim sic malum, neque insimulatorem eum fore. Eodem quoque modo si quis nos mercede conductos causarum patronos dicat, & fatebitur, & cauillabimur huiusque rei authorem accusatorem nostrum, ac reliquos demonstrabimus. Mercedem autem species diuidemus, dicemusque alios pecuniis, alios gratis, alios suppliciis, alios honoribus aduocatos assistere. Te igitur gratis id obire muneris ostende: aduersarium verò dicito, ne paruo quidem pretio aduocatum assistere; eum nanque vt aliquid argenti iniuste capiat, non autem ne persoluat, in iudicium ire. Idem quoque modus seruandus est, si quis nos, aut aliquos

edocere

edocere dixerit, qui controuersiis apud iudices vtantur, aut iudiciales orationes conscribere; nam & alios omnes ostendes pro viribus adiumento amicis esse, & docendo quidem, & consulendo: & artificiosissime in huiusmodi rebus occurres. Oportet autem & circa interrogationes, atque responsiones, quotquot in huiusmodi speciebus inciderint, ne nos negligentia vlla capiat, sed quę respondeo, concedantur, quæque negentur, sunt consideranda. Concessiones igitur sunt huiusmodi. Mihi filium enecasti. enecaui equidem: nam ille in me prius distrinxit gladium. Filium mihi pulsasti. pulsaui equidem: iniuria enim in me prius manus iniecit. Mihi caput confregisti, confregi equidem: nam noctu impetum in meam fecisti domum. Tales igitur concessiones legibus freti nonnunquam facimus. Huiusmodi verò negationes legem declinant. Mihi filium occidisti. non ego quidem. sed lex occidit. Hæc autem omnia ita oportet respondere, cum duarum legum altera iubet hoc faciendum, altera non uetet. Quæ igitur in aduersarios dicenda sunt, ex his omnibus colliges. Post hæc autem eorum, quæ antedixerimus iteratione breuis est admonitio adhibenda. Ea uerò est vtilis omni tempore: quamobrem & singulis in speciebus ea iteratione vtendum est. Verum in accusationibus maxime & defensionibus ea congruit: Itidem quoque in suasionibus, atque dissuasionibus. Neque solum ea hic commemorare, quæ antedixerimus quemadmodum in laudando, & vituperando: verum etiam animos iudicium in beneuolentiam no-

ſtram conciliare, & in aduerſarios concitare debemus. Hanc uerò iterationem in orationis partibus poſtremam conſtituimus: hæc enim facit, vt reminiſcaris ſummatim quæ dicta ſunt enumerando, aut ratiocinando, aut interrogando, tua quidem, quæ optima ſunt: aduerſariorum autem, quæ nequiſſima, ſi quidem interrogationis figura vti volueris. cuiuſmodi autem vnumquodque horum ſit, ex ijs cognoſcere poſſumus, quæ ſuperius dicta ſunt. In beneuolentiam uerò noſtram iudices conciliabimus, & in aduerſarios concitabimus ex iis beneficiis, vt etiam in deliberatiuo genere ſummatim oſtendimus, quibus nos aut amici noſtri ipſos, a quibus iniuriam ſuſcipimus ipſorum neceſſarios, ſeu iudices ipſos, vel eos, qui eis curæ ſunt, ſiue affecerimus, ſiue afficimus, ſiue ſumus affecturi, & ſi ipſi dixerimus nunc tempus eſſe referendarum pro ſuſceptis beneficiis gratiarum. et ſi eos in commiſerationem, ſi opus fuerit, adduxerimus. Hoc autem eo facimus, quo noſtram in auditores beneuolentiam demonſtremus, & quam in digne ob ea, quę male paſſi fuerimus, aut patimur, paſſurive ſumus, miſeria præmimur, niſi hi nobis adiumento fuerint. Si uerò nihil nobis adſit hmõi, cõmemorabimus quibus bonis priuati fuerimus, aut priuamur, aut priuauabimur; vbi iudices non neglexerit: ſeu vt nunquam boni quippiã nacti fuerimus, aut nanciſcimur, aut vacturi ſumus, niſi ab iis auxilium meruerimus. Ex his nanque commiſeratione nos dignus conſtituemus: & auditores nobis conciliabimus. Aduerſarios vero calumniis circumuentos in inuidiam, &

odium apud auditores ex horum contrarijs adducemus: cum ostenderimus ab his, aut horum amicis auditores ipsos, ipsorũve necessarios mali quippiam indigne passos, aut pati, aut passuros. ex huiusmodi enim rebus ad odium, & iram in adversarios rapientur. Sin autem hęc fieri commode nequiverint, ea in vnum redigemus, quibus auditores in adversarios ad inuidiam concitemus. Inuidia nanque propinqua est odio. his autem summatim inuidebitur, si eos indigne fortunatos, & ab auditoribus animo alienos ostenderimus percurrentes quam multa bona iniustè passi fuerint, aut patiuntur, passurive sunt. Aut quam nũquam nullius boni indiguerint, uel indigent, vel indigebunt, aut quam in nihil unquam mali inciderint, seu incidunt, seu incident, nisi nunc a iudicibus puniantur. Ex his igitur rebus auditorum nobis animos ad beneuolentiam in conclusionibus constituere, & in aduersarios contra commouere poterimus. Ex omnibus verò supradictis accusationes, defensionesq; quam aptissime ordinabimus.

Reliquum est, ut accusandi] Exordia in genere iudiciali idem ualent, quod in cœmedijs prologi, & in heroico carmine propositum: siquidem in his specimen conspiciatur futuræ orationis, ut iudices præcognoscant, quibus de rebus sermo futurus sit: atque ne eorum animi suspensi maneant: nam qui indefinitè dicit, is auditores cogit huc, atque illuc uagari. Maximè porrò conuenit oratorem in hoc genere dicentẽ uti proemio, ac eò magis si defensoris partes

 ferat,

ferat,quã si accusatoris: etenim accusatori propria est peroratio. quare orator,qui defendit, rarò id efficit,nisi calumniæ præcesserint.uerum, cum defensio cum insinuatione in proemio ponatur; idcirco de locis, quibus calumniæ dissoluantur, hoc tempore disputat Aristo. atque copiosè in lib.tertio disseruit.

Ad attentionem autem ab ijsdem locis exhortabimur] In hoc potissimum genere locos constituere oportet, qui reddant nobis auditores attentos, dociles, ac beneuolos. de his uerò satis antea locutus est.nunc uerò eadem ferè repetit.

Quemadmodum igitur eas insimulationes simus dissoluturi, deinceps ostendam] diluendæ autem sunt calumniæ ex locis aut à persona desumptis,aut à reipsa. locos uerò, ex quibus calumniæ depellantur siue à persona,siue a re,undecim numerauimus in libro tertio.Rhetor. ab Aristo.expositas: & hæc leges: ne ea,quæ dicta iam sunt,repetamus. Verum hoc quidem loco à persona accipit loca,quorum primum est à iudicum persona: ut quibus rebus correpturos iudices aduersarios putes, his eos præueniens corripias. secundum à persona aduersariorum: ut scilicet res in aduersarios transferas. tertium, si id minimè poteris; in alios quosdam uertas, asserens te coactum ab aduersarijs,non tua sententia in certamen descendisse.à quibus uerò,quot, quæ,& quales in causa sint personæ, postea exponit. Quòd, si crimini pro confesso obnoxius]

xius] hoc autem tempore duo sunt efficienda: primum ut præoccupatione utamur, de qua antea copiosè Arist. locutus est. Deinde ab octo illis locis communibus, quæ sunt iustum, honestum legititimum, utile, iucundum, facile, possibile, & necessarium, demonstres non ex opinione, ac suspitione ferẽdam esse prius sententiam, quàm res fuerit audita.

Eas uerò, quę circa rem sunt, ita repellemus] primus locus, qui à re sumitur, est, ut maledictũ crimini des: secundus ut iniuriam, tertius ut cupiditatem, quartus ut pertinaciã: quintus, ut iram prætendamus, quòd nullo alio modo ius consequi possibile sit.

Exordia uerò in genere iudiciali eodem modo collocabimus, sicut etiam in deliberatiuo] quamquam genus deliberatiuum exordia à genere iudiciali sumit: attamen inquit Arist. exordia in iudiciali collocanda esse, atque disponenda, ueluti ea, quæ ad deliberatiuum pertinent. sed à persona dicentis, aut aduersarij ducitur talis ordo. primum à persona oratoris initium faciet ad dissoluẽdam aduersariorum calumniam illatam, aut ad ea extenuãda, quæ existimari possent contraria his, quæ ipse dicit. Aut ad calumniam inferendam, si aduersarij præcesserint defensiones, uel aliquæ communes existimationes contrarij. Deinde amplificabis tua, si præcessent aduersarij extenuationes, uel communes existimationes contrarij. Eadem etiam ratione

narrationes exordio coniungemus] duo sunt facienda in narratione, quæ ad genus attinet iudiciale. primum, ut narrationē ostendamus ex rebus probabilibus, & iustis particulatim. deinde, nisi id fecerimus, eam separatim ordinemus tanquam in unum corpus. Et propterea hæc præcipit Aristo. in lib. tertio Rheto. Et primum præceptum est, ut nec in genere demonstratiuo, nec in iudiciali narratio sit sermo continuus, imo in tot partes dissectus esse dēt, quot seorsum probari, ac demonstrari possint: ut in hac parte fortis, in illa prudens, & in ista iustus esse declaretur. secundum est, ut nec lōga, nec breuis sit narratio, nec exordium, nec probationes: ex his enim conflaret oratio lōgissima, aut admodum breuis. Ceterum generis iudicialis propria narratio est, & perfecta, si ea explices, quæ mouere possit auditores ad credendum rem factam fuisse, & iniuria fuisse, uel damno: uel tantam factam esse, quantam uelis, ut iudices credant. atque hæc est accusatoris narratio. Defensor uerò contraria narret, ut scilicet non sit facta, aut quòd, si facta sit; non iniuria, uel non damno: uel quòd non tanta. Differt autem narratio accusatoris, & defensoris: etenim defensor breuiorem habebit narrationem, atque eam per quæstiones tractabit, quemadmodum quòd non factum sit: aut, si sit factum; non iniuria, aut damno, aut quòd non tantum: nam qui defendit à quæstione, de qua in sequenti capite agetur, re-

cedere

cedere non debet. Accuſatoris autem narratio longior ſit: quia qui accuſat, probet, eſt neceſſe. itaque plura requirit. Adde uerò narrationi ea, quæ uel tuas uirtutes, uel aduerſarij uitia explicant. & hæc latenter facienda ſunt. Adde quoque ea, quæ iudicibus ſint iucunda: ſic enim beneuolos reddes. ſed hæc, & maiora lege in lib. tertio Rheto.

Deinde uerò erit confirmatio] Si aduerſarij rebus contradixerint; confirmatio fiat ex probationibus: ſi uerò conſenſerint; ex iuſtis, & utilibus, honeſtis, & huiuſce generis ſimilibus ſit. probationes autem aliæ ſunt artificioſæ, aliæ artis expertes. primum collocandæ ſunt hæ, quæ artis expertes ſunt, quæ ſunt quinque, leges, ſcilicet teſtes, quæſtiones, conuenta, ſiue pacta, & iuſiurandum. hæ quidem probationes primum tenebunt locum: ſecundum uerò artificioſæ, quæ ſunt enthymemata, aut ſententiæ enthymematicæ, quæ ſumuntur à probabili, exemplis, coniecturis, ſignis, argumentis. uerum de his plura habes in libro tertio Rheto. ubi ſcribit Ariſt. exemplorum uſum rariorem eſſe debere in iudiciali genere, atque in eodem plurimum poſſe orationem moratam, atque affectam. ſed quonam pacto enthymematis utamur, & quæ obſeruanda, & de confutatione argumentorum in eodem loco reperies.

De

De Quæstionis speciebus. Cap. 36.

QVAERENDI autem species separatim quidem ipsa raro constituitur, sed aliis speciebus commiscetur, & aduersus contra dictiones maxime est vtilis. Veruntamenne huius nos ordo lateat, si quando vel oratio, vel vita hominum aut actio, aut ciuitatis administratio quærenda contingeret; item etiam hac de parte summatim percurram. Est igitur quærentibus eodem quasi modo exordiendum, sicut etiam calumnia circumuentos oportere docuimus. Quare, cum idoneas in principiis causas attulerimus, quibus id recte facere videamur, ita ad quęrendum veniemus. Causæ autem congruent in ciuilibus quidem conuentibus, quod aut contentionem quadam, quin potius ne auditores lateat, id facimus; demum quod nobis hi prius molesti fuerint. In priuatis verò vel inimicitias, vel paruas eorum, qui quęruntur consuetudines, vel in eos ipsos beneuolentiã, vel, vt quæ agunt remittentes, non amplius hęc faciant, proferre oportebit. In publicis autem; si legitimum, & iustum, & publicam vtilitatem proferemus. Ex iis aũt, & his similibus exordio constituto, ac singulis deinceps propositis aut dictis, aut gestis, aut cogitatis quęremus, eaq; demõstrabimus et iustis, & legitimis, & priuatis, et publicis vtilitatibus aduersari. Et omnia demum considerabimus, si quo in loco ipsa sibi, vel moribus proborum hominum, officiis ve dissentiunt. Sed, ne in singulis enarrandis longiore vtamur oratione, quo pluribus illu-

strium studiorum, aut rerum, aut verborum, aut cõsuetudinum res eorum, quos quærimus, aduersari ostenderimus; eò ipsos obscuriores apud auditores constituemus. Opus est autem non tristi, & acerbo quodam, sed miti mansuetoque vultu quæramus. Hoc enim modo verisimiliores reddentur apud auditores habitæ orationes, & oratores ipsi nullum de se relinquent insimulationi locum. Vbi uero diligenter omnia quæsieris, atque amplificaueris; orationis exitum breui iteratione terminabis, & ut eorum, quæ dicta fuerint, auditores reminiscantur efficies. Has igitur species, ubi hoc pacto constituerimus, pulcherrime ipsis vti poterimus.

Quærendi autem species,] Quæstio autem, de qua hoc agit tempore Aristo. est septima species, quæ à tribus causarum generibus proficiscitur: hæc quamquam communis est, cuique generi; tamen propria est iudiciali.

Peroratio antedictorum animum per enumerationem, & amplificationem. Cap. 37.

OPVS est præterea orando, & scribendo in id quam maxime enitamur, elaboremusque, vt pro rerum natura verba accommodemus, & ita nosmetipsos trita consuetudine ijs cunctis exerceamus, vt eorum vsus nobis in promptu sit, atque ut ex arte quidem dicere possimus, tum in priuatis, publicisque disceptationibus, tum ijs etiam in sermonibus, quos aduersus alios habuerimus, plurima hinc & artificiosissima ad iumenta suscipiemus. Elaborandum est etiam

etiam, vt non circa verba orator duntaxat, uerum etiam circa vitam, quam antedictis speciebus exornat, atque magnificet, suam diligentiam omnem studiumq; accommodet. Nam vitæ compositio, & ad suadendum, & ad boni, & æqui viri existimationem adipiscendam conduci plurimum. Primum igitur diuidendæ sunt secundum omnem disciplinæ distributionem, quid primum, quid secūdum, quid tertium, quid quartum tractandum sit. Demum ea tibi sunt præparanda, quę circa auditores attenduntur; de quibus in exordijs docuimus. Enimuero beneuolentiam a persona tua captare poteris, si promissis insistas, et eosdem amicos in omnem vitam tueare, neque in aliis actionibus inconstans esse, sed ijsdem semper vti videare. Attenti autem fient auditores si his in negotijs verseris, quæ et magna, et honesta sunt, multisque conducant. Cum verò beneuolos auditores reddideris, vbi ad negotiorū expositionem abs te deuentum est, quæcunque propulsationem malorum bonorum autem continent exhibitionem, facile apud illos admittuntur, quæcunque uero secus sunt reiiciuntur. Sed pro celeri, & aperta & uerisimili narratione hę sunt tibi faciunda. Celeriter autem absolues, si non omnia uolueris simul agere, sed prius primo, & quod reliqui est deinceps. Dilucide uero, si non statim relicta actione in alias res prius transieris. quam illam absolueris. Verisimiliter autem, si nihil a tuo more alienum agas: item si non eosdem finxeris & inimicos tibi, & amicos esse. Ex his aut probationibus eas assumemus, de quibus ita scientiam ad perficienda

da negotia tenemus; ut ea aliis interpretari, & explicari possimus. De quibus autem scientiam non habemus, eas prout sæpius accidere solent, adsumemus: tutissimè nanque in huiusmodi rebus egeris, si consuetudinem sequi volueris. In certamine vero contra aduersarios, si quidem oratione contenditur, ex iis, quæ dicta sunt nostram confirmationem faciemus. Sin uero contractibus hoc faciemus; si secundum leges, & non scriptas, et scriptas, cũ testibus quã optimis, ac tẽpore præfinito eos cõfecerimus. Ex cõclusione vero eorũ, quæ dicta fuerint, reminisci auditores faciemus, si quæ gesta sunt, summatim rursum dicemus. Ex his autem quæ agimus, ita commouebimus quandocunque eadem negotia, vel similia prioribus tractemus. Beneuoli autem nobis erunt auditores, si ea gesserimus, quibus aliquid beneficij suscepisse, aut suscepturi videbuntur. Magnas autem res geremus, si ea negocia tractauerimus, quæ multorum sint bonorum cã. Hoc igitur modo, quæ ad uitam pertinent, præparanda sunt: ex priore autem instituto circa orationem est exercitatio adhibenda. Sacrificia verò, uti præmissum, est faciemus ad deos quidem pie, ad sumptus autem moderate, ad specula vero splendidè, ad ciues autem utiliter. Et aduersus immortales quidẽ Deos ea habebunt piè; si patrio more sacrificemus, ad sumptus, autem moderatè, si non quæcunque missa fuerint, ab his, qui sumptibus præsunt, consumantur; ad spectacula uero splendide, si magnifico sint apparatu constituta: ad ciues autem vtiliter, si & equites, & grauioris armaturę pedites belle in-

structi pompam celebrent. Quæ igitur hoc modo mortales in Deos fecerint, pie certe fecerint. Eos autem amicos comparabimus, qui sint nobis moribus non dissimiles, & quibus eadem, quæ etiam nobis condu cant, & quibus magnis in rebus commonis nobiscum fortuna sit. talis enim amicitia perdurat maxime. Socios autem eos facere debemus, qui & iustissimi sint, & non mediocri ualeant potentia, & in proximo habitent. hostes autem faciemus, qui horum sint contrarij. Suscipiendum autem bellum in eos est, qui rẽpublicã, aut eius siue amicos, siue socios iniuria uiolare moliuntur. Præsidia autem habeamus oportet aut nostra, aut sociorum, aut hospitum causa: & primo quidem nostra, demum sociorum, tertio uerò hospitum. De tributis autem id quidem est optimum, quod a priuatis prouentibus, ac poßeßionibus proficiscitur: secundum verò a censibus: tertium autem a pauperibus, qui sua corpora ministeris præbent, ab opificibus autem arma, à locupletibus uerò pecuniæ. De administratione autem reipublicæ popularis quidem principatus est optimus, in quo leges optimatibus honores distribuunt. plebs uero neque dandis priuatur suffragiis, neque ferendis quidem sentẽtijs proxima uero illa est, in qua leges a ditioribus affici contumelia plebem non sinunt. Principatus autem paucorum duo sunt genera: aut enim est ex amicitia & societate quadam, aut à censibus. Necesse autem est socios faciamus; cum ciues minus ex sesè potentes sunt, qui tum solum, tum oppida tueantur, aut hostibus repugnent. Est autem societas

omittenda

omittenda, cum aut eam facere non ſit opus, aut ſocij longe à nobis diſtent, neque potentes ſint, qui opportune adſint. Cuius autem bonus eſt, qui amicos ciuitati utiliſſimos comparat, inimicos uerò & paucißimos, & infirmiſſimos: quique ſine ulla priuatorum bonorum publicatione prouentus comparat quã plurimos, & qui ſeſe iuſtiſſimum præbens, eos in quæſtionem agit, qui rerum publicarum aliquid per iniuſtitiam uiolant. Largitionibus uero utuntur omnes, aut quoniam aliquid inde ſperant commodorum, aut quo ſuſceptorum beneficiorum gratiam referant. Obſequuntur autem omnes aut lucri, aut honoris, aut uoluptatis, aut timoris gratia. Commutationibus uerò utuntur omnes aut ſponte, aut inuitè. omnes enim actiones, aut ui, aut ſuaſione, aut fraude, aut occaſione perficiuntur. in bello autem uincitur, aut fortuna, aut corporum multitudine, robuſtitateve, aut pecuniarum copia, aut opportunitate locorum, aut uirtute ſociorum, aut conſilio, & calliditate imperatoris. Socios uerò delinquendos putant, aut maiore utilitate, aut uelli ſolutione. Iuſtè autem agere eſt communes ſequi utilitatis conſuetudines, parere legibus priuataque pacta ſeruare. Conducit autem corpori quidem bona habitudo, & formæ dignitas, aut uires, & bona ualetudo: animo uerò ſapientia, prudentia, fortitudo, temperantia, iuſtitia: his autem utriuſque pecuniæ, & amici. Inutilia, uerò ſunt horum contraria. plurimum uerò utilitatis affert bonorum ciuium multitudo.



INDEX
RERVM OMNIVM
COPIOSISSIMVS.

ipsius t

Exem-

Gra-

Nar-

 nem


Pro-

Q

Quç-

Respub.

FINIS.



REGISTRVM

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii.

Omnes ſunt Quaterniones.

